ACTA
Sanctorum Apoſtolorum
Ad Literam
EXPLICATA
Operâ ac Studio
Caroli Mariæ Du Veil
METENSIS,
Sacræ Theologiæ Doctoris
Ejuſdémque
Profeſſoris emeriti.

Jo. 5. v. 39. Ἐρευνᾶτε τὰς γραφάς. *Scrutamini Scripturas.*

Theodoretus in Ezech. xvi. Περιττὸν τὰ γραφῆς ἰδιώματα εἰδέναι· ἄνευ γὰρ τούτου ἀδύνατον τὸν σκοπὸν διαγνῶναι *Oportet Scripturæ proprietates ſcire: neque enim aliter ejus ſcopus dignoſci poteſt.*

Photius in Bibliotheca Cod. CLXXVII. Εἴ τι σύμφωνον ὀρθῷ λογισμῷ, καὶ γνώριμον ταῖς θείαις γραφαῖς, τοῦτο ἀποδεκτέον. *Siquid rectæ rationi conſentaneum, manifeſtúmque ſit Divinis Scripturis, illud demum recipiendum.*

LONDINI.
Typis *T. Snowden*, impenſis *T. Malthus*, apud quem proſtat ad inſigne Solis, in vico vulgò dicto *Poultry*. M. DC. LXXXIV.

CHRISTO JESU

AUTORI ET CONSUMMATORI

FIDEI,

OMNIUM REDEMTORI

SACRUM.

Et Prudentis cujuſvis

LECTORIS JUDICIO,

HOC QUICQUID EST OPERIS

AUTOR

EX ANIMO SUBJICIT.

Semper agam grates Chriſto, dabo ſemper honores,
Laus Domini ſemper vivet in ore meo.

Ad LECTOREM

PRÆFATIO.

RES memoratu dignas ab Apoſtolis, Petro maxime ac Paulo geſtas deſcribit Lucas in aureo libro ſuo, qui vulgo à Græcis πράξεις Ἀποστόλων, ab Epiphanio Hær. 30. τῆς πράξεων τῆς Ἀποστόλων ἡ βίβλος, Can. 16. Concilii in Trullo, αἱ τῆς πράξεων βίβλοι; à Latinis, ſi unum excipias Hilarium, qui in Matthæum citans hunc librum, Græcam vocem retinuit, *Acta* vel *Actus* & *Geſta Apoſtolorum* vocatur. Vix ullus eſt Chriſtianæ Religionis liber, qui veritatis doctrinam irrefutabilibus exemplis & eam ſecutæ hiſtoriæ fide tam luculenter explanet. Et certe præter Apoſtolicas epiſtolas, quæ hæc duo miſcent, nullus eſt.

In præſtantiſſimum hunc Lucæ librum tibi, Benevole Lector, hic exhibeo Commentarium, qui ſubjectam verbis ſententiam, cámque literæ conſentaneam apertè declaret. Ad hujus à me confectionem adhibitum & quod ex ipſis Scripturarum fontibus hauſi, & quod evolvendis iis, quæ Hebræorum & Eccleſiarum Magiſtri reliquerunt, monumentis animadverti, & quod obſervavi perlegendis & diligenter expendendis multis & variis ſcriptoribus, tam antiquis, quàm Neotericis, & quod mihimet ipſi prudentiæ ac cognitionis impertivit omnium bonorum largitor Deus. In hoc commentario meo, ut

in

in illis, quos antehac in Matthæum, Marcum, Canticum Canticorum, Duodecim Prophetas minores & Eccleſiaſten edidi, plerunque veteri Latinâ Scripturarum verſione utor, quæ mihi omnium eſt maximè familiaris: Sed enim quid ea differat à textibus primigeniis Hebræo & Græco, ubique diligenter moneo. Loca quibus cum aliquo colore abutuntur Hæretici, maximè vero Papiſtæ, ab eorundem abuſu & corruptela vindico. Similiter paucis refero non contemnendas obſervationes ex Philologia, Hiſtoria, Geographia atque Grammatica, ubi ubi ad ſacræ hiſtoriæ Actorum ſcil. Apoſtolicorum confirmationem vel explicationem utcunque pertinere viſum eſt. Siquid in hiſce obſervationibus meis tibi, Benevole Lector, bene dictum occurret, non id mihi, ſed fonti omnis bonitatis Deo adſcribe, mihi verò quod malè mens concepit, manus exaravit. Quinetiam ſicubi, quod in talibus facilè fieri potuit, erravi, nec errorem profiteri, nec melius doceri pertinax detrecto. Cupio diſcere quod ignoro, & cujuſvis me diſcipulum libenter profitebor, *dummodò* ut Hieronymi verbis utar, *doceat & non detrahat*; *nihil enim tam facile, quàm otioſum & dormientem de aliorum labore ac vigiliis diſputare.* Interim ſcriptis meis qualibuſcunque utere, fruere, Benevole Lector, mecúmque medullitùs Deum precare, ut Eccleſiæ ſuæ ea jubeat eſſe utilia: quod ubi factum ſenſero, nunquam laboris vigiliarúmque mearum me pœnitebit. Vale.

Aug.

Aug. in epiſtola 137. alias 3. ad Voluſianum Melaniæ junioris avunculum, Africæ Proconſulem. Num. 3.

TAnta eſt Chriſtianarum profunditas litterarum, ut in eis quotidie proficerem, ſi eas ſolas ab ineunte pueritia uſque ad decrepitam ſenectutem maximo otio, ſumma ſtudio, meliore ingenio conarer addiſcere: non quod ad ea quæ neceſſaria ſunt ſaluti, tanta in eis perveniatur difficultate: ſed cum quiſque ibi fidem tenuerit, ſine qua pie recteque non vivitur; tam multa tamque multiplicibus myſteriorum umbraculis opacata intelligenda proficientibus reſtant, tantaque non ſolum in verbis, quibus iſta dicta ſunt, verum etiam in rebus quæ intelligendæ ſunt, latet altitudo ſapientiæ, ut animoſiſſimis, acutiſſimis, flagrantiſſimis cupiditate diſcendi hoc contingat, quod eadem Scriptura quodam loco habet, Cum conſummaverit homo, tunc incipit.

Idem

Idem ibidem num. 18.

Modus ipse dicendi, quo sancta Scriptura contexitur, quam omnibus accessibilis, quamvis paucissimis penetrabilis. Ea quæ aperta continet, quasi amicus familiaris sine fuco ad cor loquitur indoctorum atque doctorum. Ea vero quæ in mysteriis occultat, nec ipsa eloquio superbo erigit, quo non audeat accedere mens tardiuscula & inerudita, quasi pauper ad divitem; sed invitat omnes humili sermone, quos non solum manifesta pascat, sed etiam secreta exerceat veritate, hoc in promtis quod in reconditis habens. Sed ne aperta fastidirentur, eadem rursus operta desiderantur, desiderata quodammodo renovantur, renovata suaviter intimantur. His salubriter & prava corriguntur, & parva nutriuntur, & magna oblectantur ingenia. Ille huic doctrinæ inimicus est animus, qui vel errando eam nescit esse saluberrimam, vel odit ægrotando medicinam.

Aurea

Aurea Sententia S. Prosperi.

IN sacris quanquam libris, quos nosse laboras,
Plurima sunt, Lector, clausa & opaca tibi:
Invigilare tamen, studio ne desine sancto,
Exercent animum dona morata tuum.
Gratior est fructus, quem spes productior edit,
Ultrò objectorum vilius est pretium.
Oblectant adoperta etiam mysteria mentem;
Qui dedit, ut quæras; addet, ut invenias.

Acta

ACTA
Sanctorum Apoſtolorum
Ad Literam Explicata.

HUic libro, cui titulus eſt, Πραξεις τῶν ἁγίων Ἀποστόλων, *Acta*, ſive *Actus ſanctorum Apoſtolorum*, fidem haberi vetabant Cerinthus illorum temporum æqualis, quemadmodum Hær. 36. à Philaſtrio proditum eſt, & Tatianus ac Severus M. Aurelii ævo, quemadmodum Hiſt. lib. 4. cap. 29. ab Euſebio. Nempe quem Hæreticus quiſque Novi Teſtamenti librum veſaniæ ſuæ putabat adverſari, hunc ſcilicet calculo ſuo damnabat. Hinc & à Manichæis libri hujus repudiabatur autoritas, quòd ejus autor ſcribat Spiritum Paracletum à Chriſto promiſſum in die Pentecoſtes advenisſe longè ante tempora Manis, Spiritum-ſanctum olim à Chriſto promiſſum ſe vocantis. Sed cùm liber iſte, ut benè advertit Aug. in lib. de utilitate credendi, cap. 3. tanta in ſe habeat ſimilia his, quæ Manichæi de divinis Scripturis accipiunt & credunt, magnæ ſtultitiæ videtur eſſe, quòd non hunc quoque credant & accipiant. Hujus libri ſcriptorem ſe prodit Lucas in Proœmio ad eundem Theophilum, quem in Evangelii ſui aditu compellat, illíque ſe res a Chriſto geſtas literis jam ante mandaſſe ſignificat. Ita hi ſibi libri, alter alteri, autoritatem conciliant. Præclarè itaque Hieronymus in epiſtola ad Paulinum, *Actus Apoſtolorum nudam quidem videntur ſonare hiſtoriam, & naſcentis Eccleſiæ infantiam texere; ſed ſi noverimus ſcriptorem eorum Lucam eſſe medicum, cujus laus eſt in Evangelio, animadvertemus pariter omnia verba illius animæ languentis eſſe medicinam.* Egregium autem cùm univerſæ Evangelicæ hiſtoriæ, tum præcipuè Evangelio Lucæ atque Actis etiam Apoſtolorum ab eo ſcriptis, antiquitatis teſtimonium commodat Philoſtratus, Severo Auguſto coævus. Pleraque enim Chriſti, Apoſtolorúmque miracula, ex his libris adeò manifeſtè in Apollonium ſuum tranſcripſit, ut ne à verbis quidem ipſis uſurpandis abſtinuerit. Id Clariſſimus Huetius demonſtrationis Evangelicæ propoſitione nonâ, cap. 147. num. 4. luculenter demonſtrat. Joſephus natione Judæus, dignitate Comes, uti teſtatur Epiphanius Hær. 30. quæ eſt Ebionæorum, apud Scythopolim in occulto Judæorum gazophylacio unà cum Evan-

gelio Matthæi Hebraicâ linguâ ipſiuſmet manu conſcripto, & Evangelio Joannis è Græco in Hebræum ſermonem converſo, & hunc librum, qui maximè ſpectabilia Apoſtolorum geſta continet, è Græca in linguam Hebræam tranſlatum reperit, *anno*, ut ait Sixtus Senenſis in Bibliotheca ſancta, *ab ortu Chriſti trecenteſimo ſeptuageſimo*. Aureus hic liber totus ſingularem Dei providentiam in colligenda ſibi ac conſervanda Eccleſia ob oculos ponit. Aperit & explicat quale fuerit Chriſtianæ Eccleſiæ exordium, qualiter auſpicati ſint Evangelii prædicationem Apoſtoli, quàm ſtrenuè & fortiter, reluctante totius mundi potentiâ, omnibus qui tunc rerum potiebantur ad Evangelium opprimendum armatis, pauci homines, obſcuri, inermes, & contemti, ſolo veritatis & ſpiritûs præſidio freti, in propaganda Chriſti fide laboraverint, nihil refugerint laboris vel diſcriminum, contra omnes pugnas ſteterint infracti, donec tandem victores emergerent, & magnificè de tota mundi ſuperbia admirabilis ſub crucis ignominia Dei virtus triumpharet. Capita hujus libri ſunt viginti octo, partes autem præcipuæ quatuor. Harum prima primis octo capitibus Eccleſiæ Novi Teſtamenti originem & progreſſum inter Judæos ordine narrat. Altera à capite nono ad decimum ſextum deſcribit quantoperè Eccleſia inter Gentes dilatata fuerit ac propagata. Tertia pars, à capite decimo ſexto ad viceſimum, diverſas Pauli peregrinationes uſque ad poſtremum iter Hieroſolymitanum recenſet. Quarta denique à capite viceſimo ad finem quantâ tolerantiâ innumeras moleſtias, tædia, indignitates Paulus devoraverit, quàm patienter ſævos perſecutionum fluctus ſuſtinuerit, quàm denique in probris & omne genus ærumnis perferendis æquus fuerit, commemorat.

CAPUT PRIMUM.

1. *Primum*, &c. Ab hiſtoria Evangeſii, dicta & facta Chriſti complectente, ad Acta Apoſtolorum, hanc Evangeliſta Lucas tranſitionem facit. Quod autem Vulgatus interpres τὸν πρῶτον pro Comparativo πρότερον poſitum, cùm de altero Lucæ libro agatur, *primum* vertit, id ſecutus eſt Beza, atque tuetur ipſius autoritate Ciceronis, qui priorem de inventione librum citans in ſecundo, *In primo*, inquit, *libello diximus*. Πρῶτος *primus*, pro Comparativo πρότερος *prior* uſurpatur & à Joanne in Evangelii ſui cap. 1. ver. 15. & 30. cap. 15. ver. 18. & in epiſtola prima ipſius canonica, Cap. 4. ver. 19.

Ser-

Sermonem feci. Græciſmus, id eſt, librum conſeci Sic apud Lucianum, ἀληθῶς ἱστορίας λόγῳ πρῶτῳ, *veræ hiſtoriæ ſermo primus*, id eſt, liber primus, & ἑβδομὸν λόγον, *ſeptimum ſermonem*, Galenus ſeptimum librum vocavit.

De omnibus. At non omnia, quòd liceat quidem de operibus & doctrina Chriſti aliquò uſque diſſerere; totam verò ſeriem pertexere, ut plena ſit narratio, nimiæ ſit molis. Quemadmodum Joannes Evangelii ſui cap. 21. ver. 25. admonet Mundum libros non capturum.

O Theophile. Hic Theophilus, cui Lucas & Evangelium ſuum deſtinat, multis videtur fuiſſe vir quiſpiam ampliſſimæ dignitatis. Adjunctum enim Epitheton, Luc. 1. v. 3. Κράτιστε, *optime*, ſeu *præſtantiſſime*, viris principibus & qui magnâ ſunt autoritate tribui ſolitum, omninò aiunt oſtendere proprium alicujus nomen eſſe. Autor Librorum Recognitionum ſub nomine Clementis primi Romani Epiſcopi, lib. 10. prope finem, ait hunc Theophilum fuiſſe virum principem Antiochiæ, qui à Petro ad Chriſti fidem converſus, ædes ſuas publicis & ſolemnibus Eccleſiæ Congreſſibus dedicavit. Theophylactus Argum. in Luc. hunc Theophilum vocat συγκλητικὸν ἄνδρα καὶ ἄρχοντα ἴσως, *virum Conſularem, & fortaſſe principem.* Quidam apud Abulenſem in Prologo in Mat. Q. 21. putat eundem Antiochiæ Principem Theophilum fuiſſe poſt diſceſſum Petri ejus urbis Epiſcopum; eóque hortatore Evangelium & Acta Apoſtolorum à Luca conſcripta eſſe. Grotius eum cenſet in aliqua Achaiæ urbium magiſtratu functum, & a Luca baptizatum. Verùm quamvis κράτιστος, & adjectivum nomen *optimus* apud Latinos Scriptores ſit epitheton, quo viri in dignitate conſtituti inſigniantur, atque ita tribuatur à Paulo utrique Judææ Procuratori, Felici & Feſto infrà, cap. 23. ver. 26. & cap. 26. ver. 25. à Joſepho in fine libri de vita ſua Epaphrodito, cui illum librum dedicat, & Diogneto à Juſtino Martyre brevem religionis Chriſtianæ inſtitutionem ad ipſum perſcribente; non tamen videtur eſſe dignitatis nota in Theophilo, cui Evangelium ſuum Lucas nuncupat; cùm credibile non ſit hoc epitheton à Luca fuiſſe omiſſum, dum eidem Theophilo *Acta Apoſtolorum* inſcribit, ſi dignitatis titulus fuiſſet. Itaque Origenes Hom. 1 in Luc. Ambroſ. in Luc. 1. & Epiphan. Hær. 51. quæ eſt Alogorum, volunt probabile eſſe & quaſi veriſimile Theophilum à Luca uſurpari ut nomen appellativum eorum omnium, qui Chriſtianam religionem Dei amore ſunt profeſſi. *Nec debet*, inquit Camero in Luc. 1. *id inſolens videri, cùm ſimili* Περισφωνήσει *uſus ſit Athanaſius; nam in libris de Incarnatione indiſcriminatim* μακαρίων & φιλόχριστον *vocat, (interdum utrumque vocabulum conjungit) quo non certum aliquem virum, ſed indefinitè quemlibet pium & verè Chriſtianum hominem compellat.*

Quæ cœpit Jesus facere & docere. Hoc est, quæ ad salutis nostræ summam faciunt ab initio operum & doctrinæ Christi. Eruditè Græcorum scholia, περὶ πάντων φησὶ τὸν λόγον πεποιῆσθαι ἀπ' ἀρχῆς μέχρι τῆς ἀναλήψεως, *de omnibus ab initio, usque quò in cœlum sublatus est, scripsisse se dicit.* Hoc & Chrysostomus adnotavit, οὐχ ἁπλῶς περὶ πάντων, ἀλλ' ἀπ' ἀρχῆς μέχρι τέλους, *non tantùm de omnibus, sed à principio de omnibus ad finem dixisse se ait.* Atque hoc est, quod in proœmio Evangelii sui Lucas dicit, v. 3. assecutum se omnia diligenter ἄνωθεν, *à principio:* quæ videlicet Christus potens opere & sermone, quamdiu in terra versatus est, memoranda fecit & docuit. Alii volunt usitato hîc dici Hebraismo, *quæ cœpit Jesus facere & docere* pro *fecit & docuit*, ut infrà cap. 2. ver. 4. *Et cœperunt loqui* pro *& locuti sunt.* Præclarè pro more Calvinus, *Nunc*, inquit, *videmus Evangelii summam duabus his partibus contineri, Doctrinâ Christi & Factis: quatenus non tantùm legationem à Patre mandatam pertulit ad homines, sed reipsâ præstitit quæcunque a Messia requiri poterant. Regnum suum auspicatus est, sacrificio suo Deum placavit, sanguine proprio expiavit hominum peccata, diabolum mortémque subegit, restituit nos in veram libertatem, justitiam nobis vitámque acquisivit. Atque ut ratum esset quicquid gessit ac dixit, miraculis se comprobavit Dei Filium.*

2. *Usque in diem.* Alii videlicet nostri decimam quartam Juxta Usserium Armachanum.

Quâ præcipiens, &c. Q. d. Quâ, postquam Apostolis à se electis, ne quid nisi divinum traderent, dictasset per afflatum Spiritus-sancti quid docerent & concionarentur, in cœlum sublatus est. *Ejecerant quidem*, inquit doctissimus Johannes Lightfoot, *Apostoli dæmonia; & sanârunt morbos per Spiritum, at dubitare licet, an aliquid docuerant, quod non verbatim audiverant ab ore Magistri. Promiserat ille iis, eos Legem Mosis ligaturos & soluturos, dixerat is plurima supereſſe iis revelanda quæ adhuc ferre non poterant, de quibus illi instruendi per afflatum spiritûs. Cùm ille ergò resurrexerat, sustulerátque iis in facie, dicens*, Jo. 20. ver. 22. Accipite Spiritum-sanctum, *exinde illi imbuti spiritu, ut olim prophetæ, per quem dictatum est iis, quid concionarentur, quid exigerent, quid statuerent. Et jam nihil iis deest, nisi donum linguarum, ut, quod dictatum est, omnibus in propriis suis idiomatibus enuncient.*

Quos elegit. Q. d. Quos creavit legatos suos, qui biennio antequam pateretur commissam sibi Evangelii doctrinam per Judæam, & deinde post ipsius Resurrectione m per universum terrarum orbem publicarent. Hos legatos suos Christus Ἀποστόλους id est, *Missos* nominavit, Luc. 6. v. 13, Sic olim Imperatores Occidentis & Pontifices Legatos suos *Missos* vocabant, ut apud Anastasium Bibliothecarium & alios passim videre est.

Assumtus

Assumptus est. Id est, interventu nubis ab oculis hominum subtractus est, ut dicitur infrà, ver. 9.

3. *Quibus*, &c. Q. d. Atque ut Apostoli locupletissimi ac certissimi fierent testes Christi Resurrectionis, cujus veritate tota fundatur Evangelii Majestas, ipse redivivus gravissimis & firmissimis argumentis se verè à mortuis resurrexisse comprobavit, quoties per quadraginta dies Resurrectionem inter & Ascensum ipsius in cœlum intermedios Apostolis se videndum obtulit, & cum eis de regno Dei disseruit.

Præbuit seipsum vivum. Id est, se redivivum comprobavit.

Post passionem suam. Hoc est, postquam indignâ, nostræ salutis ergò, morte peremtus fuit.

In multis argumentis. Hebraismus, id est, multis evidentibus signis, quæ vim potentissimæ atque inexpugnabilis probationis haberent. Græcè, ἐν πολλοῖς τεκμηρίοις, *in multis signis indubitatis.* τεκμήρια, inquit Beza, *sicut ex Aristotele testatur Quintilianus*, lib. 5. cap. 9. *indubitata & necessaria signa vocant, sicut hæ actiones*, Loqui, Ambulare, edere, bibere, τεκμήρια *sunt vitæ. Item*, sese conspiciendum & manibus contrectandum præbere, τεκμήρια *veri & naturalis corporis. Item*, pedum, manuum & lateris vulnera exhibita, τεκμήρια *sunt, illud ipsum corpus resurrexisse, quod crucifixum & lanceâ confossum fuerat. Item*, sanguis & aqua ex confosso latere promanans, *certissimum vulneratorum præcordiorum & mortis* τεκμήριον. *Illa sunt igitur, quibus affirmat Lucas Christum suæ resurrectionis fidem fecisse, quæ superiore libro*, id est, in historia sua Evangelica, *copiosiùs narravit.*

Apparens. Sæpè ac diù. Nimirùm valdè necesse erat, ut Christus propter discipulorum infirmitatem, sæpenumerò, & aliquantò longiori tempore cum iis versaretur, ut plenam iis faceret resurrectionis suæ fidem. Scimus enim quàm difficilè adduci potuerint ut eam crederent, & eos initio cùm ipsis apparuit, credidisse illudi oculis suis, & se spectrum aliquod videre.

Et Loquens de regno Dei. Hoc est, de spirituali regno, in cujus possessionem ipse Christus per suum in cœlum ascensum erat ingressurus. Rudes admodùm erant adhuc Apostoli in multis fidei capitibus, quæ ante Christi necem præjudiciis suis obcæcati satis capere non potuerant, etiamsi ab ipso sæpiùs audivissent. Redivivus igitur ferè sesquimensem distulit ascensum suum, eóque intervallo spatium sufficiens & idoneum sumsit ut Apostolos erudiret de iis quæ ipsos scire intererat; ut demandato muuere fideliter defungerentur.

4. *Et convescens.* Græcè, Συναλιζόμενος. Est autem Συναλίζω, *communi mensâ utor, convescor, eodem sale aut cibo vescor*, ab ἅλς, quod est, *sal*; unde Proverbium, *multos modios salis cum aliquo consumsisse*, est diù cum aliquo eodem usum esse convictu. *Sunt*, inquit eruditis-

simus Eques Eduardus Leigh in Critica sacra, *qui exemplis probare conantur* Συναλίζεσθαι *talem propriè notare congregationem, quæ, obtentâ victoriâ*, militum ex pugnâ *dispersorum esse solet. Item quâ pastor dispersas oves sub tectum colligit: quæ significationes optimè congruerent huic loco, quia Christus discipulos fugitivos velut dispersas oves iterùm colligit, & ad spiritualem militiam armavit.* Idem ibidem, Συναλίζεσθαι *est verbum militare, significans commorationem Ducis victoris in ipso vestigio commissi prælii.* Doctissimus Lightfoot vocem συναλιζόμενος non ab ἅλς, quod est, *sal*, sed ab ἁλία deducit, quod est, *cœtus congregatus*. Cum autem Christus à mortuis redivivus discipulis nunquam apparuerit nisi ex inopinato & non expectatus, præterquam in monte Galilææ, ubi conventum ipse indixerat, constituerátque, Mat. 28. v. 16. huc ille vir eruditissimus præsentem versiculum refert, ut sensus sit: Jesus paulò ante ipsius in cœlum ascensum congregatus cum quingentis fratribus (1 Cor. 15. v. 6.) in monte Galilææ, ubi conventum ipse indixerat, Mat. 28. v. 16. discipulos suos non facilè Hierosolymam Christi sanguine adhuc madentem absque expresso mandato reversuros jussit illuc è vestigio regredi, nec inde egredi priusquam promisso sibi Spiritu-sancto donarentur.

Expectarent promissionem Patris. Ita vocat hîc & Luc. 24. v. 49. Donum Spiritus-sancti à Patre credentibus promissum, Esa. 44. v. 3. Ezech. 36. v. 26. & 27. & Joel 2. v. 28.

Quam audistis, inquit, per os meum. Q. d. Cujus promissionis fidem me vobis præstiturum dixi, Luc. 24. v. 49. Transitus porrò qualem hîc habes ab obliqua ad directam orationem, frequens est in historiis.

5. *Quia Johannes &c.* Q. d. Nam paucis interjectis diebus in vobis ipsis experiemini quàm verè præcurser meus Joannes dixerit olim se quidem baptizare aquâ, me autem baptizaturum Spiritu-sancto. Vide Explicationem nostram literalem, Mat. 3. v. 11.

Baptizabimini. Βαπτίζειν, inquit vir inexhaustæ eruditionis Casaubonus, *tanquam ad tingendum mergere est, atque hoc sensu verè dicuntur Apostoli* Βαπτισθῆναι. *Domus enim in qua hoc peractum est, Spiritu-sancto fuit repleta: ita ut in eam tanquam in κολυμβήθραν quandam Apostoli demersi fuisse videantur.* Hinc Oecumenius, infrà ad cap. 2. v. 2. adnotat, ἐπλήρωσε τὸ εἶκον ὅλον ἡ πνοὴ, κολυμβήθρας δίκην ἀναπληρώσασ· ἐπεὶ καὶ ἐπῆγγελτο αὐτοῖς, Ἐν πνεύματι βαπτισθήσεσθε; hoc est Casaubono interprete, *Replevit totam domum flatus, ut esset piscinæ similis: quandoquidem Apostolis promissum fuerat fore ut baptizarentur Spiritu-sancto.*

Non post multos hos dies. Christus quasi digito videtur monstrare dies istos pauculos inter id tempus quo discipulos jussit Hierosolymis non excedere, & adventantem Pentecosten interceſſuros. 6. *Igitur*

6. *Igitur qui convenerant.* Græcè, οἱ μὲν οὖν ϛυνελθόντες, *quum igitur illi convenissent*, omnes videlicet Apostoli Hierosolymam.

Interrogabant tum, Sibi ipso sui in cœlum ascensûs die apparentem, ut patet ex 1 Cor. 15. v. 7. & Luc. 24. v. 50. & 51. simul collatis.

Si in tempore hoc restitues regnum Israel? Hoc est, numquid modò à mortuis redivivus super Israelitas more aliorum regum regnaturus es, eósque à jugo Ethnico redemturus? Christus proposuerat revera Israeli regnum restituere, sed non terrenum & carnale, uti modò & aliàs subinde imaginabantur Apostoli, sed spirituale & cœleste, revocando populum hunc ab incredulitate ad cognitionem suam, ut in medio ejus per Evangelium suum dominaretur. Quod paulus prædicit futurum, Rom. 11. v. 25, & seqq. sed quia propter præjudicia quibus obnubilatam mentem habebant, nondum poterant capere hoc mysterium, contentus refrænare eorum curiositatem, ratione temporis quo id debebat contingere, & nihil ipsorum intererat scire, addit, *sed vos accipietis virtutem Spiritus-sancti in vos*, &c. Q. d. Cœlestis ille doctor, quem ad vos missurus sum, instituet vos de eo quod nunc à me quæritis, qualis nempe sit futura illa regni Israelitici restitutio quam expectatis; licèt quod ad tempus, id sit arcanum quod nondum Patri meo videtur consultum vobis revelare, quia absque eo demandatum munus sufficienter obire potestis. Sunt qui existimant regnum Israeli tunc fuisse à Christo restitutum, cum Ecclesia Christi, quæ est Israel secundum spiritum, cœpit à regibus & principibus Christianis administrari: quales fuerunt trecentos post annos Constantinus Magnus & sequentes Imperatores, sed potior mihi videtur interpretatio priùs allata. Quamvis enim per istos principes Ecclesia requieverit à Persecutionibus, tamen ambitio, avaritia & tot alia mala in eam ingressa sunt, ut non verè possit dici regnum ita Israeli restitutum.

7. *Non est vestrum nosse tempora*, &c. Q. d. Non est vobis utile neque expedit, sive, ut habet versio Anglicana, *It is not for you*; vobis non concessum est scire in quodnam temporis punctum constituta sit regni Israelitici restitutio, quia hoc ea inter mysteria est, quæ Pater cœlestis latere vult, ut sibi suo arbitrio, præter hominum opinionem, & supra humani ingenii captum moderanda sumsit. *Mos est Christi*, inquit Grotius hic, *arcana dispensationes ad Patrem referre*, *Mat.* 20. *v.* 23. *Mar.* 13. *v.* 32. Vide iisdem in locis explicationem nostram literalem.

8. *Sed Accipietis*, &c. Q. d. Sed ego virtutem, quâ vos destitui scio, è cœlis sufficiam, & pectora vestra cœlesti spiritu imbuam, ut discatis patienter expectare Israeli promissam regni non terreni, ut modò somniatis, sed spiritualis restitutionem, atque interim Evangelii doctrinam toti mundo publicare. Resur-

rectionémque meam, sine qua totum evangelium corruit, vestro testimonio comprobare.

Et eritis mihi testes, &c. Aug. in ep. 199. editionis novæ Parisiensis, al às 80. num. 49. *non*, inquit, *sic dictum est Apostolis*, Eritis mihi testes, &c. *tanquam ipsi soli, quibus tunc loquebatur, tantum munus fuerint impleturi: sed sicut solis videtur dixisse quod dixit.* Ecce ego vobiscum sum usque in consummationem seculi; *quod tamen tum universæ Ecclesiæ promisisse quæ aliis morientibus, aliis nascentibus, hic usque in seculi consummationem futura est, quis non intelligat? sicut eis & illud ait, quod ad eos omninò non pertinet, & tamen sic dictum est, tanquam ad soles eis non pertineret.* Cùm videritis hæc omnia, scitote quia prope est in januis. *Ad quos enim hoc pertinet, nisi ad eos, qui in carne tunc erunt, cùm omnia complebuntur? Quantò magis illud quod ex magna parte per eos agendum fuit, quamvis & posteris eorum eadem actio servaretur?*

In Jerusalem. Apostolos Hierosolymis auspicari evangelii prædicationem oportuit, ut impleretur prophetia, *Es.* 2. v. 2, 3. Mich. 4. v. 1, 2. Vide quæ de nomine Jerusalem diximus, Mat. 2. v. 3.

Et in omni Judæa. Nimirum Latè sumta, quæ Christi ætate in sex divisa erat partes, in Galilæam, Samariam & Judæam strictè sumtam, quæ cis Jordanem fluvium & ad mare Mediterraneum, & in Trachonitidem, Ituream, sive Peræam, & Idumæam, quæ trans Jordanem & in Mediterraneis positæ sunt. Privilegia sua Judæis servata vult Christus, usque dum ipsi ea improbitate & perversitate suâ alienarent perderéntque. Nec gentibus, nec Samaritanis prædicationem evangelii indulget ante oblatam eam genti Judaicæ, quia missus à patre erat Circumcisionis Minister, ad reddenda promissa, quæ olim Judæorum Patriarchis fuerant data, Rom. 15. v. 8. Vide explicationem nostram literalem, Mat. 10. v. 5.

Et Samaria. Q. d. Ab omni Judæa latè sumta ne Samariam quidem excipio, ut olim Mat. 10. v. 5. sed expressis verbis injungo vobis munus prædicandi Evangelii in Samaria, ut in reliquis Judææ partibus. Huic mandato obtemperans Philippus diaconus, Jesum in Samaria primus prædicavit, idque ab Apostolis comprobatum fuit, missis ad Samaritas Petro & Joanne, qui Credentibus Spiritum-sanctum per Impositionem manuum communicaverunt infrà, Cap 8. v. 17. Est autem Samaria regio Palestinæ inter Judæam strictè dictam ad Meridiem, & Galilæam ad Septentrionem, Tribus Ephraim & Manasse cis Jordanem complexa, sic appellata ab urbe totius regionis Metropoli ejus nominis, quæ à monte vocitata, ut & mons, à quodam Somer domino montis, uti constat ex 3 Reg. 16. v. 24. In urbe Samaria ex quo condita fuit ab Amri, seu Omri, rege

Israelis,

Iſraelis, reges ſedem habuere, qui decem tribus à familia Davidica avulſas poſſederunt, donec Salmanaſar Aſſyriorum Rex earum ultimum regem Oſeam Captivum abduxit, & obſeſſâ per triennium urbe, ac tandem expugnatâ, illas decem tribus in Aſſyriam tranſportavit & per Mediam diſperſit, ne ipſius imperii jugum excuterent. Salmanaſari nepos Aſarhaddan ſeu Aſſarhaddon, qui & *Aſenaphar magnus & Glorioſus* vocatur, 1 Eſdræ 4. v. 10. Asbazareth 3 Eſdræ 1 5. v. 69. Aſſaradinus à Ptolomæo & a Joſepho Aſſeradochus, filius Sennacherib natu minimus, parenti à filiis natu majoribus furiali cæde occiſo ſubrogatus, incorditam colonorum multitudinem ex Cuthæorum, Babyloniorúmque & Chamathæorum, ac Sepharvaimitarum Chavæorúmque ſedibus collectam in vacuam Iſraelitarum ab ipſius avo deportatorum regionem tranſvexit, ut Samariam ex hæreditario deinceps jure poſſiderent, urbſéque ejus inhabitarent, ut videre eſt 4 Reg. 17. v. 24. 1 Eſd. 4. v. 2. & 10. 3 Eſd. 5. v. 69. Hi novi Coloni dicti ſunt à Græcis Samaritæ, non *quod linguâ Aſſyriorum Cuſtodes Samaritas vocant*, ut ait Sulpitius Severus, ſed quia Samariam incolebant; & Cuthæi ab Hebræis, quia potior eorum pars oriunda erat ex Cuth ſeu Cutha regione Perſidis, à fluvio כותה *Cutha*, cui adjacet, ſic nominatâ, uti teſtatur Joſephus 9 Antiq. cap. 14. Cuthæi iſti quum primùm Samariam inhabitabant, Deum Iſraelis non colebant, ſed eorum quivis patrio Idolo inſerviebat: quibus per leones divinitus punitis, Aſſarhaddon unum ex deportatis ab avo ſuo Salmanaſar è Samaria ſacerdotibus remittendum curavit. Hic Bethele reſidens, docebat eos quomodo Deum colerent; ſecundum Jeroboami ritum ſcilicet. Illi, verò cum novo ſuo vitulo vetera etiam Idola ſua adorantes, & reveriti fuiſſe dominum dicuntur & non reveriti, cùm inter πολυθεότητα & ἀθεότητα non multum admodum intereſſe deprehendatur. Vide 4 Reg. 17. v. 25, 33. & 41. In Monte Garizim, in quo Legis benedictiones erant pronunciandæ ex Deut. 11. v. 29. templum ſequentibus temporibus habuerunt celeberrimum, à Sanaballat Cuthæo Samariæ præfecto inſtar Hieroſolymitani ædificatum. Verum illud Hyrcanus Judæorum ſummus ſacerdos poſt annum ducenteſimum quàm conſtructum fuerat diruit, uti refert Joſephus 13 Antiq. cap. 17. Hoc templo etiam diruto Samaritas publicum cultum Deo præſtitiſſe in eodem monte Garizim, patet ex Joa. 4. v. 20. Nimirum non ex præſcripto Scripturæ, ut montem Sion Judæi, ſed ex Patriarcharum exemplo eum Locum publico cultui deſignabant. Abraham, Gen. 12. vs 6, & 7. & Jacob Gen. 33. v. 18, & 20. dicitur extruxiſſe altare juxta Sichem duabis paraſangis ab urbe Samaria diſtantem: cùm autem huic Sichem mons Garizim imminear, Judic. 9. v. 7. Joſeph. 11. Antiq. cap. 8. & Patriarchæ montes

delige-

deligere solerent ad aras Sacrificas, Gen. 22. v. 2. 2 Reg. seu Sam. 24. v. 18. 2 Chron. 1. v. 3. probabiliter colligitur, à Patriarchis Abraham & Jacob in hoc ipso monte Garizim extructum fuisse altare Deo. *Samaritani*, inquit Thomas de Pinedo Lusitanus, *non credebant, nisi omniscii Moysis pentateuchon, hinc odii causa inter eos & Hebræos. Namque quemadmodum peccatum per legem, sic odium per religionis diversitatem ingreditur domos; quo morbo laborant homines obscuro loco nati & indocti, nobiles vero & docti vitia, non homines oderunt, quod illam vel istam religionem sequantur. Unde Samaritani Sacerdotem Eli tanquam magum traducebant calumniantes, quòd sacrificia, cultúmque sacrum, schismatico ausu, Schiluntem contra Dei præcepta transtulerat, ac etiam Samuelem Prophetam magum fuisse deblaterabant, ut patet ex Chronico Samaritano, cujus capitum epitomen exhibuit Hottingerus in suis Antimorinianis exercitationibus de Pentateucho Samaritano*, Cap. 41. *Judæi etiam ipsis par pari referebant. Aben-Ezra enim Hebræorum doctissimus ad Esther Librum statim in principio inquit Cuthæos pro illis verbis Geneseos*, In principio creavit Deus, *posuisse*, in principio creavit Asima. *Asima erat Idolum in formam hirci. Benjamin Tudelensis in suo Itinerario prodit eos carere tribus Literis Gutturalibus* ע, ח, ה. *Utrumque est falsum; quia in nullo Samaritano Pentateucho illud, quod inquit Aben-Ezra, apparet, & in omnibus inveniuntur Literæ illæ gutturales. Idolum vero quod pro Deo colebant* Cuthæi, ex quibus potissimùm constabat gens Samaritarum, *non erat Asima sed Nergal, ut elucescit ex Regum Libro* 4. c. 17. v. 30. Multa alia in odium Samaritarum Judæi confinxerunt; ut quod columbam coluerint, & ejus nomine circumeisi sint; quod adoraverint simulachrum à Jacob ex Assyria reveniente post urbem Sichem sub terebintho defossum. *Nullus dubito*, inquit laudatus de Pinedo, *imaginem Columbæ veneratos fuisse, cum Assyriorum Imperio parebant, signum enim Regum Assyriæ erat figura Columbæ, jam inde a Semiramide, ad quod alludit Jeremias*, cap. 25. v. 38. *ubi* à facie ire columbæ, מפני חרון היונה, *nihil aliud est, nisi à facie iræ regum Assyriæ. quia Assyriæ reges in vexillo gerebant imaginem Columbæ, ut nunc Hispaniarum reges gerunt imaginem Leonis; & Germaniæ Imperatores duplicis aquilæ figuram.* Verùm omnem Idolorum Cultum Samaritæ abdicavere, ex quo Sanaballat templum in monte Gerizim seu Garizim, venià ab Alexandro Magno impetratâ exstruxit, generúmque suum Manassen Jaddi fratrem ipsius Pontificem maximum creavit. *Quod Epiphanius ait Samaritas Pentecosten & Pascha in Autumno Celebrare, falsissimum*, inquit Jos. Scaliger; illud verò est verissimum, Samaritas nimirum rebus Judæorum secundis sese Judæos dixisse, à Nepotibus Joseph, Ephraim & Manasse oriundos, adversis autem rebus Judæorum, neque se Judæos esse, neque ullâ sanguinis necessitudine attinere palam fuisse professos.

Et usque ad ultimum terræ. Nempe ad salutis doctrinam per omnes Mundi plagas spargendam. Sic impletum fuit illud Esaiæ 49. v. 6. vaticinium cum similibus datum esse Christum Gentibus in lucem, ut sit salus Dei usque ad extremum terræ.

9. *Et cùm hæc dixisset.* Supple ex Luc. 24. v. 50. & 51. Eduxit Apostolos foras extra Hierosolymam in agrum Bethaniæ vici Mariæ & Marthæ sororum Lazari, quindecim ferè stadiis distantem Hierosolymis, Joann. 11. v. 18. Precantéisque manus protendens *benedixit eis. Ritus* εὐλογίας, *benedictionis*, inquit Grotius in Luc. 24. v. 50. *fieri solebat manibus impositis, id est,* διὰ χειρῶν ἐπιθέσεως, *ut videre est in historia Isaaci*, Gen 27. v. 4, 7, 12, 19. 21, 22. & *Jacobi*, Gen. 48. v. 9, 14, 15, 16, 17. *At quoties pluribus simul impartienda esset* εὐλογία. *Benedictio, compendii causa usurpabatur* χειροθεσία, *id est, manus protensio super eorum capita pro quibus preces offerebantur.* Ita Levit. 9. v. 22. ἐπάρας Ααρὼν τὰς χεῖρας αὐτοῦ ὅπῃ τὸν λαὸν, εὐλόησεν αὐτούς, *protendens Aaron manus suas supra populum, benedixit eis*, id est, benè precatus est.

Videntibus illis. Id est, non disparuit, non fuit factus ἄφαν[ὲ]ς & *inconspicuus*, ut Luc. 24. v. 31. sed sensim, ipsis discipulis conspicientibus, fuit divinâ virtute sublatus ad nubem usque, quæ eum posteà excepit, & ab oculis discipulorum sustulit. Verum ut non ab omnibus Christus redivivus promiscuè voluit conspici, ita non quoslibet sui in Cœlum ascensus testes admisit: quia hoc fidei mysterium Evangelii præconio cognosci magis quam oculis cerni volebat. *Magnarum*, inquit Leo de ascens. Ser. 2. *hic vigor est mentium, valde fidelium lumen est animarum, incunctanter credere quæ corporto non videntur intuitu, & ibi figere desiderium quò nequeas inferre conspectum. Hæc autem pietas unde in nostris cordibus nasceretur, si in iis tantum salus nostra consisteret quæ obtutibus subjacerent?* Similiter. Aug. tract. 68 in Joa. *Fides*, inquit, *eorum qui Deum visuri sunt, quamdiu peregrinantur, corda mundantur, quod non videt credit: credenti colligitur meritum, videnti redditur præmium. Eat ergo dominus & paret locum; eat ne videatur. Lateat ut credatur. Tunc enim locus paratur, si ex fide vivatur. Creditus desideretur, ut desideratus habeatur: desiderium dilectionis preparatio est mansionis.*

Elevatus est. Supple ex Luc. 24. v. 51. *dum benediceret illis.* Sic verbo *elevare* utitur Plautus, *Capedum*, inquit, *hunc lapidem & eleva.* Sulpitius Severus, lib. 2. Hist. Sacræ, *Illud*, inquit, *mirum, quòd locus ille in quo postremùm institerant divina vestigia cùm in Cœlum Dominus nube sublatus est, continuari pavimento, cum reliqua stratorum parte non potuit, Siquidem quæcunque applicabantur, insolens humana suscipere terra resueret, excussis in ora apponentium sæpè marmoribus. Quinetiam calcati Deo pulveris adio perenne documentum est, ut*

vestigia

vestigia impressa cernantur. Et cum quotidie confluentium fides certatim Domino calcata diripiat, damnum tamen arena non sentiat; Et eadem adhuc sui speciem; velut impressis signata vestigiis terra custodit. De sanctis Domini vestigiis pristinum statum continuò recipientibus, quicquid homines molirentur, commemoravere Pseudo-Hieronymus in libro de locis Act. Apost. Paulinus Ep. 11. ad Severum, Beda de locis Sanctis, cap. 7. Verùm tanti hujus miraculi, quum nulla extet apud Eusebium, Socratem, Theodoretum, Sozomenum, & Mythistoricum Nicephorum mentio, conjicere est, quantùm sibi superiora secula permiserint in fingendis ex animi libidine narratiunculis, quas pro veris miraculis plebi talium avidæ obtruderent. Imo nec inter se mythologi hac in fabula consentiunt; Baronius enim A. D. 34. num. 232. post Burchardum Christi in cœlum ascendentis vestigia dicit impressa *Lapidi*; Paulinus *Cespiti virenti*; Sulpitius Severus *Pulveri* vel *arenæ*, Pseudo-Hieronymus denique & Beda *Humo* seu *terræ*. Cui credas? Certè nemini. *Credat Judæus Apella, non ego.* Nec Pseudo-Hieronymus à seipso hæc Christi ascendentis vestigia esse visa testatur, contentus dicere, *ut perhibent*, Plus valet unus testis oculatus, quàm auriti decem. Hornius credit hanc fabulam ortam ex Eusebii verbis malè intellectis; ille enim lib. 3. de vita Constantini Cap. 41. agens de Helenæ in Judæam adventu, ait, ὡς δὲ τοῖς βήμασι τοῖς σωτηρίοις τὴν πρέπουσαν ἐπεδίδου προσκύνησιν, id est, Christophorsono interprete, *Ac posteaquam locis, in quibus servatoris erant impressa vestigia, debitam venerationem adhibuerat.* Quæ non de Oliveti monte, sed in genere de Judæa dicuntur, *Ubi*, ut Optatus Milevitanus Lib. 6. contra Parmenianum Loquitur, *secundum hominem suum natus est Christus, ubi ejus sancta sunt impressa vestigia, ubi ambulaverunt adorandi pedes, ubi ab ipso facta sunt tot & tantæ virtutes.*

Nubes suscepit eum ab oculis eorum. Quod nubes Christum susceptum abstulit ab oculis Apostolorum, id ipsi non adminiculo fuit ad ascendendum, nubes enim non est solidum corpus, quod talem usum præstare possit; cui adde, altissimas nubes vix unum aut alterum milliare supra terram attolli, ut pote ex exhalationibus terræ & aquæ vaporibus ortæ: sed ad magnificentiam fecit. Sic enim etiam de ipso Deo dicitur, *Psal.* 104. *v.* 3. *Qui ponit nubes currum suum.* Et in eundem sensum, *Caligo sub pedibus ejus*, &c. Item, *Posuit tenebras*, nempe nubium, *latibulum suum*, Psal. 18. v. 11, & 12. Obscuritas enim rebus divinis conciliat reverentiam.

10. *Cúmque intuerentur.* Acrioribus videlicet oculis, atque animis.

Eunten illum, Gr. πορευόμενον αὐτὸν, *eunte illo*, nempe, in Cœlum, ut patet ex versu mox subsequente.

Ecce duo viri. Id est, Angeli formâ virili.

In vestibus albis. Albus Color est sincerus, omnium simplicissimus

simus & mundissimus, nullum fucum agnoscit, nihilque sibi habet adjunctum aliunde. Pulcherrimè itaque depingit candorem animi, justitiam & sanctitatem. Sic Angeli hîc & Matth. 28. v. 3. Mar. 16. v. 5. Joan. 20. v. 12. Martyres & omnes Sancti in cœlis, ubi nihil reperitur quod sit pollutum, albis vestimentis induti dicuntur, Apoc. 3. v. 4, & 5. 4. v. 4. 6. v. 11. & 7. v. 9, & 13. *Et sanè*, inquit eruditissimus Braunius, lib. 2. de vestitu Sacerdotum Hebræorum, cap. 26. num. 34. *colorem album fuisse signum munditiei, sanctitatis, ideoque, justitiæ & integritatis, ipsi Judæi fassi sunt. Nam is qui secundum Legem pollutus erat ex sacerdotibus, tenebatur è vestigio deponere vestes albas, tanquam indignus, ut nigris amictus abiret ex Templo. Quò respexisse videtur Joan. Apoc. 13. v. 4. Ubi dicit: Qui non inquinaverunt vestimenta sua, ambulabunt in albis, quia digni sunt. Albus igitur color in vestibus pontificum significabat Christi innocentiam, justitiam & sanctitatem; Hinc & albæ vestes dicuntur, Apoc. 19. v. 8. Justificationes sanctorum. Quamvis igitur vestes sacræ coccineo & purpureo colore Conspersæ fuerint, nihilominus eis etiam inerat color albus, imò quædam vestes totæ albæ erant. Sic utut Christus peccatis nostris* (quorum imago erat Coccinum, Esa. 1. v. 18.) *onustus fuerit, & sanguine* (quem purpura in sacro vestitu significabat) *pro peccatis conspersus, nihilominus erat sanctissimus & Justissimus.*

11 *Viri Galilæi.* Galilæorum nomine ab Angelis vocantur Christi discipuli ex Galilæa oriundi, sed a Judæis & Ethnicis omnes omninò Christiani contemtim sic dicebantur, uti observavimus ad Matth. 2. v. 22. ad hæc verba, *In Partes Galilææ*; vide sis ibidem. Julianus ὁ παραβάτης in epistola multùm crevisse ait Galilæorum religionem per humanitatem erga hospites.

Quid statis aspicientes in Cœlum? Id est, frustrà oculis in Cœlum defixis Christi reditum nunc expectatis. Aug. l. 2. Quæst. Evang. 38. num. 5. *Angeli*, inquit, *dicendo*, Quid statis adspicientes in cœlum; *quid aliud dixerunt nisi nullomodo posse oculos hominum usque in illud penetrare secretum quò ibat dominus, cùm in conspectu discipulorum ferretur in Cœlum?*

Hic Jesus, &c. Particula *hic* emphatica est, denotatque Angelos in Dominum Jesum quasi digitum intendisse. Aug. Ep. 187. aliàs 57. ad Dardanum, num. 10. *Noli itaque dubitare ibi nunc esse hominem Christum Jesum unde venturus est, memoriterque recole, & fideliter tene Christianam Confessionem, quoniam resurrexit à mortuis, ascendit in cœlum, sedet ad dexteram Patris, nec aliunde quàm inde venturus est ad vivos mortuosque judicandos. Et sic venturus est, illâ Angelicâ voce testante, quemadmodum ire visus est in cœlum, id est, in eâdem carnis forma atque substantia; cui profectò immortalitatem dedit, naturam non abstulit. Secundum hanc formam non est putandus ubique diffusus. Cavendum est enim, ne ita divinitatem adstruamus homi-*

nis,

nis,ut veritatem corporis auferamus.Non est autem consequens ut quòd in Deo est,ita sit ubique ut Deus. Nam & de nobis veracissima scriptura dicit,quòd in illo vivimus,movemur & sumus;nec tamen sicut ille ubique sumus;sed aliter homo ille in Deo quoniam & aliter Deus ille in homine, proprio quodam & singulari modo. Una enim persona Deus & homo est, & utrumque est unus Christus Jesus;ubique per id quod Deus est, in cœlo autem per id quod homo. Porrò ut benè advertit Leo,Ser.1.de ascens. *Christi Ascensio nostra provectio est & quò præcessit gloria capitis, eò spes vocatur & corporis.*

12. *Tunc.* Majestate videlicet Christi apertè cognitâ, ut regem gloriæ,mundique Judicem Apostoli ipsum adorant, atque adorato eo, ut patet ex Luc. 24. v. 52. regrediuntur Hierosolymam de pectore gaudentes, ob intellectam rationem admirabilem, qua procurata erat redemtio generis humani, & ob insignem Spiritûs-Sancti è cœlo in ipsos illapsum propè instantem & imminentem.

A monte qui vocatur Oliveti. Id est, à latere montis Oliveti extremo, cui adhærebat vicus Bethania, distante Hierosolymis quindecim ferè stadiis,ex Joan. 11. v. 18. cùm initium montis distaret itinere tantùm Sabbathi, seu quinque stadiis, utì legimus apud Josephum lib 20. Antiq. cap. 6. Porrò ne nimium longitudo montis Oliveti, sive latitudo protendatur, monet clarissimus Ludovicus de Dieu Joannem intelligi posse de stadiis Judaicis, cùm Josephus intelligendus sit de Græcis, *Atque ita,* inquit, *Bethania in extremo montis latere sita non longiùs ab ejus initio distabit, quàm hoc Hierosolymis. Quum enim quinque stadia Græca faciant septem Judaica cum dimidio, duplicato isto numero exurgent quindecim stadia Judaica, sive decem Græca, quæ exactè faciunt* שני מילין *duo Milliaria Judaica, sive iteratum iter Sabbathi. Quo sensu accipi potest illud Hieronymi de locis Hebraicis,* Bethania villa in secundo ab Ælia milliario, in latere montis Oliveti. Si verò Bethania non adhæsit monti Oliveti sed ultra eundem montem sita erat,ut vult Adrichomius,& aliquammultis ab eodem remota stadiis,utì exhibetur in Mappa Judaica ab Hebræis edita Amstelodami, ὑπέρκειται ἀπὸ ὄρους ἐλαιῶνος, vertendum est *Reversi* sunt per montem *Oliveti*,ut ἀπὸ ὄρους interjectum montem Oliveti inter agrum Bethaniæ,quò Christus in cœlum ascensurus suos discipulos eduxerat,& urbem Hierosolymam significet,quem transire necesse habuerint, ut à Bethania Hierosolymam venirent. *Sicut* inquit de Dieu *Joan* 11. v. 18. *dicitur Bethania fuisse vicina Hierosolymæ,* ὡς ἀπὸ σταδίων δεκαπέντε, *ferè per stadia quindecim.*ἀπὸ *significat interjecta quindecim stadia, quæ transire necesse est à Bethania Hierosolymam. Sic Apocalyp.* 14.v.20. *Exivit sanguis è torculari ad frænа equorum* ἀπὸ σταδίων χιλίων ἑξακοσίων, *vulgatus & Beza* per stadia mille sexcenta; *rectè,* ἀπὸ *enim interjacens*

jacens ſpatium ſignificat. Unde Act. 14. *v.* 24. αὐτοὶ δὲ διελθόντες ἀπὸ τῆς Πέργης, *Vulgatus vertit*, illi vero pertranſeuntes Pergem. *Ex quo ſequeretur Chriſtum non ex monte Oliveti, quod tamen Hieronymus paſſim aſſerit, & hactenus fuit creditum ex conjectura loci, Act.* 1. *v.* 12. *ubi id tamen Lucas non dicit, ſed ex agro Bethaniæ, quod in evangelio ſatis apertè innuit, in cœlos aſcendiſſe: Apoſtolos autem ex agro Bethaniæ petiiſſe montem Oliveti, atque ex eo compendioſiſſimâ viâ reverſos eſſe Hieroſolymam.*

Sabbathi habens iter. Hoc eſt, Jeruſalem inter & initium montis Oliveti, ſpatium itineris Sabbathici intereſt. Vide explicationem noſtram literalem, Mat. 24. v. 20. *Facilè* inquit mox laudatus de Dieu, *hoc cum Joſepho montem hunc quinque ſtadiis ab urbe diſſitum eſſe aſſerente, conciliant viri eruditi. Iter enim Sabbathi bis mille cubitorum fuiſſe, quam longitudinem Hebræi* מיל Milliare *vocant, ex eorum Libris liquidò conſtat. Stadium autem Græcis fuiſſe centum paſſuum, paſſum ſex pedum, ſive quatuor cubitorum, ex his Herodoti verbis, lib.* 2. *liquet*: αἱ δὲ ἑκατὸν ὀργυιαὶ δίκαιαι εἰσι στάδιον ἐξαπλέθρεον; ἔξ ποδὸς ἑκάστου ὀργυίης, μετρεομένης ἐκ τετρεπάχεος, τῶν δὲ ποδῶν ἑκατὸν τετρεπαλαίων ἐόντων, τῶ δὲ πάχεϊ ἐξαπαλαίστης: id eſt, *Centum autem juſti paſſus ſunt ſtadium unum ſex jugerum, paſſus verò menſuræ ſex pedum, ſive quatuor cubitorum: pedes autem quatuor palmorum: Cubiti verò ſex palmorum.* Hactenus Herodotus. *Vides ſeſquipedem conſtituiſſe cubitum: ſexcentos ergò pedes, qui faciebant ſtadium, quadringentos cubitos: quinque ergo ſtadia, bis mille cubitos. Sed quomodo id cum Syro quadret, qui pro itinere Sabbathi habet* אית שבעא אסטרז, quaſi ſeptem ſtadia, *non adeo facilè expediverunt eruditi. Nos ſimpliciter ſtatuimus, Syrum non Græcorum, ſed Hebræorum ſtadia in mente habuiſſe, quæ ipſis* ריסין *vel* ריסין *dicuntur, quorum ſeptem cum dimidio faciebant* מיל, *ſive iter Sabbathi. Vide Baal Aruch in voce* רוס. *Vide & Mappam Judaicam Amſtelodami ab Hebræis editam, ubi ſeptem* ריסין *& dimidium faciunt* מיל, *ut quatuor* פרסה *unum.*

13. *Et cum introiſſent*, Scilicet in urbem Hieroſolymam.

In Cœnaculum aſcenderunt. Græce, εἰς τὸ ὑπερῶον. *In partem ædium ſuperiorem.* Cujus autem hæc domus fuerit, res eſt controverſa & plena diſſentionis inter doctos. Nicephorus lib 1. Hiſt. cap. 28. ex quodam Evodio prodidit fuiſſe domum Joannis Evangeliſtæ Zebedæi filii. Baronius A. D. 34. n. 236. & Beda divinant fuiſſe domum illius Mariæ matris Joannis qui cognominatus eſt Marcus, cujus Lucas inferiùs meminit. Theophylactus in Mat. 26. Simonis Leproſi fuiſſe domum credidit. Alii denique volunt domum fuiſſe vel Nicodemi, vel Joſephi ab Arimathæa. Ego cum clariſſimo Ludovico de Dieu exiſtimo hanc domum fuiſſe ipſum Hieroſolymitanum Templum, teſtante id eodem ipſo autore Luca Evangelii ſui cap. 24. v. 52. & 53. *Regreſſi ſunt*, inquit.

quit, *in Jerusalem cum gaudio magno: & erant semper in Templo laudantes & benedicentes deum.* Observa illic dici, *Erant semper*, ἦσαν διαπαντὸς, quod hic dicitur ἦσαν καταμένοντες, *erant commanentes*, quæ ut eadem sunt, ita nunquam conciliabis, si alibi quàm in Templo manserunt. *Nec obstat*, inquit clarissimus Ludovicus de Dieu, *quod aicantur* ascendisse εἰς ὑπερῷον, לעליה, *Syrus* לעליתא, *in Cœnaculum. Habuisse enim Templum in ambitu plurima* עליות, ὑπερῶα, *liquet ex* 1 *Paralip.* 28. *v.* 11. *&* 2 *Paralip.* 3. *v.* 9. *Item* לשכות *Cubicula, Conclavia, quale erat Jer.* 36. *v.* 10. לשכת גמריהו, *Conclave Gamariæ, in quo Baruch legit Librum Jeremiæ in domo Domini.* LXX. Καὶ ἀνεγίνωσκεν Βαρὼχ, ἐν τῷ βιβλίῳ λόγους Ιερεμίου ἐν οἴκῳ κυρίου ἐν οἴκῳ Γαμαρίου. *Ubi simul observandum non modo Templum vocari* οἶκον, *sed &* לשכה *Conclave verti* οἶκον *ibi & v.* 12, 20, *&* 21. *ut & cap.* 35. *v.* 4. *Planè sicut* ὑπερῷον, *ubi Apostoli erant, Act.* 1. *v.* 13. *Vocatur* οἶκος *Act* 2. *v.* 2. *Serviebant autem conclavia illa & cœnacula, non tantùm Templi custodibus ac Ministris, Sacerdotibus & Levitis, rebusque sacris asservandis, sed & religiosorum hominum conventui, ubi sacris vacabant. Hinc in conclavi Gamariæ legit Baruch Librum Jeremiæ. In ejusmodi conclavibus convenisse, & à filiis Eli stupratas fuisse pias mulieres constantem est, quæ dicuntur,* 1 *Sam.* 2. *v.* 22. הצבאות פתח אהל מועד *Castra habuisse ad ostium tentorii conventûs. Talem locum oportuit & Annam Prophetissam habuisse,* ἥ οὐκ ἀφίστατο ἀπὸ τοῦ ἱεροῦ, νηστείαις καὶ δεήσεσι λατρεύουσα νύκτα καὶ ἡμέραν, *Luc.* 2. *v.* 37. *Nec dubium quin talem sibi locum delegerint Apostoli, quum dicuntur Luc.* 24. *v.* 53. *fuisse semper in Templo laudantes & benedicentes Deo. Describit locum Lucas, Act* 1. *v.* 13. *Nempe fuisse* ὑπερῷον ἔνθα ἦσαν καταμένοντες, καὶ προσκαρτεροῦντες ὁμοθυμαδὸν τῇ προσευχῇ καὶ δεήσει. *Multumque id illustrat illustrem illum Spiritûs-sancti de quo sequenti capite, illapsum in Apostolos, si cum in Templo contigisse statuamus, ubi olim* שכינה *Majestas Dei habitaverat, sed jam à Captivitate Babylonica unà cum amissa arca exulaverat: ut typicam illam & umbratilem Dei præsentiam ex animo deponentes, ad veram illam aspirarent, quam Deus jam ibidem loci, ubi adumbrata fuerat præstitit. Et sicut* 1 Reg. 8. *v.* 10. *Nubes dicitur implevisse domum à Salomone structam ac dicatam, ita* Act. 2. *v.* 2. *ventus Spiritus-Sancti implevit eandem domum, non ut deinceps domui isti affixi hærerent, sed ut vento isto pulsi, gratiæ Evangelicæ aurâ totum mundum afflarent; atque ita verè Lex exivit ex Sion. Quapropter Erasmus paraphrasi ad Act.* 2. *cœnaculum hoc in monte Sion constituit, conferens enim hunc locum cum eo in quo olim lex data,* Utrobique *ait,* loci sublimitas, sed illic nihil aliud quàm mons est, quem populus etiam attingere prohibetur, nimirùm crassus & terrenus, nec capax rerum spiritualium, hîc in ipso monte domus est, ut agnoscas Ecclesiæ concordiam. Illic mons Sinai, qui conveniebat ferendæ Legi, quæ multitudine præ-

præceptorum coercet rebellem populum, nam à præcepto Sina dicitur. Hic mons Sion, qui Hebræis ſonat ſpeculam unde deſpiciuntur omnia terrena. *Nec obſtat, quod dicatur ventus implevisse ὄικον, domum, non ἱερὸν, Templum. Notum enim Templum Solomonis vocari* בית ראשון, *domum primam, Zorobabelis autem* בית שני *domum ſecundam.* Pertinet huc præclarus locus Haggæi 2. v. 6. & 9. : ומלאתי אני את־הבית הזה כבוד גרול יהי הכבוד הבית הזה האחרון מן הראשון: Et implebo domum iſtam gloriâ: major erit gloria domûs hujus poſterioris quàm prioris. *Id verè impletum Pentecoſte, quum* רוח הקדש *Spiritus-ſanctus, quo ornatum fuerat primum Templum, orbatum autem, ſatentibus Hebræis, una cum Arca, cum Urim & Thummim, cum igne perpetuo &* שכינה *præſentia majeſtatis, Templum ſecundum, implevit Templum illud cœleſti vento, Apoſtolóſque donis quæ omnes nationes in admirationem rapuere. Sic ut unus ille ſpiritus deinceps & Arcæ, & Urim & Thummim, & ignis perpetui vicem præſtiterit, umbráſque in veritatem convertens, Majeſtatem dei ubique terrarum Eccleſiæ præſentem dederit.*

Manebat. Græcè, ἦσαν καταμένοντες *erant Commanentes,* ſeu *Commanebant.*

Petrus, &c. Vide explicationem noſtram Matth. 10. v. 2 & 3.

Jacobus Alphæi. Supple, filius. Hic Alphæus creditur vocari Cleophas, ſeu Cleopas, Luc. 24. v. 18. quòd ea quæ vocatur Maria mater Jacobi Minoris & Joſe Marc. 15. v. 40. vocetur Joan. 19. v. 25. Maria uxor Cleopæ ſeu Cleophæ.

Judas Jacobi. Supple, frater, uti ſeipſum vocat in Epiſtola ſua Catholica. Hic ut rectiùs diſtingueretur à Juda Iſcariote Simonis filio, Joan 12. v. 14. nominis deflexione vocatus eſt Thaddæus, Mat. 10. v. 3. & ab oppido Lebba, Galilææ Maritimo, cujus meminit Plinius lib 5. cap. 19. eum Lebbæum dictum arbitratur Lightfoot in Horis Hebraicis in Mat. 10. v. 3. Aſt in editione Plinii Hackiana, quæ mihi eſt præ manibus, loco à Lightfoot citato non habetur *Lebba*, ſed *Jebba*.

14. *Hi omnes erant perſeverantes unanimiter in oratione.* Hoc Lucas aliis verbis dicit Evangelii ſui cap. 24. v. 53. *Et erant ſemper in Templo laudantes & benedicentes Deum.* Vox *unanimiter* notat eos non tantùm animis inter ſe conſpiraſſe, ac ſine rixis & contentionibus cohabitaſſe, verùm etiam, & quidem potiſſimùm in negotio religionis, ſigillatim autem in precibus, idem actitaſſe & deſideraſſe.

In oratione. Gr. τῇ προσευχῇ καὶ τῇ δεήσει, *oratione & deprecatione.* Hoc Lucas Evangelii ſui cap. 24. v. 53. exprimit his verbis, *Laudantes & benedicentes Deum.* Sic Paulus, 1 Cor. 14. v. 13 & ſeqq. Προσεύχεσθαι, ἐυλογεῖν, & ἐυχαριστεῖν pro eodem ponit. Sic & δέησις pro gratiarum actione videtur ſumi, Philip 1.

v. 4. Interdum tamen *δέησις* distinguitur à προσευχῇ, & tunc ponitur pro *deprecatione*, vel *precatione ad removendum & propulsandum malum*. Hinc Junius ad hunc locum, *Petebant*, inquit, *Discipuli tum Spiritûs missionem, tum à præsentibus periculis, quibus circumdabantur, liberationem.*

Cum mulieribus. Intelliguntur mulieres illæ, quarum mentio, Mat. 27. v. 55. & cum iis Apostolorum conjuges. *Nam*, ait Clarissimus Beza, *sicut rectè ab aliis est observatum, conveniebat Apostolorum etiam uxores confirmari, quas vel peregrinationis illorum comites esse oportebat, vel eorum absentiam patienter domi expectare. Vetustissimus autem meus codex addit etiam*, καὶ τέκνοις, & liberis.

Et Maria matre Jesu. E vulgo mulierum eximitur Maria, ut in mulieribus eximia. Hac phrasi David in titulo Ps. 18. liberatus fuisse dicitur de manu hostium & de manu Saulis, quia Saul hostium Davidis potentissimus. Et in Bibliis Hebraicis editis ab Athia Anno Domini 1667. רֶכֶשׁ equi genus præstantissimum subjicitur equis in genere, ubi dicitur 1 Reg. 5. v. 8. *Hordeum & paleam afferebant* לַסּוּסִים וְלָרֶכֶשׁ, *equis & reches.*

15. *In diebus illis.* Cùm videlicet Apostoli & reliqui Discipuli expectantes spiritûs-sancti adventum commanerent.

Exurgens Petrus. Cui delatus est primatus ordinis inter Apostolos, quia senior erat, ut aiunt Hieronymus, Cassianus, patréque alii quamplurimi.

Turba hominum. Quidam Latini codices antiqui cum Græcis habent, *nominum*, sed per nomina homines intelliguntur. Sic nomen Christi pro Christo ipso infrà, cap. 4. v. 12. Nomen Dei pro Deo legitur usurpatum, Psa 5. *v.* 12. & alibi. Sic apud Ciceronem pro Archia, *Quæris à nobis cur tantoperè hoc nomine*, id est, homine, *delectemur.* Tibullus, *nec fidum fœmina nomen.*

Ferè centum viginti. Nobilissimo itaque sanctissimóque huic collegio præter undecim Apostolos & septuaginta Discipulos interfuere triginta septem alii, qui cum iis complerunt numerum centum & viginti.

16. *Oportet impleri Scripturam.* Nempe juxta interpretationem Christi, ex cujus ore omnes, qui tum aderant Discipuli, mysticum sensum à Spiritu-sancto per os Davidis loquente intentum paulò antè intellexerant, cum Scripturas ipsis post resurrectionem interpretaretur, Luc. 24. v. 44. & 45.

De Juda. Impiorum Davidis hostium æmulo.

Qui. Cordis sui malitiâ.

Fuit dux eorum. Sicariorum, de quibus Jo. 18. v. 3.

17. *Qui*, &c. Gr, ὅτι, *quia*, pro adversativa particula *quamvis*. Q. d. A Diabolo seductus eò devenit impietatis ut Christum Dominum turpiter prodiderit, quamvis inter alia permulta bene-

beneficia hoc etiam fuisset adeptus, ut in numerum & collegium nostrum Apostolicum cooptaretur.

Sortem. Id est, munus vel officium. Sortem pro munere vel officio usurpari notum est ex Livio & Lexicographis. Κλῆρος Græce, & *sors* Latinè dicitur primò res aliqua sinui vel vasculo injecta, & postea rursus extracta, Prov. 16. v. 33. & infrà, v. 26. Deinde *sors* dicitur & κλῆρος quod per jactam sortem fit portio & peculium alicujus, Deut. 3. v. 6. *sors* denique & κλῆρος sumitur latè pro portione quæ cuique obvenit, sive sortitione, sive destinatione alicujus, sive alio quodam eventu: *& accommodatur*, inquit Brenius, *non tantùm bonis hæreditariis, dono aut labore acquisitis, sed etiam functionibus, ut hîc.* Porrò vocabulum κλῆρος longo usu factum est iis proprium, qui in Ecclesiastico ministerio sunt, cùm tamen in Scriptura nusquam Ecclesiæ pastores, sed greges hoc nomine insigniantur semel, 1 Pet. 5. v. 3. ubi Petrus Apostolus Presbyteris se adjungens tanquam compresbyterum, eos monet ne dominentur Cleris. *Per κλῆρος*, ait ad hunc Petri locum mox laudatus Daniel Brenius, *intelligit cœtus Fidelium ex Judæis & gentibus congregatorum, quibus per Christum sors obtigit in populo Dei. qui cùm peculium ejus sunt, & non res Episcoporum propria, non pro libitu sed ex præscripto agant oportet; allusione facta ad tribuum portiones in terra Chananæa sortibus divisas, & huc præcipuè quòd Israël peculiariter Domini funiculus atque hereditas dicatur.*

Ministerii hujus. Gr. τῆς διακονίας ταύτης. Διακονία cujusvis operis vel muneris functionem significat, sed infrà, v 25. dum additur ἀποστολῆς, & *apostolatûs*, restringitur ad Apostolatûs ministerium.

18. *Et hic quidem possedit agrum.* Non tanquam rem suam, sed tanquam æternum infamiæ monumentum. Dicebat enim populus præteriens, Hic est ager ille emtus triginta argenteis, quos Judas in pretium mercedémque nefandæ proditionis suæ acceperat. Fieri quoque potest ut ipse Judas in eo agro hospitibus sepeliendis destinato fuerit sepultus, atque ita sensus horum verborum, *Et hic quidem possedit agrum de mercede iniquitatis*, idem erit ac si dicat, Et hic quidem turpis lucri cupidine autorem salutis in manus Judæorum tradidit; at citò immiti consumtus morte ex tam infesto immanique scelere nihil consecutus est, nisi exiguam terræ particulam humando corpori in agro illo, quem sacerdotes pactâ Judæ mercede coemerant. Neque enim, ut Heinsius adnotavit, Lucas dixit, ἐκτήσατο τὸ χωρίον, ut ad totum referatur agrum, sed χωρίον, quod est, *partem* seu *particulam possedit agri.* De toto enim, seu de ipso agro mox cùm agit, non τὸ χωρίον tantùm, sed & τὸ χωρίον ἐκεῖνο. *Quid*, inquit Heinsius, *igitur χωρίον? Terræ pars aut loci, quantam simpe occupat defuncti.*

Et suspensus. Gr. καὶ πρηνὴς γενόμενος. Vox πρηνὴς propriè *non significat suspensum*, inquit Leigh in Critica Sacra, *sed pronum, præcipitem, ac propendentem in caput, exprimí tque habitum ac gestum laqueo præfocati, qui est vultus in terram dejectus, ut monet Erasmus.* Alii verò καὶ πρηνὴς γενόμενος, reddunt, *& præcipitatus.* Ut autem hæc versio concilietur cum Matthæo dicente cap. 27. v. 5. καὶ ἀπελθὼν ἀπήγξατο, quæ vetus interpres reddit, *Et abiens laqueo se suspendit*; quidam reddunt, *Et abiens angoribus confectus est.* ἀπάγχεσθαι enim, si Heinsio, Grotio & Brenio credimus, est *angi dolore & tristitiâ, atque compresso spiritu esse, sive quis inde moriatur, sive non.* Atque ita Matthæus non agit de Judæ morte, quæ contigit modo hîc à Luca narrato, sed de gravissimo exulceratæ conscientiæ tormento, quod Chrysostomus Hom. 22. ad Antiochenos vocat τῷ συνειδότι ἀπάγχεσθαι, *conscientiâ strangulari*, hoc est, opprimi conscientiâ scelerum suorum. Lightfoot ἀπήγξατο Matthæi vertit *strangulatus est.* Atque ita existimat Judæ mortem contigisse. *Cùm jam, post projectos in Templo proditionis suæ nummos, recederet Judas ad suos revarsurus, raptum eum in sublime Diabolus, qui in ipso habitabat, strangulavit ac præcipitem dedit, ita ut ad terram alliſus rumperetur medius, atque effunderentur illa, & tam horrendo exitu egrederetur diabolus.* Verùm cùm vetustissimus autor epistolæ ad Philippenses sub nomine Ignatii Martyris suspendii mortem adscribat Judæ, & Juvencus dicat Judam è ficu semetipsum suspendisse, illámque Beda de locis sanctis suo tempore superstitem fuisse Hierosolymis testetur, vulgata Matthæi versio videtur ceteris præferenda, quæ etsi habeat diversitatis aliquam speciem à narratione Petri de præcipitatione Judæ, nullam tamen habet contrarietatis. Matthæus expressit facti initium, Petrus finem, supplens divinitùs quod deerat narrationi Matthæi. Aptat quidem laqueum collo Judas, séque impellit ut facilitùs fauces elidat: sed quò magis eluceret Dei vindicta in horrida ac immatura infamis proditoris morte, casu omninò inopinato frangitur laqueus, & præceps corruit Judas vel in saxum asperum, vel in ligni truncum acutum, & ventre fisso intestina illi effunduntur. Ita Casaubonus. De Idumæorum decem millibus à Judæis è scopulo præcipitatis, *qui universi crepuerunt*, extat historia 2 Par. 25. v. 12. Papias, quem Eusebius narrat fuisse scriptorem futilissimum, ac nugas solitum comminisci ex prava interpretatione, quam dabat Apostolicis narrationibus, confundens Πρηνὴς *præceps*, & Πρησθεὶς *inflatus*, addénsque somnia sua, dixit corpus Judæ eò usque intumuisse, ut via per quam plaustrum agi facilè poterat, ipsum non caperet: obtritum igitur à plaustro fuisse, ejúsque viscera sic effusa. Similiter alterius fabulæ autores cùm legerent Judam possedisse seu acquisivisse agrum de mercede iniquitatis, finxe-

runt

runt agrum illum, cùm in eo Judas esset mortuus, propter horribilem fœtorem remansisse desertum & incultum.

19. *Et notum factum est omnibus habitantibus Jerusalem.* Horrendum videlicet hoc mortis genus, quo sacrilegus Christi proditor vitam turpem finiit.

Ita ut appellaretur ager ille. Mercede nimirùm proditionis coemtus, & proditoris sepulturâ, forsan & fato infamis. Multis enim persuasum est Judam in hoc ipso agro meritâ morte periisse, atque ex isto eventu sacerdotes magis motos fuisse, ut in istius agri emtionem oculos dirigerent.

Linguâ eorum. Gr. τῇ ἰδίᾳ διαλέκτῳ αὐτῶν, *propriâ dialecto ipsorum*, Jerosolymæ videlicet incolarum. Hoc Petrus dicit, qui Galilæus erat, & Discipulos Christi maxima ex parte Galilæos alloquens. Habebant autem Galilæi diversam à Jerosolymitano dialectum, ut patet ex historiæ passionis Dominicæ, ubi loquela Petrum prodidit.

Haceldama. חקל דמא *Ager sanguinis*, inquit eruditissimus Lightfoot, *& quod coemtus esset pretio sanguinis, & quòd rigatus sanguine proditoris.*

20. *Scriptum est enim.* Jam laudat Petrus Scripturam, quam suprà v. 16. implendam esse dixit, nempe juxtà mysticum sensum à Spiritu Dei intentum, prout eum didicerant Discipuli ex ore ipsius Christi Scripturas explicantis, Luc. 24. v. 44.

In libro Psalmorum. Opus illud, quod Hebræi ספר תהלים, *librum Hymnorum* dicere solent, quòd potior ejus pars Dei laudes celebret, Græci & Latini Ψαλτήριον, *Psalterium* vocant, ab instrumento musico, quo ipsi Psalmi decantabantur. Sunt autem numero centum & quinquaginta in codicibus Hebræis. Nam qui additur in Græco centesimus quinquagesimus primus est suppositicius, non tantum ab Hebræis, sed etiam à Concilio Laodiceno rejectus. Theodoretus aliique complures, quà veteres, quà nuperi unicum Psalmorum omnium autorem Davidem agnoscunt. Philastrius etiam Hær. 126. inter hæreticos locat, qui secùs senserit. At titubat Augustinus, nunc totum Psalterii opus uni Davidi ascribens, velut lib. 17. de Civitate Dei cap. 14. nunc novem solùm Davidis proprios esse statuens, reliquos quatuor Cantorum, quos ipse ad id elegerat, velut in dissertatione ad titulum primi Psalmi. Verùm ex ipsis Psalmorum lemmatis, quibus eorum autores indicantur; aut ex dispersis Psalmorum verbis, rebusque illic narratis, unde ipsorum ætas deprehenditur, liquidum est non unius Davidis esse Psalmos omnes, sed autorum complurium, ideóque meritò Hilarium in præfatione in Psalmos, eorum syntagma non Davidis Psalmos, sed librum Psalmorum appellandum decernere, quomodo à Petro hic, & à Christo appellatur Luc. 20. v. 42. Autor synopseos, quæ

Athanasio tribuitur, & Hilarius aiunt Psalmos fuisse ab Esdra in unum redactos volumen, & eo, quo extant, ordine digestos. *Partitionem illam Psalterii in partes quinque, quam ab Ebræis usurpari aiunt Hilarius Prol. in Ps. & Hieronymus Epist. ad Sophr. & Cypr. & quæ in eorum libris hodiéque adnotatur, Machabaicis temporibus haudquaquam vetustiorem reor,* inquit vir inter eloquentes summè doctus, & inter doctos summè eloquens Petrus Daniel Huetius Demonst. Evang. Prop. IV.

Fiat commoratio, &c. Quæ David ex zelo justitiæ & gloriæ divinæ hostibus suis imprecans prædixit, hæc de Christi per Davidem adumbrati persecutoribus Spiritus-sanctus per os Davidis loquens prædicta esse voluit; atque ita Petrus mentem Scripturarum à Christo edoctus, jure in Judam Christi Persecutorum antesignanum confert. quod de Christi persecutoribus communiter prædictum est miserabile excidium, Ps. 68. v. 30. Heb. 69. v. 26.

Et, Episcopatum ejus accipiat alter. Ut intelligaturaliud Scripturæ testimonium citari, Bezam sequens post copulam & scribo distinctionem. Sensus itaque idem est ac si Petrus dicat, Idem Spiritus, qui Ps. 69. v. 26. Judam è medio tollendum prædixit, ut vacuus esset locus ejus, prædixit quoque Ps. 109. v. 8. in demortui locum alium esse subrogandum, ad quem honos Episcopatûs, quo spoliatus est Judas, transferatur. *Episcopatum autem vocat,* inquit Beza, *munus & functionem, quasi* Inspectionem *dicas. Hebræi* פקורה *eâdem prorsus ratione vocant, ut Num. 3. v. 32. Nos vocabulum illud libenter retinuimus, quia de Ecclesiastica, & ea quidem Apostolica functione hîc agit Petrus, cùm alioqui* David *hæc propriè scripserit in Doeg regius armentis præfectum. Solent autem Pastorum ovium & gregis vocabula sæpissimè ad Ecclesiasticam administrationem transferri.* In charta InæRegis Saxonum Occidentalium à Spelmanno interConcilia anni 725. edita subscribit *Daniel Inspector plebis Dei.*

21. *Oportet,* &c. Q. d. Cùm operâ nostrâ uti velit Deus ad alium in Judæ demortui locum sublegendum, simul ac de ejus voluntate redditi sumus certiores, cessare fas non est, quin strenuè præstemus quicquid ministerii nostri ratio postulat.

Intravit & exivit. Hoc est, injunctum sibi à Patre prædicationis munus obiit. *Intrare & exire* in scripturis denotat laboriosam muneris functionem, quum de iis agitur, qui alicui muneri aut officio præsunt, ut videre est, Num. 27. v. 17 & 21. Deut. 31. v. 2. 1 Sam. 18. v. 13 & 16. 29. v. 6. 2 Sam 3. v. 5. 1 Reg. 3. v. 7, 8 & 9. 1 Par. 27. v. 1. 2 Par. 1. v. 10.

22. *Incipiens à baptismate Joannis.* Id est, Grotio interprete, *ex quo à Joanne fuit baptizatus; id enim ei initium fuit auspicandi muneris.*

Assumtus

Assumtus est à nobis. Id est, ascendens in cœlum nube subductus est oculis nostris.

Testem Resurrectionis ejus nobiscum fieri. In Apostolico scilicet gradu & ordine. Requiritur hîc à Petro testis oculatus qualem se Joannes Baptista prædicat, quum dicit Jo. 1. v. 34. *Et ego vidi & testimonium perhibui*; hoc enim ad fidem astruendam non mediocriter valebat. Sed interea Evangelii prædicandi necessitate se & collegas astringit Petrus, dum facit Resurrectionis Christi præcones, quæ præ aliis Evangelii doctrinis commemoratur, quasi primarium Evangelii caput, quemadmodum etiam Paulus docet, 1 Cor. 15. v. 17.

23. *Et statuerunt duos.* Id est, Discipuli nihil ausi, nisi quod scirent officii sui esse, sibique à Domino mandatum, publicè & totius Collegii suffragiis duos, quos habebant præstantissimos, sistunt in medio, ut Deus ipse sibi assumat, quem judicaverit ad Apostolicum ministerium maximè idoneum, & assumtus se neque ab hominibus, neque per homines factum Apostolum, prædicare possit cum Paulo, Gal. 1. v. 1.

Joseph, qui vocatur Barsabas. Hunc quidam eundem esse volunt cum eo, qui infrà cap. 4. v. 36. Joses dicitur, qui cognominatus est ab Apostolis Barnabas. *Et certe*, inquit Glassius, *levis est deflexio horum nominum, unius literæ φ & σ in priori, in posteriori σ & υ mutatione constans.*

Qui cognominatus est Justus. Nempe, si Drusio creditus, *à Judæis Græcientibus, qui* Ιες & *scribunt. Alioquin in lingua Ebræorum* justus *dicitur* Saddic, *quod est cognomen Simonis Pontificis, qui Alexandrum excepit, quem pontificem alii Jadduam appellant. Quin & autor Lexici Thalmudici Rabbi Nathan* Saddic *cognominatur.*

Et Matthiam. Clemens Alexandrinus Strom. 4. putat hunc fuisse Zachæum, de quo Lucas Evangelii sui cap. 19. Est autem Matthias idem nomen quod plenius scribitur Matathias, uti Drusius adnotavit.

24. *Et orantes.* Inducti videlicet Christi promisso, Mar. 11. v. 24. *Omnia quæcunque orantes petitis, credite quia accipietis & evenient vobis.*

Dixerunt. Id est, in hanc ferè formam precati sunt. Neque enim Lucas verba omnia enumerat, contentus summam precationis breviter indicare.

Tu Domine, &c. Q. d. Cùm tui solius sit Domine, de animis hominum certò judicare, & ad quod quisque munus sit magis idoneus, ostende utrum in locum Judæ suffectum velis ex his duobus morum castimoniâ & vitæ integritate tam conspicuis, ut uter utri præferendus humano judicio dignosci non possit.

25. *Accepere locum.* In hodiernis Græcis codicibus impressis habetur, λαβεῖν τὸν κλῆρον, *accipere sortem*, hoc est, fieri consortem.

Ministerii hujus & Apostolatûs. Ἐν διακονίαν, id est, ministerii hujus Apostolici.

De quo prævaricatus est. Gr. Ἧς παρέβη, *ex quo defluxit.* Existimat Beza παρέβη, positum pro παρεξέβη, ut Ex. 32. v. 8. παρέβησαν pro παρεξέβησαν. *Dicunt enim,* inquit, *promiscuè Græci* παραβαίνειν & παρέκβασιν *pro eo quod Latini* digressionem *vocant & aberrationem. Hanc autem esse germanam hujus loci interpretationem, ex iis intelligi potest quæ proximè cohærent. Est enim cujusvis vocatio, quasi via & stadium in quo currere nos oportet, si metam volumus contingere. Ab hac igitur via, id est, ab Apostolatu, dicitur Judas digressus: imò verò, ut prorsus reflectâ in contrarium latus deflexisse. Epiphanius in Cajanos legit* ἀφ' ὅ, *ita ut ad* κλῆρον *referatur, eodem manente sensu.*

Ut abiret in locum suum. Hoc est, ut abiret, quò dignus erat, in malam crucem, suæ propter conscientiam scelerum desperationi remedium morte ac suspendio quæsiturus. Gr. Πορευθῆναι εἰς τὸν τόπον τὸν ἴδιον, quæ eruditissimus Knatchbull censet vertenda, *ut adeat locum ejus.* Q. d. Ut is quem elegeris, succedat in locum ejus qui defcivit, id est, in locum Apostolatûs Judæ. Ἴδιον hoc loco posse accipi pro αὐτοῦ, ex Oecumenio probat mox laudatus Knatchbull, quomodo & latinè pronomen *suum* pro *ejus* Græcorum imitatione frequentissimè usurpari à Cicerone affirmat Budæus. Jam πορευθῆναι εἰς τὸν τόπον *est eadem phrasis,* ait idem Knatchbull, *ac* πορεύεσθαι εἰς τὰ κτήματα *apud Demosthenem, quam Budæus interpretatur,* hereditatem adire; apud Ciceronem *hereditatem adire* est hereditatem subire, vel suscipere, & se heredem profiteri. *Anglicè,* TO ENTER UPON, OR TO TAKE UPON ONE THE INHERITANCE. *Atque hæc interpretatio,* pergit Knatchbull, *mihi videtur rationi magis consona, quàm eorum qui interpretantur de ipso Juda, quasi Lucas vellet illum abiisse in locum suum, nempe, ut volunt, in Gehennam. Non enim credo, aliquid ejusmodi unquam in animum ascendisse Evangelistæ; suspicio verò cum Chrysostomo* τὸ φιλόσοφον τὰ ἀνδρὸς, πῶς οὐχ ὑβρίζει prudentiam viri, quomodo non dicit contumeliam, non insultat. *Quod planè arguit eum non sensisse Lucam in inferos adjudicasse Judam. Quid enim magis contumeliosum dixisset Lucas, quàm eum abiisse in locum suum, si intelligas gehennam? Nique fuit Historici vel Evangelistæ suam sententiam adeòque severam interponere, sed Judam reliquisse judicio Dei; satis erat ei rem de facto enarrasse, ut promiserat initio Evangelii,* καθὼς παρέδοσαν ἡμῖν οἱ ἀπ' ἀρχῆς αὐτόπται, *sicut tradiderunt nobis, qui ab initio fuerunt spectatores, vel* oculati testes. *Quem verò spectatorem dixeris Judæ in inferis?* Hæc omni doctrinâ ornatissimus D. Nortonus Knatchbull Eques Baronettus.

26. *Et dederunt sortes eis,* Gr. αὐτῶν, *eorum.* Id est, Grotio interprete, *conjecerunt nomina eorum in urnam, & in alteram urnam*

alte-

alteram ſchedam inſcriptum habentem nomen Apoſtolus, *alteram ſchedam vacuam; deinde ex utraque urna pariter eduxere binas ſchedas, ut in diviſione terræ.* Sortitionis hujus in eligendo Rege, cujus electionem Deus à ſe pendere voluerat, exemplum inſigne extat, 1 Reg. ſeu Sam. 10. v. 20. Item in inveſtigando anathematis autore, Joſ. 7. v. 13. & ſeqq. Vide quæ adnotavimus ad verſum undecimum Abdiæ Prophetæ.

Cecidit ſors ſuper Matthiam. Id eſt, divinâ providentiâ ſortes temperante, nomen Matthiæ cum nomine *Apoſtolus* exiit. Vide explicationem noſtram literalem in Jonæ cap. 1. v. 7.

Annumeratus eſt. Gr. συγκατεψηφίσθη, quâ voce ſignificatur, hunc ſortis eventum fuiſſe communi omnium ſententiâ comprobatum, ut qui inde certò cognoſcerent hanc eſſe Dei voluntatem, ut Matthias in locum Judæ ſuccedat, atque deinceps non communi nomine Diſcipulus, ſed Apoſtolus vocetur.

CAP. II.

1. *ET cùm complerentur dies Pentecoſtes.* Gr. ἐν τῷ συμπληροῦσθαι τὴν ἡμέραν τ῀ πεντηκοστῆς, *cùm compleretur dies*, id eſt, tempus, *Quinquageſimæ.* Spatium quinquaginta dierum à Paſchatis die uſque ad diem ipſum feſtum, quem vulgò *Pentecoſten* vocant Chriſtiani, Græcis & Latinis ſcriptoribus paſſim dicitur *Pentecoſte* vel *tempus Pentecoſtis.* A Ferrando Diacono, c. 214. & Caſſiano lib. 2. de Cœnob. inſtit. cap. 18. vocatur *Quinquageſima.* A Rabano lib. 2. de inſtitutione Clericor. cap. 41 & 43. & Honorio Auguſtodunenſi lib. 3. Gemmæ animæ cap. 148. *Quinquageſima Paſchalis* ad diſcrimen alterius Quinquageſimæ, quæ eſt ante quadrageſimam. Senſus itaque Lucæ eſt idem ac ſi dicat, Cùm adveniſſet, vel, ſtatim atque præteriiſſet dies, quâ Quinquageſima Paſchalis implebatur. Utramvis enim interpretationem Lucæ verba admittunt, ut adnotavimus ad Mat. 21. v. 1.

Erant omnes. Illi videlicet centum & viginti, quibus nobiliſſimum ſanctiſſimúmque Diſcipulorum Chriſti collegium tunc temporis conſtabat, ut dictum eſt ſuprà cap. 1. v. 15.

Pariter. Gr. ὁμοθυμαδὸν, quæ vox, retentâ propriâ ſignificatione, à Beza hîc & ſuprà cap. 1. v. 14. redditur *concorditer.* Quin & à vulgari interprete ſuprà vertitur, *unanimiter.* Fatendum tamen eſt hanc eandem vocem ſæpè uſurpari Græcis Scripturæ interpretibus pro ſimplici ἅμα, *ſimul*, etiam ubi nullus animorum

morum consensus locum habet, ut 1 Par. 10. v. 6. ὅλος ὁ οἶκος αὐτοῦ ὁμοθυμαδὸν ἀπέθανε, *tota domus ejus simul mortua est.* Job 36. v. 15. τελευτήσει πᾶσα σὰρξ ὁμοθυμαδὸν, *morietur omnis caro pariter.* Sic alibi sæpè, adeo ut etiam inanimatis tribuatur. Thren. 2. v. 8. ᾗ τὸ τεῖχος ὁμοθυμαδὸν ἠσθένησεν, *& murus pariter debilitatus est.*

In eodem loco. Id est, in eodem cœnaculo, in quod suprà cap. 1. v. 13. Discipuli ascenderant à monte Oliveti Jerosolymam regressi. Vide quæ diximus ibidem.

2. *Et factus est.* Primâ nimirùm hebdomadis die, quinquagesima à Christi Resurrectione, & decima ab ejusdem in cœlum ascensu, quæ eo anno secundum Chronologiam Usserii incidebat in Maii diem vigesimam quartam. Hæc dies à Christianis Græco vocabulo Πεντηκοστὴ vocari solet, à Conciliis tamen Aurelianensi primo c. 25. & Turonensi secundo c. 17. appellatur *Quinquagesima.*

Repentè. Fragore repentino magis feriuntur aures.

De cœlo sonus, &c. Gr. ἦχος, *sonitus repercussus,* sive *resonans.* Q. d. Repentino fragore æther divinitùs resonuit, ac si valenter spirare cœpisset ventus vehemens. Ut autem quatuor Evangelistæ non dicunt columbam descendisse in Christum baptizatum, ita hîc non dicitur auditus esse sonus venti vehementis, sed tanquam venti vehementis. Similiter versu mox sequenti vitæ linguæ dicuntur tanquam ignis, ut sciamus hæc omnia in visione obtigisse. Quod etiam observat B. Chrysost. Ser. 1. De sancta Pentecoste, utì ex eo adnotavimus ad Mat. 3. v. 16.

Et replevit, &c. Vide dicta suprà cap. 1. v. 5 & 13.

Ubi erant sedentes. Id est, ubi commanebant, five, ubi quieti jussu Christi, Luc. 24. v. 49. & suprà cap. 1. v. 4. ab ipso Christo expectabant donum Spiritus-sancti à Patre credentibus promissum.

3. *Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis.* Lingua tribuitur igni & flammæ Es. 5. v. 24. ob similitudinem quandam tum figuræ, est enim extrema ignis flamma adinstar linguæ projecta; tum actionis, quia ut animal cibum apprehendit & lambit linguâ, sic ignis projectâ flammâ combustionis materiam, unde & ignis *comedere* dicitur.

Sedit que, &c. Q. d. Istéque ignis linguas dispertitas referens requievit visibili modo super unumquemque eorum centum & viginti, qui conjunctis animis & communibus votis in uno & eodem cœnaculo Spiritum-sanctum à Christo mittendum expectabant.

4. *Et repleti sunt omnes.* Etiam mulieres, quæ ibidem loci erant, ut patet ex v. 17 & 18.

Spiritu-sancto. Id est, excellentibus donis spiritûs-sancti, qui

qui à Christo promissus se jam adesse venti sono auditui, & igne linguas dispertitas referente visui manifestum fecit. *Visibilia illa dona*, inquit Beza in Jo. 7. v. 30. *quæ initio nascentis Ecclesiæ excellenter viguerunt, ut prædixerat Joel, μετωνυμικῶς intelliguntur Spiritus-sancti appellatione, quòd sint ejus effecta, ut docet Apostolus, 1 Cor. 12. penè integro, Act. 19. v. 2. & deinceps, & pluribus aliis locis.*

Et cæperunt loqui variis linguis. Gr. ἑτέραις γλώσσαις, *aliis linguis*, quàm videlicet iis, quas antea noverant, juxta illud Christi promissum Mar. 16. v. 17. *Linguis loquentur novis*

Prout Spiritus-sanctus dabat eloqui illis. Hoc est, Spiritu-sancto linguam ipsorum moderante, ut hac aut illâ lingua, pluribus vel paucioribus res magnas per Christum & in Christo præstitas dignè eloquerentur. Apparet autem ex 1 Cor. 12, v. 10, 28 & 30. 14. v. 2, 4, 5, 6, 9, 13, 14, 18, 19, 22, 23, 26, 27 & 39. errare eos, qui miraculum in auribus audientium asserunt factum, ita ut cùm unâ tantum linguâ loquerentur Christi Discipuli, eorum tamen sermo ab omnibus non aliter ac si suâ, quisque linguâ loquentes audiret, intellectus fuerit.

Eloqui. Gr. ἀποφθέγγεσθαι, hoc est secundum Tarnovium in Medulla Evangelica, *ita loqui, ut singulis verbis magna vis insit multumque sapientiæ in singulis periodis & dictis contineatur. Paulus hoc verbum opponit illis, qui fanaticorum more multa effutiunt, Act. 26. v. 25.* similiter Beza ἀποφθέγγεσθαι, inquit, *propriè dicuntur ii demùm, qui sententiosa quædam & mirifica loquuntur: cujusmodi erant, quæ paulo post Lucas vocat μεγαλεῖα τοῦ Θεοῦ: item qui non tam ex se quàm numinis afflatu & impulsu loquuntur, sicut de Prophetis scribitur, 2 Pet. 1. v. 21. quodomninò Lucas significare hoc verbo voluit, & Latini* Fandi *vocabulo expressiore quàm* Loquendi *declarant: quamvis non semper hoc discrimen observetur.*

5. *Erant autem in Jerusalem habitantes.* Gr. κατοικοῦντες, id est, doctissimo Medo interprete, *commorantes*, ut intelligatur de iis, qui ad festum Paschatis & Pentecostes Hierosolymis celebrandum ex aliis regionibus convenerant, ad tempus ibi subsituri, ut sequentia ostendunt. Apud Græcos quidem οἰκεῖν & κατοικεῖν propriè fixum & perpetuum domicilium denotant; sed apud Hellenistas, quorum dialectum scriptores Novi Testamenti imitantur, indifferenter usurpantur pro mansione vel breviori vel diuturniori, id est, tam pro *commorari*, quàm pro *habitare*, utì sequentia duo exempla ex LXX translatione palàm probant. Prius extat Gen. 27. v. 44. ubi οἰκεῖν Græcè & *habitare* in vulgari versione Latina est *paucos tantùm dies commorari*. Posterius habetur, 3 Reg. 17. v. 20. Elias loquens de vidua, cujus hospitio usus erat, ait, μεθ' ἧς ἐγὼ κατοικῶ μετ' αὐτῆς, *apud quam diversor*: Uno verbo οἰκέω

&c

& κατοικέω respondent voci Hebrææ יָשַׁב, quæ significat quamvis mansionem seu commorationem in aliquo loco.

Judæi. Scilicet religione & origine, ex semine Abrahæ procreati, uti patet ex v. 22, 23 & 39. Certum est enim Cornelium Centurionem fuisse primum qui ex Gentibus ad Christi fidem fuerit conversus.

Viri religiosi. Sic vocantur qui nullâ locorum longinquitate aut itineris difficultate fuerant deterriti ne Jerosolymam venirent, Deum ad præscriptum Legis in Templo adoraturi.

Ex omni natione quæ sub cœlo est. Id est, ex omni natione, sub qua degebant Judæi ubique gentium dispersi. Οὐ γάρ ἐστιν ἔτι τῆς οἰκουμένης δήμου, ὃ μὴ μοῖραν ἡμετέραν ἔχων, *nullus quippe est populus in universo terrarum orbe, qui non habeat aliquos ex nostris apud se manentes*, inquit Judæorum Rex Agrippa junior apud Josephum De bello Jud. lib. 2. cap. 16. Gr. κή. Triplex erat Judæorum dispersus atque captivitas priusquam à Romanis dispergerentur post dirutam à Tito Jerosolymam combustúmque Templum. Prima decem tribuum sub Salmanasare, *Quæ*, inquit Hieronymus in Joel 3. v. 6. *usque hodie in Medorum urbibus & montibus habitant.* Ex his erant Judæi dicti infrà v. 9. *Parthi, Medi & Elamitæ.* Secunda tribuum Judæ & Benjamin sub Nabuchodonosore, quarum magna pars non rediit Hierosolymam, ubi unà cum Templo à Zorobabele fuerat restaurata. Ex his erant prognati illi Judæi, qui infrà v. 9. dicuntur οἱ κατοικοῦντες τὴν Μεσοποταμίαν, *qui habitant Mesopotamiam.* Tertia denique sub Ptolemæo Lagi, qui captâ Hierosolymâ quamplurimos captivos abduxit in Ægyptum, qui dicti sunt Hellenistæ. Triplici hac captivitate sparsi dispalatíque Judæi apud Assyrios, Babylonios & Ægyptios, variis posteà de causis ad alia quoque loca ac regna sponte profugi discesserant, unde in omni ferè Gentium urbe ad quam Apostoli Evangelium prædicaturi divertebant, Judæorum Synagogam inveniebant, & Jacobus Epistolam suam Catholicam dirigit ad eos ex duodecim tribubus, qui in omnes propemodùm orbis regiones dispersi ac dissipati erant.

6. *Factâ autem hac voce.* Id est, sparsâ igitur hujus miraculi famâ. Φωνὴ, *vox* pro fama usurpatur Num. 16. v. 34. 3 Reg. 1. v. 40. & alibi.

Convenit multitudo. Ut linguarum diversitas ex præsenti comparatione appareret.

Et mente confusa est, &c. Q. d. Attonitis hæsêre animis, dum audiebant rudes & idiotas Galilæos nunquam ex patria egressos, ut peregrinas linguas discerent, magnificè propriâ cujusvis linguâ & dialecto de rebus divinis disserere.

7. *Stupebant*, &c. Præcipuus nunc miraculi fructus exprimi-

tur

tur, quòd novitate ac miraculo attoniti in ipſum inquirunt. *Et ſanè*, inquit Calvinus, *ita cum ſtupore admirari Dei opera convenit, ut ſimul accedat conſideratio & intelligendi ſtudium.*

8. *Linguam noſtram*, &c. Hoc eſt, linguâ & dialecto nobis propriâ loquentes.

9. *Parthi.* Hoc eſt, Judæi ſub *Parthorum* imperio degentes. Multos ſub *Parthorum* imperio degiſſe Judæos patet ex Joſephi prologo ad libros de bello Judaico, & ex laudata ſuprà v. 5. Agrippæ junioris oratione apud eundem Joſephum lib. 2. de bello Judaico cap. 16. Gr. κή. *Parthi, ſeu Parthii*, ſive *Parthæi*, quorum regio vocatur *Parthia, Parthyæa & Parthyene*, fuere populi, qui è Scythia in Mediam novas ſedes quærentes fugerunt. *Nam Scythico ſermone Parthi exules dicuntur*, inquit Trogus lib. 41. cap. 1. At vero propius eſt Scythas ipſos, non eorum exules, condidiſſe Parthos, ut memoriæ commendavit Q. Curtius lib. 6. cap. 2. Habet verò *Parthia* ab Occaſu Mediam, à Septentrione Hyrcaniam, ab Ortu Ariam, à Meridie Carmaniam deſertam, autore Coſmographo, lib. 6. cap. 15. *Parthiæ* urbs regia erat Hecatompylos, ac exiſtimatur eodem fuiſſe loco, quo nunc *Iſpahan* Perſarum regum ſedes. Reges eorum *Arſacæ* dicebantur ab Arſace, ſeu Scytha, ſeu Bactriano, qui apud eos primus imperium arripuit, autore Geographo lib. 15. Cteſiphonte hyemabant, æſtatem verò in Hyrcania & Ecbatanis agebant, eodem Strabone, quem eruditorum παιδὸς Antonomaſticῶς vocant Geographum, autore, lib. 16. cap. 1. Idem lib. 11. teſtatur *Parthos* ſuâ ætate tantum terræ poſſediſſe, ac tot gentibus imperaſſe, ut ob imperii magnitudinem Romanorum potentiæ quodammodo eſſent pares. Primus qui apud Romanos de eis triumphavit, fuit Ventidius Baſſus, referente Gellio Noct. Atticarum, lib. 15. cap. 4. Rarus erat *Parthorum* pugnandi modus, fugientes enim pugnabant, ideo famigeratus à Poetis. Virg. Georg. lib. 3. v. 30.

Addam urbes Aſiæ domitas, pulſúmque Niphaten,
Fidentémque fugâ Parthum, verſíque ſagittis.

Ovidius de arte amandi, v. 211.

Quid fugis: ut vincas, quid victo, Parthe, relinquis?
Parthe, malum jam nunc Mars tuus omen habet.
Ergo erit illa dies, quâ tu, Pulcherrime rerum,
Quatuor in niveis aureus ibis equis.
Ibunt antè duces onerati colla catenis;
Ne poſſint tuti, quâ prius, eſſe fugâ.

Eſt

Est & *Parthus* seu *Parthos* nomen urbis Illyricæ, cujus incolæ *Partheni* vocantur. *Parthis* verò Macedoniæ regio fuit, ejúsque incolæ Ptolemæo, quem per Antonomasiam Critici Cosmographum appellant, lib. 3. cap. 13. *Parthyæi* dicuntur, Plinio lib. 3. cap 23. *Parthini*. Horum Ptolemæus unam tantùm civitatem celebrat Eribœam.

Medi. Hoc est, Judæi *Mediæ* incolæ. Vide dicta suprà v. 5. *Midia* & *Medi* מָדַי *Madai* tertio Japheti filio, Gen. 10. v. 2. & Joseph. 1 Antiq. 7. dicti fuere. Priùs *Arios*, quàm *Medos* vel *Madios* vocatos fuisse tradit Herodotus lib. 7. cap. 62. Habet *Media* ab Ortu Hyrcaniam & Parthiam, quæ ab ea Caspio monte excluditur; ab Occasu majorem Armeniam & Assyriam; à Meridie Persidem; à Septentrione Hyrcanum seu Caspium mare. Est autem *Media* bonâ sui parte montosa, & frigida, totáque ferè sterilis, exceptâ regione Caspiis Portis adjacente, quæ omnium rerum necessariarum ferax, præterquàm olei, εὐδαίμων & πάμφορος à Geographo lib. 11. *ditissima terra* à Virgilio vocatur, 2 Georgic. v. 136. Olim Assyriis suberant *Medi*, donec Arbaces *Mediæ* Præfectus subSardanapalo jugum excussit, Ninivéque destructâ, monarchiam *Medorum* orsus est, quæ postquam sub novem regibus duraverat annos ducentos quinquaginta novem, ab Astyage ultimo Medorum rege per Cyrum ipsius ex filia nepotem ad Persas translata est. Porrò *Parthos*, *Medos* & *Persas* sæpè confundi apud scriptores veteres, eruditissimus Thomas de Pinedo in egregiis suis notis ad Stephanum de urbibus palàm probavit.

Elamitæ. Syrus אֵלָם, *Elamæi* seu *Elanitæ*, non urbis *Elanæ* prope Esiongaber in mari Erythræo incolæ, qui ad Arabiam Petræam pertinent, sed alterius regionis ejusdem nominis, quam inter Persidem, Choresanem, Mesopotamiam & Armeniam locat Benjamin Tudelensis in itinerario editionis Leydensis, pag. 73. Ab *Elam* filio Sem, Gen 10. v. 22. sortita est nomen Ἔλυμαι, *Elymæ* regio Assyriorum ad Persidem prope Susianam, cujus præcipua urbs erat *Elymais*, in qua erat templum Dianæ valde opulentum argento, & auro, & variis donis, quorum plurima Alexander Macedo illic reliquerat, ut narratur 1 Mac. 6. Hanc urbem propter templi illius divitias Antiochus Epiphanes voluit diripere, eámque ob causam ipsum divinitùs morte multatum ait Polybius Megalopolita apud Josephum, 12 Antiq. 13. At ipse Josephus vero similius esse inquit id ei accidisse, quòd Hierosolymitanum Templum diripuisset; uterque suæ religionis contemtum Antiocho mortis causam fuisse contendit. Simili modo apud eundem Josephum, 8 Antiq. 7. Menander historicus antiquus causam pluviarum, quam historia sacra 3 Reg. 18. Eliæ Prophetæ precibus tribuit, ipse

Itho-

Ithobali Tyriorum regis ſupplicationibus aſſignabat. Antiochus idem, 2 Mac. 9. conatur Perſepolim occupare, ejúſque templa ſpoliare, nullibi enim argentum & aurum tuta. Eadem néene ſit urbs Perſepolis & *Elymais*, ignoro. Incolæ regionis *Elymæ* à Luca dicuntur *Elamitæ*, à Syro *Elanæi* ſeu *Elanitæ*, à Strabone & aliis *Elymæi*, qui ut ſagittarii truces & bellicoſi deſcribuntur ab Eſaia, Jeremia & Ezechiele, vixiſſe ex rapto, & ſoli vicinarum gentium auſi obſiſtere Parthis, quin & ex Perſarum regibus tributum exigere dicuntur à Strabone lib. 11. *Elymæis* ſemper fuere proprii Reges, quorum præter Jeremiam etiam Strabo meminit. Horum duo memorantur, unus Codorlahomor, Gen. 14. v. 1. Arioch alter, Judith 1. v. 6. Quamvis autem rectè Strabo *Elymæos* diſtinguat à Suſiis, quos à שֶׁלַח *Schelach* ſeu *Sela* filio Arphaxadi arceſſunt Euſtathius & Euſebius; & à Perſis, quos à סַבְתָא *Sabtha* filio Cuſchi Bochartus & Heideggerus derivant; tamen *Elam* ſubinde uſurpatur non tantùm pro Elymaide ſtrictè ſumta, verùm etiam pro populis vicinis Eulæo amni, quales ſunt Gabiani, Carbiani, Maſſabitici, quorum provincias *Elymæis* attribuit Geographus, & Suſii populus Perſicus, cùm Benjamin Tudelenſis in itinerario כּוּזִסְתָאן *Cuzeſtan*, ſeu Suſianam eandem cum provincia *Elam* cenſeat, & Arabs interpres nuper editus Pariſiis pro *Elam*, Gen. 10. v. 22. habeat חוּרִסְתָאן *Chureſtan* quod idem eſt cum *Cuzeſtan*. Hinc & Daniel cap. 8. v. 2. Suſam regiam Suſiorum collocat בְּעִילַם הַמְּרִינָה, *in provincia Elam*. Hinc Plinius, Ptolemæus & Marcianus non procul ab Eulæi fluvii oſtiis ponunt *Elymæos*. Hinc denique & Joſephus 1 Antiq. 6. *Elymæos* dicit fuiſſe Πέρσων ἀρχηγέτας, *Perſarum autores*. Nempe uſque ad tempora Cyri Perſæ nomine vicini populi *Elymaidis* cenſebantur; at poſt ejus tempora, etſi ſubinde hoc nomine veniant, præſertim in hiſtoria ſacra, plerunque tamen non *Elam* ſed פָּרָס *Paras*, quod notat equum, dicitur, quia videlicet, Cyro providente, ut narrat Xenophon, פַּרְסָאי *Perſæ* ex pediribus facti ſunt equites.

Et qui habitant Meſopotamiam, &c. Recto Lucas ordine in horum populorum cenſu ab Ortu in Occaſum ſemper progreditur. Cum autem incolæ Meſopotamiæ, Judææ, Cappadociæ, Ponti & Aſiæ comprehendantur in iis, qui ſuprà v. 5. *in Jeruſalem habitantes* κατοικοῦντες, palàm eſt κατοικοῦντες *habitantes* ibi dici, non qui Hieroſolymam incolebant, ſed qui Hieroſolymæ aliquot dies commorobantur. Vide dicta ſuprà v. 5. *Meſopotamiæ* incola Stephano Byzantio dicitur *Meſopotamites*, Vopiſco in Aurelio *Meſopotamius*. Videſis quæ de *Meſopotamia* diximus ad Oſeæ 12. v. 12.

Judæam. Strictè ſumtam, à cujus dialecto diverſam fuiſſe Galilæo-

Galilæorum, constat ex Petro, qui Galilæus loquelâ suâ innotuit. Vide explicationem nostram literalem, Mat. 3. v. 5.

Cappadociam. Hæc ab Occasu terminatur Galatiâ; à Meridie, Cilicià; ab Ortu, Armeniâ; a Septentrione, parte Euxini Ponti, autore Ptolemæo lib. 5. cap. 6. Hujus incolæ *Cappadoces* dicebantur olim Leucosyri, teste Plinio lib. 6. cap. 3. Syros etiam seu Syrios vocatos fuisse prodit Herodot. lib. 1. cap. 72. Ante imperii Romani incrementum sub Persis fuisse, ac deinde sui juris factos, Ariaratha Rege, post quem regnasse Archelaum, cujus filia Glaphyra Alexandro Herodis magni filio nupsit, Constantinus Porphyrogenetta prodit lib. 1. Them. 2. Paulò aliter rem narrat Geographus lib. 12. videlicet, cùm defecisset genus regium, Romanos ratione fœderis & amicitiæ cum eis initæ iis permisisse, ut liberè suis viverent legibus; *Cappadoces* autem, missis legatis, libertatem repudiasse, dicentes eam se ferre non posse, Regem sibi dari postulantes. Romani verò mirati homines, qui libertatem fastidirent, eis permiserunt, ut ex seipsis Regem eligerent, quem vellent, ita Ariobarzanem, quem Porphyrogenneta Ariaratham vocat, eligerunt *Cappadoces*. Hujus cùm in tertia stirpe genus defecisset, Archelaus ab Antonio ipsis Rex est datus, nullâ propinquitate Ariorbazanem attingens. Famosa olim ob æquitiam & fraudem fuit *Cappadocum* gens, ut & Cilicum, & Cretensium, unde adagio factus est locus, τρία κάππα κάκιστα, quod detortum fuit in Cornelium Syllam, Cornelium Cinnam, & Cornelium Lentulum. Verum nulla est regio adeo mala, quæ non proferat aliquos bonos & excellentes viros. Ita *Cappadocia* protulit inter alios tres insignes Episcopos, Gregorium cognomine Thaumaturgum Neocæsarienfem, Basilium magnum Cæsarienfem, & Gregorium Nazianzenum. Olim verò produxit Pausaniam, qui ab urbe Cæsariensis, à gente *Cappadox* & Syrus nuncupatur, quia aliqui *Cappadociam* sub Syria comprehendebant, & sæpè laudatum Geographum Strabonem Amasæum.

Pontum. Asiæ minoris regionem famoso Rege Mithridate inclytam, nec non Aquila exacto veteris testamenti interprete. Hæc ab Occidente, Haly fluvio, ab Oriente, Colchide clausa: à Meridie minori Armeniâ, à Septentrione, mari Euxino terminata dicitur à Strabone. Ptolemæus verò paulò aliter lib. 5. *Pontus*, inquit, *ab Occasu, ore Ponti & Thracio Bosphoro: à Meridie, regione quæ proprie Asia dicitur: à septentrionibus, parte maris Euxini terminatur.*

Et Asiam. Proconsularem scilicet, quæ Proconsuli parebat, & erat princeps undecim provinciarum quæ Asianam Diœcesim constituebant. *Asiam*, inquit Fridericus Spanhemius filius, *vocarunt Romani inspecit, Strabone teste* lib. 13. *eam regionem vel provinciam,*

ciam, quæ Pergamenorum regum fuerat, quæ inter Helleſpontum, Lydiam & Cariam, pars Myſiæ cum Æolide & Ionia, illinc ad ſinum Adramyticum, hinc ad fontes Mæandri protenſa. Hujus provinciæ, quæ ſtrictiùs *Aſia* dicebatur, Metropolis prima Epheſus fuit, ſedes Proconſulum iſtius *Aſiæ*. Proxima Epheſo Apoſtolicâ ætate fuit Smyrna, eadem quoque Metropolis; *hinc Pergamus, ſtatis Attali Pergameni*, ait idem doctiſſimus Spanhemius in ſua introductione ad Geographiam Sacram.

10. *Phrygiam.* In Aſiana Diœceſi, quæ Vicario Aſiano ſubierat, gemina erat *Phrygia*, quarum altera dicitur Magna, Major & Pacatiana, altera Parva & Salutaris. Prior habuit à Septentrionibus Bithyniam & Galatiam; ab Ortu, Salutarem Phrygiam & Piſidiam; à Meridie, Lydiam, Cariam & Lyciam; ab Occaſu, Aſiam Proconſularem. Hujus Metropolis fuit Laodicea, ſeu Laodicia ad Lycum fluvium. *Phrygia Salutaris, quæ Græco-Barbaris* Σαλουταρία, *fuit Majori ad Ortum & Septentrionem, Galatiam verſus & Bithyniam. Metropolim habuit Synnadam vel Synadam Ioniæ veteris, Dorienſium coloniam, & primâ origine Macedonum ex nummis antiquis*, inquit mox laudatus Spanhemius libro citato.

Pamphyliam. Hæc provincia extremus Aſianæ Diœceſeos terminus fuit ad Auſtrum, verſus oram littoris maris, quod ab ea Pamphilium appellatur, ab Ortu Ciliciam & partem Cappadociæ, ab Occaſu Lyciam, & à Septentrione Galatiam habens. *Olim*, inquit Spanhemius, *Piſidiam & Iſauriam complexa, dein ſub uno eodémque Præſide cum Lycia fuit, ſub Conſtantino Magno. Tandem verò Conſularis facta ſub Theodoſio juniore, & in duas diviſa, primam, cujus Metropolis Sida vel Syda, & alteram, cujus Metropolis* Perga, Πέργαι, *Ptolem.* In *Pamphylia* porro, & ceteris modò memoratis provinciis, etſi ſermo Græcus multùm frequentaretur, alia erat etiam dialectus cuique provinciæ propria, atque à vicinis diverſa. Hinc & Cibyratas Strabo quatuor linguis uſos eſſe ſcribit, Piſidicâ, Græcâ, Lydâ & Solymâ. Syri quoque bilingues id temporis erant, ut & Judæi; Græcâ enim & Syriacâ utebantur. Immò & τριγλωττοις; nam & lingua Romana illis tunc erat in uſu, uti benè obſervavit doctiſſimus Salmaſius.

Ægyptum. De Ægypto ſic Cl. Michael Baudrand; *Ægyptus eſt Africæ regio celeberrima, non autem Aſiæ, ſub poteſtate Turcarum ab anno M. D. XVII. Extenditur à Septentrione in Meridiem, à mari* Mediterraneo *uſque ad Syenem. Eam interfluit Nilus fluvius, cujus inundationibus fœcundatur. Ab Oriente habet deſerta Arabiæ, Ab Occidente Libyam, à Meridie Æthiopiam, & à Septentrione mare* Mediterraneum.

Et Partes Libyæ quæ eſt circa Cyrenen. Libya Superior, ἡ ἄνω Λιβύη

Λιβύη à numero urbium Pentapolitana dicebatur. Urbes erant Berenice, Arsinoe, Ptolemais, Apollonia, & omnium celeberrima Cyrene, à qua tota *Libya* Superior nuncupata est Cyrenaica. Hujus Cyrenaicæ *Lybiæ terminus fuit*, inquit Spanhemius, *ad Occidentem Syrtis major, ad Meridiem Psyllorum regio & Libyæ deserta, & ad Ortum Lybia Marmarica.* Vide quæ de Cyrene observavimus ad Amos 9. v. 7. & Mat. 27. v. 33.

Et advenæ Romani, Judæi quoque & Proselyti. Hoc est, & qui Romanorum in Judæa peregrinabantur tum Judæi, tum Proselyti. *Romæ*, inquit Grotius, *multi erant Judæi, ut nos docent Cicero & Horatius.. Multæ etiam fœminæ & libertini sectis addebant. Tistes Tibullus, Ovidius, Philo & alii.* Dicebantur autem apud Judæos Proselyti, qui ex gentibus non coacti se Judaicæ religioni addicebant.

11. *Cretes.* Spanhemius Supra laudatus, *Creta*, inquit, *insula inter mare Libycum & Ægæum sita*, *ad Meridiem Peloponnesi, & ad Occasum Carpathi insulæ Evangelii luce inter primas collustrata, Petri prædicatione Act. 2. ac Pauli Titique laboribus.* At clarissimus Lightfoot in Disquisitione Chorographica Joanni præmissa, per *Cretes* hîc intelligendos censet incolas illius regionis Palæstinæ, quam à Syris *Creth* appellari adnotavimus ad Sophoniæ 2. v. 5. quia nimirum *Cretes* conjunguntur cum Arabibus, notum est autem Arabiam esse contiguam terræ Philistæorum.

Arabes. *Arabia* Asiæ regio, Africæ proxima, terminos habet à Septentrione Syriam & fluvium Euphratem, ab Oriente Sinum Persicum, ab Occidente sinum *Arabicum*, & à Meridie mare *Arabicum*, seu partem Oceani Indici. Triplex est Deserta videlicet, ubi quadraginta annos Israelitæ detenti, Felix seu Aromatifera, & Petræa celebris urbe *Krac* vel *Harach*, quæ in Scripturis appellatur *Petra deserti*, & monte Sinai, ubi Deus Legem per Mosen promulgavit, qui mons Ethnicis Scriptoribus *Casius* dicitur, ideo Solinus cap. 46. *Arabes* vocat *nobiles montes Casios*, in quo fuit Templum Jovis, qui inde *Casius* vocabatur; in eo quoque Magni Pompeii corpus jacebat, referente Strabone lib. 16. cujus tumulum magnificentiùs extruxit Adrianus, ut Ælius Spartianus memorat in Adriano, forsitan motus, ut erat eruditus Adrianus, illo districho celeberrimo.

Marmoreo Licinius tumulo tegitur: Cato parvo,
Pompeius nullo: credimus esse Deos?

Fuit & alter mons Casius in Syria, quod est causa alicujus confusionis apud Scriptores. Si quis plura de Arabia desiderat, consulat Strabonem, Ptolemæum & Plinium.

Audivimus

Audivimus. Gr. ἀκούομεν, *audimus.* Propriis ſcilicet auribus.

Loquentes noſtris linguis. Non quòd reſonante unâ voce audirentur plures, ſed quòd propriis audientium linguis loquerentur Chriſti Diſcipuli.

Magnalia Dei. τὰ μεγαλεῖα τοῦ Θεοῦ, *magnifica Dei*, quæ mirum Deus ante jacta mundi fundamenta præparavit ſuis per Chriſtum exhibenda. Pſaltes vocat נִכְבָּדוֹת, *gloriosa*, Pſal. 87. v. 3.

12. *Quidnam vult hoc eſſe?* Hoc eſt, quorſum iſtuc?

13. *Alii autem irridentes.* Gr. χλευάζοντες, *cavillantes.* Ex his cavillatoribus diſce nullum tantum eſſe miraculum quod non audeat cavillari ſcurrilis & impia dicacitas.

Muſto pleni ſunt. Cùm hæc geſta ſint die Pentecoſtes, quo tempore nullum eſt recens vinum, ſeu muſtum propriè dictum, videtur ſumi hic muſtum pro quovis vino prædulci, ſeu pro vino ex muſto decocto, quale eſt ſapa vel defrutum.

14. *Stans autem Petrus cum undecim.* Armatus videlicet audaciâ, accepti Spiritûs-ſancti ope confiſus.

Levavit vocem ſuam. Ut in tanta auditorum frequentia ab omnibus exaudiri poſſet.

Viri Judæi, &c. Petrus multitudini tumultuanti Chriſtum annunciaturus, non ſtatim orditur à prophetia Joelis, ſed priùs amovet falſum rumorem à quibuſdam ſparſum, eos qui variis linguis loquebantur, vini plenos ſic delirare: ſimúlque ipſa ſtatim appellatione, *Viri Judæi*, captat benevolentiam. Etenim Judaicam religionem profitentibus plauſibilis erat appellatio, *Viri Judæi*, quod ii multis nominibus cetéras gentes antecellerent, Lege nimirùm divinitùs datâ, Prophetarum glorià, cultúque veri numinis.

Et qui habitatis Jeruſalem univerſi. Hos Hieroſolymitas ſeu Hieroſolymorum incolas nominatim compellat, quia & frequentiores aderant, & reliquis celebriores erant.

Hoc vobis notum ſit, &c. Q. d. Attendite animos ad ea quæ ſum dicturus.

15. *Cùm ſit hora diei tertia.* Etſi tanta ſit ebrietatis fœditas, ut meritò lucem horreat, & qui ebrii ſunt, nocte inebriari ſoleant, ut adverrit Paulus 1 Theſ. 5. v. 7. ſunt tamen non pauci, qui porcis ſimiles, ſtatim à ſomno ad pocula tranſiliunt, in quos Vates *væ* ſuum intorquebat Eſ. 5. v. 11. *Væ qui conſurgitis mane ad ebrietatem ſectandam.* Et quamvis Joſephus referat invita ſua Judæos diebus feſtis non niſi horâ ſextâ prandere ſolitos, id tamen non obſervabatur ab omnibus, cùm multi forent ruptores Legis divinæ, humanarúmque conſuetudinum violatores, quales Eſaiæ tempore: feſtis maximè diebus, quibus juſſi erant Ju-

dæi Levit. 23. v. 40. lætari coram Domino Deo suo. Verba itaque Petri intelligenda sunt ac si dicat, Religiosiores sunt isti quàm ut ebrii sint horâ nonâ matutinâ, quâ nemo vel mediocriter honestus jejunus non est. Targum seu Paraphrasis Chaldæa in Ecclesiastæ cap. 10. v. 16. בתר דמקרבין אכלין לחמא בזמן ד׳ שעין *postquam obtulerint sacrificium juge, comedunt panem tempore quatuor horarum*, hoc est, horâ quartâ, quæ apud nos est hora decima antemeridiana. Rabbi Salomon Jarchi in Glossa sua ad folium octuagesimum tertium tractatûs Talmudici בבא מציעא, paginâ versâ, ברבע שעי׳ שהיא שעת סעודה והכל נכנסין בחויות ופוערין, *horâ quartâ, quæ est hora cibi, quâ omnes divertunt in tabernas cibum sumturi.*

16. *Sed hoc*, &c. Q. d. Sed evenit istis, quod Joel Prophetiæ Spiritu futurum prædixerat. Similiter id referunt Judæi ad tempora Messiæ, teste R. Saadia Gaone in libro inscripto, אמונות, Cap. 8. de Messiæ redemtione, אז תחול הנבואה בתוך עמנו עד שבנינו יתנבאו כמו שאמר והיה אחרי כן אשפוך את רוחי וגו׳, *Tunc residebit prophetia in medio populi nostri, ita ut filii nostri & servi nostri prophetent, juxta illud Joelis* 2. v. 28. *Et erit postea effundam Spiritum meum*, &c.

17. *In novissimis diebus.* Id est, temporibus Messiæ, quæ sunt ultima Hierosolymæ atque œconomiæ Judaicæ. Sequitur Lucas in hujus loci ut & aliorum productione Hellenistas interpretes, non tamen ad amussim, verbis interdum mutatis aut transpositis, quod & Moses fecit Decalogum in Deuteronomio recitans. Porro hac Joelis & similibus aliorum prophetiis promisit quidem Deus se credentes uberiore sui cognitione donaturum sub novo fœdere, quam olim fecerat sub veteri: sed non significavit se illud solum & absque ullis omninò mediis peracturum, Scripturæque Sacræ nullum ampliùs fore usum. Contrà præsidium illud extraordinarium, Spiritûs-sancti suggestus, somnia, visiones eò potiùs tendunt, ut mens Dei in Scripturis loquentis faciliùs intelligatur, ita ut nullus sit futurus qui eas cum attenta devotione scrutetur, & Spiritus-sancti auxilium imploret, qui alterius institutione multùm indigeat, ad percipienda ea quæ ad salutem scitu sunt necessaria.

Super omnem carnem. Hoc est, in cujusvis sortis & sexûs homines in Christum credentes, & ex ipsius præceptis vitam suam instituere paratos. Unde infrà cap. 5. v. 32. Petrus ait Deum dedisse Spiritum-sanctum ipsi obtemperantibus.

Prophetabunt. Ut infrà cap. 21. quatuor filiæ Philippi Evangelistæ & Agabus.

Visiones

Visiones videbunt. Nempe divinitùs excitatas, ut infrà cap. 9. v. 10. Ananias, & cap. 10. v. 11. Petrus.

Somnia somniabunt. Hoc est, visiones nocturnas à Deo accipient, ut Paulus infrà cap. 16. v. 9. & 18. v. 9. *Omnium*, inquit Macrobius in somnium Scipionis, *quæ videre sibi dormientes videntur, quinque sunt principales diversitates, & vomina. Aut enim est ὄνειρος secundum Græcos, quod Latini* Somnium *vocant: aut ὅραμα, quod* visio *rectè appellatur: aut χρηματισμὸς, quod* Oraculum *nuncupatur: aut est ἐνύπνιον, quod* insomnium *dicitur: aut est φάντασμα, quod Cicero, quoties opus hoc nomine fuit,* Visum *vocavit.* Vide explicationem nostram literalem, Joel 2. v. 28.

18. *Et quidem*, &c. Vide quæ diximus Joel 2. v. 29.

19. *Et dabo prodigia*, &c. Talia fuerunt signa antecedentia Judæorum excidium, quod à Romanis passi sunt ob rejectum perfectæ justitiæ doctorem Jesum, & contemtam doctrinam Apostolorum ejus Spiritu afflatorum ipsos ad pœnitentiam invitantium; velut in cœlo cometa instar gladii ardentis Hierosolymis imminens, curruum & militantium species per aerem discurrentes, aliáque ejusmodi in terra, cædes, incendia oppidorum, vicorum, villorum in Galilæa & Judæa cum aliis id genus calamitatibus, quæ interitum populo alicui portendunt ac tandem afferunt. Vide quæ diximus ad Joel 2. v. 30.

20. *Sol convertetur*, &c. Vide explicationem nostram literalem Joel 2. v. 31.

Dies Domini Magnus. Id est, Dei judicium ingens ac terribile in Judæos refractarios. *Primo sensu*, inquit Brenius, *hoc dixit Joel de excidio per Nebuchadnezarem, mystico de die excidii per Romanos, qui κατ' ἐξοχὴν* Dies Domini *hic appellatur.* Similiter Beza, *Hæc*, inquit, *peculiariter refero ad Judæorum gentem, cujus excidium adversus Evangelii pertinaces contemtores mox sequturum prædicitur, ut loquitur etiam disertè Christus* Mat. 24. *conjungens tamen illa cum illo ultimo die, quo eadem calamitas, quæ olim Hierosolymam, universum orbem ejusdem indomitæ contumaciæ sceleris reum opprimet.* Porrò excidium Hierosolymæ & Judæorum per Romanos factum vocatur, Lightfoot adnotante ad Mar. 9. v. 1. *Dies Domini magnus & terribilis*, Act. 2. v. 20. 2 Thes. 2. v. 2 & 3. Describitur ut *consummatio mundi* Jerem. 24. v. 24. Mat. 24. v. 29. & seqq. In phrasiologia, *in ultimis temporibus*, Esa. 2. v. 1. Act. 2. v. 17. 1 Tim. 4. v. 1. 2 Pet. 3. v. 3. *Id est, in ultimis temporibus istius urbis & œconomiæ.* Exinde *initium novi mundi*, Es. 65. v. 17. 3 Pet. 3. v. 13. Describitur ut *adventus Christi*, Jo. 22. v. 21. Heb. 10. v. 37. *Adventus hius in nubibus*, Apoc. 1. v. 7. *In gloria cum Angelis.* Mat. 24. v. 30, & seqq. ut *introitus Christi & duodecim Apostolorum judicantium duodecim tribus Israelis*, Mat. 19. v. 28. Luc. 22. v. 30. Hæc clarissimus Lightfoot.

Et manifestus. Gr. ἐπιφανῆ, quomodo LXX. passim reddunt Hebræum נוֹרָא, quod est *terribilis. Nec dubium,* inquit Ludovicus de Dieu, *quin inde truculentus ille Antiochus dictus sit,* ἐπιφανής, Terribilis, *potiùs quàm* Illustris. Hic idem Antiochus à Polybio vocatur ἐπιμανής, hoc est, *insanus,* aut *furibundus.*

21. *Et erit, omnis,* &c. Q. d. Ab exitio tam gravi Judæis imminente liberabitur, quisquis Christum à Deo missum verbis atque factis religiosè coluerit. Sic ad Christum Servatorem hanc Joelis prophetiam accommodat Paulus Rom. 10. v. 12 & 13. Ut autem *invocatio Dei* non pro sola ad eum directa precatione, sed pro ejus cultu sumitur sæpè, ut Gen. 12. v. 8. 13. v. 4. 26. v. 25. 1 Paral. 13. v. 6. Psal. 79. v. 6. Es. 41. v. 25. *Jer.* 10. *v.* 25. Sic & invocatio Jesu Christi vel nominis ejus infrà cap. 9. v. 14 & 21. 1 Cor. 1. v. 2. 2 Tim. 2. v. 22. Quod autem Christiani communibus Judæorum malis fuerint exemti in excidio Hierosolymitano habemus ex Eusebio 3 Hist. 5. ὁ μὲν ἀλλὰ, καὶ τοῦ λαοῦ τῆς ἐν Ἱεροσολύμοις ἐκκλησίας, &c. *Sed & cùm universa plebs fidelium Ecclesiæ Hierosolymitanæ, oraculo, quod viris quibusdam sanctis divinitùs editum fuerat, ante initium belli ex civitate migrarit, & oppidum quoddam trans Jordanem,* Pellam *nomine, incolere jussa fuisset; Jámque omnes, qui in Christum credidérant, relictis Hierosolymis sedes suas* Pellam *transtulissent, ità & regiâ urbe, quæ totius gentis caput est & universâ Judæâ, viris sanctis destitutâ, tum demùm divina illos ultio ob tot admissa tum in Christum, tum in ejus Apostolos scelera corripuit, totámque illam impiorum sobolem funditùs delevit.* Vide dicta Joel. 2. v. 32.

22. *Jesum Nazarenum.* Gr. Ἰησοῦν τὸν Ναζωραῖον, *Jesum illum Nazarenum,* qui conceptus, educatus, maximámque ætatis partem degit Nazarethæ in Galilæa, ut juxta Prophetarum prædictiones, *Nazarenus* vocaretur. Vide explicationem nostram literalem, Mat. 2. v. 23.

Virum approbatum, &c. Q. d. Virum quem Deus potentissimis & inexpugnabilibus probationibus demonstravit à se vobis esse missum, cùm tot ac tanta miracula per eum coram vobis edidit, quæ nullus nisi divinâ virtute facere potest. Idem etiam agnovit Nicodemus, Jo. 3. v. 2. *Rabbi,* inquit ille magni Synedrii Senator, *scimus quia à Deo venisti magister: nimo enim potest hæc signa facere quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo.*

In vobis, Hebraismus, id est, vobis.

Virtutibus & prodigiis & signis. Est Synonymia, quâ elocutionis figurâ utimur, quoties uno verbo non satis videmur dignitatem aut magnitudinem rei palàm facere. Cur verò miracula dicantur *virtutes, prodigia & signa,* diximus ad Mat. 24. v. 24.

In

In medio vestri. Hoc est, coram vobis. Jo. 12. v. 37. *Cùm autem tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum.*

23. *Hunc*, &c. Q. d. Jesum hunc ex decreto Patris, cui ipse sponte in omnibus obsequebatur, in vestram potestatem permissum ut in cruce suffigerent Romani importunitate incredibili extorsistis.

Definito consilio & præscientiâ Dei traditum. Gr. ἔκδοτον, *deditum.* Ἔκδοτον, inquit Grotius, *sunt propriè qui deduntur hostibus.* Definito itaque Dei decreto Christus deditus fuit in ditionem & arbitratum hostium, quorum hostile odium & inhumanam crudelitatem Deus non prædestinavit, ut Theologi loquuntur, sed præscivit. *Prædestinatio*, inquit Aug. lib. de prædest. SS. cap. 10. *sint præscientia esse non potest: potest autem esse sine prædestinatione præscientia. Prædestinatione quippe Deus ea præscivit quæ fuerat ipse facturus. Præscire autem potens est etiam quæ ipse non facit, sicut quæcunque peccata, quia ut sint quædam, quæ ita præcepta sunt, ut pœnæ etiam sint peccatorum, unde dictum est Rom. 1. v. 28.* Tradidit illos Deus in reprobam mentem, ut faciant quæ non conveniunt: *non ibi peccatum Dei est, sed judicium.* Hæc Aug.

Per manus iniquorum. Gr. ἀνόμων, *exlegum.* Exleges ἄνομοι & peccatores ἁμαρτωλοὶ Judæi propriè vocabant quos vulgò Paganos appellant. Hîc autem milites Romanos intelligit Petrus, qui ἁμαρτωλοὶ vocantur Mat. 26. v. 45. Mar. 14. v. 41. & Luc. 24. v. 7. vide 1 Cor. 9. v. 15.

Affligentes. Mendosa hîc est vulgaris lectio, Græcè enim habetur προσπήξαντες, quod, Casaubono teste, vetus interpres neglectâ temporis significatione vertit, *affigentes*, supple, crucit.

Interemistis. Interemtionis autor interimere dicitur.

24. *Quem Deus suscitavit.* Præclarè pro more Aug. de verbis domini ser. 8. *Nullus mortuus est sui ipsius suscitator. Ille se potuit suscitare qui mortuâ carne non mortuus est. Etenim hoc suscitavit quod mortuum fuerat. Ille se suscitavit qui vivebat in se, in carne autem suscitanda mortuus erat. Non enim Pater solus Filium suscitavit, de quo dictum est ab Apostolo:* Propter quod eum Deus exaltavit, *sed etiam Dominus seipsum, id est, corpus suum, unde dicit,* Solvite templum hoc, & in triduo suscitabo illud. Joa. 2. v. 19. *Quis autem*, inquit idem Aug. contra serm. Arria. cap. 15. *ita desipiat ut Spiritum-sanctum resurrectionem hominis Christi dicat non cooperatum, cum ipsum hominem Christum fuerit operatus.*

Solutis doloribus inferni. Gr. θανάτου, *mortis*, id est, solutis funibus seu vinculis sepulchri, חבלי שאול five, quod idem est, diruptis mortis laqueis tenacibus, מוקשי מות, quibus se ipse Christus constringendum tradiderat, ponens animam suam, ut eam resumeret, Joa. 10. v. 17. Alludit ad fascias sepul-

chrales quibus cadavera ligant, aut ad funes, quibus constringuntur ad supplicia ducendi, ne consilio, aut industriâ se expedire possint. Ab his vinculis Deus Christum liberavit, revocando eum ad vitam nullâ morte finiendam. *Vox* חבל inquit Eduardus Leigh in supplemento Criticæ Sacræ, *duo significat* funem *vel* vinculum, & tormen *vel* cruciatum *imprimis* mulieris parturientis. *Hinc* LXX *interpretibus occurens hoc vocabulum, Psal.* 18. *v.* 2. *ubi certò significat* funes *vel* vincula, *placuit transferri* ὠδῖνες, dolores; *& sic rursus* 1 *Reg.* 20. *v.* 31. *& in aliis locis: & ad illorum exemplum hîc S. Lucas posuit τ. ὠδῖνας θανάτου*, vel ut aliqui veteres cum Vulgato & Syro interprete legerunt, ὠδάς, *ubi utraque additio vocabuli* solvendi *&* retinendi *ostendit hîc* denotari vincula vel funes.

Juxta quod. Id est, eò quod.

Impossibile erat, &c. Q. d. Vinciri & constringi quidem funibus mortis potuit, at ejus vinculis, quantumvis tenacibus, retineri vinctus & constrictus nequaquam potuit ille, qui potestatem habebat ponendi animam suam, & potestatem rursus assumendi eam, neque potuit eam nisi ut resumeret, Jo. 10. v. 17 & 18.

Ab eo. Gr. ὑπ' αὐτοῦ, scilicet θανάτου, vel ᾅδου, *ab illa morte*, vel *ab illo inferno*, in cujus vinculis constrictus liber erat sibi vincula abrumpere. Sumitur autem *infernus* in hoc versu vel pro sepulchro, vel pro communi receptaculo animarum per mortem à corpore separatarum, quod *inferni* vel *inferorum* nomine in Scripturis significari quàm multi, imò penè omnes veteres earum interpretes Judæi & Christiani opinantur. Hinc illud Hilarii in Ps. 138. *Humanæ ista lex necessitatis est, ut constipatis corporibus ad inferos animæ descendant: quam descensionem Dominus ad consummationem veri hominis non recusavit.* Porrò *infernum* pro loco vitâ functorum communi acceptum Hebræi שאול, Græci ᾅδην nuncupant, & utrique duas in regiones dispescere solent, quarum alteram Hebræi *Paradisum*, Græci *Elysium* nominant; alteram verò Hebræi *Gehennam*, Græci *Tartarum* appellant. *Christus ergo*, inquit Ja. Windet, in doctissimo libello de vitâ functorum statu, *in Paradiso fuit, & tàdem operâ ἐν ᾅδῃ. Nodum itaque inscirpo quæsivit Augustinus poterátque labori pepercisse, quem ei quæstioni in epistola ad Dardanum & aliquoties alibi insumit. Cumque in Symbolo credamus in Christum κατελθόντα εἰς ᾅδην, frustrà fuerunt qui eum in Tartara vi tantùm istius vocis descendisse credidérunt.*

25. *David enim dicit in eum.* Q. d. Spiritus enim Sanctus, qui per os Davidis Christi personam referentis loquebatur, ad mortuum Christum respiciens, hæc dixit, Ps. 16. vulg. 15. v. 8 & seqq.

Providebam Dominum in conspectu meo semper. Hoc est, mihi ante

ante oculos diu noctúque obversabatur Dei Majestas, ut ad ejus arbitrium nutúmque totum me accommodarem.

Quoniam à dextris est mihi ne commovear. Q. d. Ipsius enim ope & auxilio arduos supero labores. *A dextris esse*, inquit Genebrardus, *usu Scripturæ est paratum esse ad auxilium, assistere.* 26. *Propter hoc.* Quod nimirùm Deum ad quoivis labores superandos adjutorem habeam.

Lætatum est cor meum. Id est, toto pectore lætor. *Præterita*, inquit Vatablus in Ps. 16. *sunt apud Hebræos pro Futuris aut Præsentibus, Lætatur, exultat, requiescit.*

Et exultavit lingua mea. Heb. כבודי, *gloria mea.* Hoc est. & lætitiâ excitor ad hymnum canendum. *Gloria*, inquit Mollerus, *μεταλεπτικῶς pro lingua ponitur, ut Gen. 49. v. 6.* Non unita est in cœtu eorum gloria mea: *id est, ego non approbavi scelera totum meâ linguâ, nec jussu meo impuli eos ad tam grave scelus. Item* Ps. 30. v. *ult.* Propterea canet tibi gloria mea, *id est, lingua mea. Item* Psa. 57. v. 12. Exurge gloria mea, excitare nablium. *Ita autem dicitur lingua, quod conditum sit hoc membrum, ut Gloriam Dei & laudes hominum celebret. Itaque qui Deum vel homines contumeliâ afficiunt, horum lingua meritò dicitur, non gloria, sed ignominia.*

Insuper & caro mea requiescet in spe. Heb. לבטח *tutò.* Q. d. Quin etsi futurum sit aliquando, ut corpus meum rigidâ prostratum morte jaceat in sepulchro, fidissima tamen spes iterandi vitam à morte, animi tranquillitatem & securitatem mihi præstat. Kimchius ad hunc versum nonum Psalmi decimi sexti ait, si sensum literalem spectes mentem esse, בעודני בחיים ישכון לבטח שהציל ני מכל נזק, *quamdiu vivo, tutò quiescet caro mea, quia liberabit me ab omni damno*; at mystico sensu perinde esse censet ac si dicat, post mortem caro mea in Sepulchro jacebit tuta à vermibus, שלא שלטה בון רימה ותולעת, *quia non dominabitur ei gallina aut termis seu termes.*

27. *Quoniam non derelinques animam meam in inferno.* Gr. εἰς ᾅδην, scilicet δόμους, ut phrasin integram ponit Euripides in Alceste. De Davide sensus est, Non patieris me à Saule interfici, 1 Sam. 22. v. 1. De Messia verò, cujus res Davidis erant typi, Non relinques me diù in statu mortuorum, seu quod idem est, non sines animam à me pro ovibus meis positam diutiùs includi sejunctarum à corpore animarum receptaculo, in quod descendi *legem mortuorum servaturus*, ut loquitur Irenæus lib. 5. cap. 26. Præclarè Grotius ad Luc. 16. v. 23. *Verissimum est* infernum & ᾅδην *esse locum visibus nostris subtractum, & de corpore quidem cùm accipitur, Sepulchrum in quo est corpus sine animo; de animo verò, totam illam regionem sive statum in quo est animus sine corpore*

pore. Itaque fuit dives quidem ἐν ᾅδῃ apud inferos, *sed fuit* ἐν ᾅδῃ, apud inferos, *etiam Lazarus, disterminatis* ᾅδου, inferni regionibus. *Nam & Paradisus & gehenna, sive, ut loquebantur Græci,* Elysii & Tartara *sunt* ἐν ᾅδου, in inferno. *Græcos ita locutos res certissima est, quos Virgilius sequitur sextà Æneide. De Judæis nequis dubitet, vadem do Josephum, qui Samuelem ait evocatum* ἐξ ᾅδου, ex inferis, à saga. *Idem de Sadducæis loquens ita ait,* τὰς Καθ' ᾅδου τιμωρίας καὶ τιμὰς ἀναιροῦσι, pœnas honoréſque apud inferos tollunt. *Idem ubi Pharisæorum describit sententiam, apertè & supplicia & præmia animis constituit* ἐν ᾅδου, in inferno, *idémque vocat* ὑπὸ χθονὸς, sub terra, *quia quæ* ἐν ᾅδου, in inferno *sunt, vocari solent Græcis* ὑποχθόνια subterranea, *sive quòd verè sub terra esse* ᾅδης infernus *putaretur, sive potiùs quod non minùs, extra visum sit, quàm ea quæ intimo recessu terra celat. Josephus de Bello Judaico lib. 2. cap. 12. Essæorum placita describens, trans Oceanum locat pias animas, quibus alio loco ex eadem sententia sedem ascribit* χῶρον ὑρανοῦ τὸν ἀγιώτατον, regionem cœli sanctissimam. *Sed profectò illa loquendi genera,* sub terra, in aere, trans Oceanum, *& quod apud Tertullianum est,* trans igneam zonam, *nihil aliud quàm* τὸ ἀόρατον, invisibile, nobisque in accessum *designant. Idem Tertullianus lib. de anima penes* inferos *ponit* tormentum & refrigerium. Hæc Grotius, quibus demùm addit locum Ambrosii lib. de bono mortis cap. 10. *Satis fuerat dixisse illis* (Philosophis) *quòd liberatæ animæ corporibus* ἀΐδην *peterent, id est, locum qui non videtur, quem locum Latinè* Infernum *dicimus. Denique & Scriptura habit acula illa animarum promtuaria nominavit.*

Nec dabis. Id est, nec sines.

Sanctum tuum Heb. חסידך, *benignum tuum.* Id est, eum qui tuam in se claudi benignitatem nullibi sensit.

Videre corruptionem. Hoc est, corrumpi. Sic *videre mortem,* Luc. 2. v. 26. est mori. Heb. שחת, quod propriè significat corruptionem vel putredinem, ut insignes Apostoli duo, Petrus hîc, & Paulus infrà cap. 13. v. 30. emphasin vocis urgent. Attamen sæpiùs hoc vocabulum usurpatur pro fovea vel fossa, in qua cadavera putrescunt, Ps. 57. v. 7. & 94. v. 3. Sic vox διαφθορὰ, quâ Lucas vocabulum שחת exprimit, ab interpretibus Veteris Testamenti non solùm adhibetur ad nudam corruptionem denotandam, sed similiter etiam ejusdem locum, Ps. 7. v. 15. 9. v. 16. Pro. 26. 27. *Videre foveam,* inquit Vatablus *est condi in foveam ad corruptionem.* Sensus hujus hemistichii in Davide est, Non sines me tuâ benignitate regno destinatum tristi morte perimi ab hostibus; in Messia verò, quem David adumbrabat, Non patieris me, quem summo & ineffabili amore complecteris, tam diu jacere in Sepulchro, donec corpus meum putreat.

28. No-

28. *Notas mihi fecisti vias vitæ.* Heb. תודיעני ארח חיים, *Scire facies me semitam vitæ.* Respectu Davidis significat, Pandes mihi viam ad me intentatæ ab hostibus morti eripiendum certissimam. Respectu Messiæ, ¡Reduces me à morte ad vitam perpetuam & immortalem.

Et replebis jucunditate. Id est, cumulabórque gaudio.

A facie tua. Q. d. Comiter ac benignè à te conspectus.

29. *Viri fratres, licèat,* &c. Benigna est compellatio, concilians audientium animos. Non autem negat Petrus laudata ex Psalmo decimo sexto verba ullâ omninò ratione de Davide intelligi, sed contendit ea sic esse concepta Spiritûs-sancti suggestu, ut κατὰ πόδας τῆς χριστολογίας, *ad literam & propriè*, non de Davide, sed de Christo, cujus imaginem David exprimebat, sint intelligenda.

De Patriarcha David. Πατριάρχης, *Patriarcha* componitur ex voce πατριὰ *familia* & ἀρχὴ *principium*; non tamen quilibet patersfamilias ab Helleniſtis vocatur patriarcha, sed ii demùm, qui Hebraicè dicuntur ראשי אבות, *capita patrium*, hoc est, patrumfamilias parentes, totiúsque familiæ & cognationis autores, vocantur Exod. 6. v. 25. ἀρχαὶ πατριῶν, & 1 Paral. 9. v. 9. πατριάρχαι. Atque ita David propriè vocatur Patriarcha, quia autor erat familiæ regalis, quæ Πατριὰ dicitur Luc. 2. v. 4. Sic infrà cap. 7. v. 8 & 9. duodecim filii Jacob dicuntur Patriarchæ, quòd singulæ tribus ab iis tanquam autoribus generis nomen acceperint, & ad eosdem prosapiam suam referre potuerint. Ita Abraham appellatur Patriarcha Heb. 7. v. 4. quòd ad Abraham usque genus populi à Deo electi deducatur. Fuerunt & alii Patriarchæ impropriè sic dicti non tam generis, quàm excellentiæ & præstantiæ habitâ ratione. Sic 1 Paral. 27. v. 22. quos autor appellat שרי שבטי ישראל *Principes tribuum Israël*, Græci vocant Πατριάρχης τῶν φυλῶν Ἰσραὴλ, *Patriarchas tribuum Israël*; & hoc quoque sensu David Rex in altissimo amplissimóque dignitatis gradu locatus, Patriarcha vocari potuit. Tales etiam Patriarchæ impropriè dicti fuerunt apud Judæos Helleniſtas post excidium Hierosolymitanum, quos sibi duces præfecerant. *Itaque*, inquit doctissimus Heideggerus Exercit. 1. Hist. Patriarch. Num. 6. *et Patriarchæ Judæorum Alexandriam incolentium meminit Hadrianus ad Severinum Cos. apud Vopis cum in Saturnino. Narrat & Epiphanius in disputatione adversus Ebionitas Judæorum sui temporis partem aliquam Tiberiade habitasse, qui dispersionis suæ caput agnoscerent, quem Patriarcham nominabant; huíque jussisse velut assessores quosdam adjunctos, qui Apostoli dicerentur. A qua tamen consuetudine Christum suos Apostolorum nomine insignivisse, crassus nimis error Baronii est ad annum 32. num. 5. uti eruditè*

ditè ostendit Casaubonus. In Christiana verò Ecclesia, tanquam ritualí familia, post Christi passionem Episcopi quidam πάππαι, *id est,* πατέρες, *Archiepiscopi vero* πατριάρχαι. *id est, inter Patres primi, seu Principes appellati fuerunt. Quos quidem tolerare fas fuit, non ut* πατέρας, *Patres, Saltem ut* παιδαγωγοὺς ἐν χριστῷ *pædagogos in Christo,* 1 *Cor.* 4. *v.* 15. *Sed horum crescente ambitione, præcipui Archiepiscoporum, quos vocabant primæ sedis Episcopos, hoc nomen ad se rapuerunt; donec quatuor primùm hoc nomen præ ceteris obtinuerunt, Romanus, Alexandrinus, Antiochenus, Hierosolymitanus. Quibus posteà accessit Constantinopolitanus, propter novæ Romæ dignitatem factus secundus.*

Defunctus est. Ipso Pentecostes festo, si Talmudi Hierosolymitano ulla fides.

Sepulchrum ejus. Quo videlicet etiamnum Davidis Ossa cineres conteguntur.

30. *De fructu lumbi ejus.* Verba sunt ex Psalmo 132. v. 11. ubi in Græco, ἐκ καρποῦ τῆς κοιλίας σου: *de fructu ventris tui,* id est, ex partu uxoris tuæ. Sensus eodem recidit. Additur hic in textu Græco, τὸ κατὰ σάρκα ἀναφήσειν τὸν χριστὸν, *quod ad carnem attinet Christum suscitare.* Nihil autem causæ apparet cur hoc additamentum, quod exemplaria Græca exhibent, atque Chrysostomus expressit, vel intenuissimam adducatur suspicionem. *Quam enim* inquit eruditissimus Ludovicus, de Dieu, *Lucas non simpliciter quid Davidi juratum sit referat, sed quid David tanquam Propheta sibi juratum esse sciverit, non debuit simpliciter promissionis verba recensere, sed quomodo David tanquam Propheta ea intellexerit, explicare. Promiserat Deus Davidi fore ut de fructu ventris ejus collocaret aliquem super thronum ejus; id David tanquam Propheta scivit, nihil aliud esse quam fore ut de fructu lumborum suorum suscitaret Deus, quod ad carnem attinet, Christum, ut sederet super thronum suum.*

Sedere super sedem ejus. Christus dicitur sedere super solium Davidis, quia successor ei destinatus fuerat à Deo, qui cœlesti ac divinâ ratione regnaret super domum Jacob, hoc est, populum Dei, cujus terrenum imperium David olim à Deo acceperat. Quam ob causam Christus ipse dicit se habere *clavem,* id est, potestatem atque imperium *David,* Apoc. 3. v. 7. licèt thronus ipsius non in terris sit collocatus, sed in cœlum translatus, ejúsque imperio sint adjectæ omnes potestates cœlestes, terrestres, Angeli boni & mali, omnes populi, linguæ, nationes, mors ipsa et infernus.

31. *Providens,* &c. Q. d. David cùm Spiritu prophetico intelligeret sibi Ps. 132. & 2 Sam. 7. promissum esse, fore ut de semine suo suscitaretur Christus, eâdem præscientiâ propheticâ prædixit Psa. 16. Christi animam non diù à corpore sejunctam & secretam esse relinquendam, neque corpus ipsius tam-

tamdiu ſepulchro conditum iri, ut priùs redigatur in pulverem, quàm à mortuis excitetur.

32. *Cujus nos teſtes ſumus.* Gr. additur πάντες, *omnes.* Q. d. Nos hunc Jeſum à morte fuiſſe revocatum conteſtamur omnes, non ex fama, ſed ex iis, quæ viſu, auditu, tactúque percepimus.

33. *Dexterâ igitur Dei exaltatus.* Q. d. Hic itaque Jeſus divinâ virtute in cœlum ſublatus.

Et promiſſione, &c. Q. d. Et accepto Spiritus-ſancti dono, quod nobis quaſi inter Deum & homines medius ſæpè promiſerat, hoc nos largè effuſéque donavit, uti ſubito linguarum uſu vobis manifeſtò compertum atque deprehenſum eſt.

34. *Non enim David aſcendit in cœlum.* Id eſt, in cæleſte ſolium, quod ipſius terreſtri ſolio adumbrabatur.

Dicit autem ipſe. „ Sic & Chriſtus Mat. 22. v. 43. Mar. 12. v. 36. & Luc. 20. v. 42. Confeſſam rem & manifeſtam fuiſſe inter Judæos veteres Pſalmum centeſimum decimum continere prophetiam de Meſſia, ipſiúſque ſcriptorem eſſe Davidem. *Et ſanè,* inquit Grotius ad mox laudatum Matthæi locum, ἐπιγραφὴ, inſcriptio *ipſis Hebræorum codicibus eſt* לדיד מזמור Hymnus Davidis, *quod vel ſolum ſufficere debeat ne Eliezer aut aliquis Ezechiæ tamporum ſcriptor ejus hymni crederetur. Ut enim demus titulos ab ipſis ſcriptoribus non additos, tamen antiquiſſimos eſſe conſtat, quorum nunc fidem convellere non argumentis ullis, ſed animi libidine, hominum eſt contentionis ſtudio inſanientium. Illud* לדוד LXX. τῷ Δαβὶδ, Davidi, *interpretari ſolent, ſed aliter ceteri Paraphraſtæ Hebræique ipſi, qui* ל *tum in Pſalmorum inſcriptionibus, tum aliis multis in locis ea ſignificatione accipiunt, quam nos caſu ſecundo exprimimus. Et ſanè ſi aliter interpretemur, nullus erit Pſalmus qui ſit Davidis, aut certè quem Davidis eſſe conſtet, cùm tamen Pſalmos plurimos, & quidem eandem habentes inſcriptionem, à Davide ſcriptos ipſi quoque fateantur.*

Dixit Dominus Domino meo. Hoc eſt, Pater æternus Meſſiæ ex me ſecundum carnem naſcituro, qui tamen & meus eſt Dominus, quia æterni Patris unigenitus eſt Filius, Sotérque hominum. Meſſiam hîc à Davide vocari Dominum teſtatur & Rabbi Saadias Gaon ad cap. 7. Danielis v. 13.

Sede à dextris meis. Id eſt, in cœleſti Solio conſide & regna, ut Apoſtolus explicat, 1 Cor. 15. v. 25. & Heb. 10. v. 12 & 13. Non dicit, Sta coram me, ſed *ſede,* quod regiam judiciariámque poteſtatem ſignificat: neque dicit, Sede ad pedes meos, ſed *à dextris meis,* id eſt, à me ſecundus eſto.

35. *Donec ponam,* &c. עד, *donec,* inquit Genebrardus, *emphaticè ſolet ſumi pro* רעך, etiam donec, *& continuitatem ſignificare, ſive conſecutionem, non exceptionem vel excluſionem futuri temporis,*

cui

cui minimè opponitur. Q. d. Regna mecum etiam donec inimicos tuos tuis supponam pedibus. Etiam tempore quod tuo regno videtur oppositum & contrarium, etiam antequam hostes tuos tuis pedibus Suoque nam, Diabolo, morte, impiis, peccatis funditùs eversis & extirpatis. Nempe inter medias cruentissimas persecutiones, impietatis, motus & furias Satanæ, ac ministrorum ejus regna. Nam de alio tempore non est dubium quin regnet Christus. Observa ergo hac particulâ & similibus Scripturam atque adeo linguam Hebraicam affirmare, quod in dubitationem posset incidere, Psal. 122. Oculi nostri defixi in Dominum, donec misereatur nostri, *id est, etiam donec, sive antequam misereatur nostri, nempe tempore difficili. Mat.* 28. Vobiscum sum usque ad consummationem seculi, *id est, etiam usque ad consummationem seculi, ante quam multa in contrarium videntur posse contingere.*

35. *Certissimè*, &c. Q. d. Hæc itaque veritas vobis certa et atque indubitata, hunc Jesum. quem vos ad ignobilem inhonestâmque crucis mortem postulastis, constitutum esse à Deo Messiam in Lege ac Prophetis promissum, atque omni in cœlo ac terra potestate donatum.

37. *Quid faciemus.* Id est, quâ ratione veniam impetrabimus sceleris adeo immanis à nobis commissi, dum hunc Jesum à Deo constitutum cœli ac terræ Dominum, vitæ ac necis nostræ, & quidem sempiternæ arbitrum, Messiam in Lege ac Prophetis promissum ad ignobilem inhonestámque crucis mortem postulavimus?

38. *Pœnitentiam agite.* Gr. μετανοήσατε, *resipiscite.* Q. d. Sic vos acti pœniteat, ut in posterum non modò mentem, sed & totam vitam vestram mutetis in melius, ac secundum normam divinorum præceptorum componatis. *Pœnitentiam certam non facit, nisi odium peccati & amor Dei,* ait Aug. Ser. 7. de tempore. Vide quæ adnotavi ad Mat. 3. v. 2. & 8. in ea editione, quam dicavi illustrissimo Henrico Compton, Londinensi Episcopo, cujus flagrantissimum divinæ religionis atque virtutis zelum, liberalissimam & beneficentissimam in me ceteróque é Gallia Protestantes charitatem obscuratura nulla unquam est oblivio.

Baptizetur, &. Q. d. Juxta Christi præceptum aquæ immergatur unusquisque vestrum serio peccatorum suorum dolore percussus, utpote quæ sacra immersio à Christo est instituta instar signati cujusdam diplomatis, quo ipse iis, qui conscientiæ cauterio vulnerati ad se veluti solum animarum medicum fide non fictâ suspirant, confirmat ipsorum peccata omnia sic deleta, inducta, obliterata esse, ne unquam in conspectum suum veniant, ne commemorentur, ne imputentur.

Sacrum Baptismi ritum non pauculæ aquæ aspersione aut per-

perſuſione, ſed totius corporis baptizandorum, in aquam immerſione eſſe perficiendum indicat primò vocis Βαπτίζω proprietas. *Hic*, inquit Caſaubonus in Mat. 3. v. 6. *fuit baptizandi ritus, ut in aquas immergerentur, quod vel ipſa vox Βαπτίζειν declarat ſatis: quæ ut non ſignificat δύνειν quod eſt ſurſum petere, cum ſua pernicie, ita profectò non eſt ἐπιπολάζειν, Differunt enim hæc tria, δύνειν, Βαπτίζειν, ἐπιπολάζειν Unde intelligimus non eſſe abs re, quod jam pridem nonnulli diſputarunt de toto corpore immergendo in cæremonia Baptiſmi. Vocem enim Βαπτίζειν urgebant.* Vide quæ adnotavimus ſuprà cap. 1. v. 5. & in explicatione noſtra literali, Mat. 3. v. 6. & Mar. 1. v. 5.

Secundò, Chriſti exemplum, Mat. 3. v. 16. & Mar. 1. v. 9. Unde Synodus apud Celichyth Anno Domini DCCC. XVI. præſidente Wulfredo Archiepiſcopo Cantuarienſi cap. 11. *Sciant*, inquit, *Preſbyteri quando ſacrum Baptiſmum miniſtrant, ut non effundant aquam ſuper capita infantium, ſit ſemper mergantur in lavacro, ſicut exemplum præbuit per ſemetipſum Dei Filius, quando eſſet ter merſus in undis Jordanis. Ita neceſſe eſt ſecundum ordinem ſervari & haberi.* Vide explicationem noſtram literalem, Mat. 3. v. 15.

Tertiò, conſtans Eccleſiæ Catholicæ praxis ad Clementis V. ætatem, qui An. Dom. M. CCCV. Romanus Pontifex coronatus eſt, & ſub eo primùm ſecunda Synodus apud Ravennam celebrata ſuâ autoritate comprobavit abuſum à centum circiter annis tunc in quaſdam eccleſias inductam, ut Baptiſmus etiam nullâ neceſſitate cogente daretur per aſperſionem. Hinc factum ut contra hujus Sacramenti analogiam & intentam ſignificationem myſticam ferè per totum Occidentem *pro* Βαπτίσματι ῥαντισμὸν *nunc habeamus*, ut loquitur Zepperus, magno Græcorum & Ruſſorum ſcandalo, qui in hodiernum uſque diem in aquas mergunt, quos Chriſtianæ initiant religioni, & ritè baptizatum quemquam negant, qui juxta Chriſti præceptum & exemplum non fuerit merſus, ut videre eſt apud Sylveſtrum Sguropulum in hiſtoria Concilii Florentini ſect. 9. cap. 9. & Caſſandrum lib. de Bapt. infantium, p. 693. **The cuſtom of the Ancient Church was not ſprinkling, but immerſion, in purſuance of the ſenſe of the word Βαπτίζοντες, in the command, and the example of our bleſſed Saviour:** *Baptizandos non aſpergere ſed merſare ſolebant veteres Eccleſiæ, ſignificationi vocis Βαπτίζοντες in baptizandi præcepto contentæ, atque exemplo beati Soteris noſtri inſiſtentes*, ait Jeremias Taylor Dunenſis Epiſcopus Ductoris dubitantium lib. 3. cap. 4. Reg. 15. num. 9. Βάπτειν, inquit Salmaſius in noris variorum ad librum Sulpicii

Se-

Severi de vita B. Martini num. 16. *à quo* βαπτίζειν, *immersionem significat, non adspersionem. Nec aliter veteres quàm mersione unicâ vel trinâ baptizabant. Græca Ecclesia etiam hodie baptizandos mergit.* Idem de Iberis & Colchis testatur Petrus Avitabolis in epistola ad Urbanum VIII. *Soli Clinici*, pergit Salmasius, *quòd decumberent, baptizati sunt eo quo poterant modo, non lavacro integro, ut hi qui caput sub aqua mergunt, sed toto corpore aquâ perfuso. Cyprianus* 4 *Epist.* 7. *Sic Novatus Baptismum accepit æger,* περιχυθεὶς circumfusus, *non* βαπτίσθεις, immersus, *Euseb.* 6. *Hist.* 43. Gregorius Nazienzenus Oratione quadragesimâ, quæ est in sanctum Baptisma, multa hujus Sacramenti ac diversa nomina recenset, inter quæ hæc duo sunt, *baptisma* & *lavacrum*. Rationémque harum appellationum subjiciens ait vocari λουτρὸν, ὡς ἔκπλυσιν, *lavacrum quia ablutio est,* Βάπτισμα δὲ, ὡς συνθαπτομένης τῷ ὕδατι τῆς ἁμαρτίας, *Baptisma verò, quia peccatum in aqua sepelitur.* Nempe ut loquitur Ambrosius lib. de initiandis cap. 3. *Aqua est, quà caro mergitur, ut omne abluatur peccatum. Sepelitur illic omne vitium.* Quod in libro inscripto, *Reformatio legum Ecclesiasticarum*, in lucem edito Londini anno, M. DC. XLI. his verbis exprimitur: *Dum in aquas demergimur, Christi mors & sepultura commendatur, ut palàm testificemur peccatum in nobis mortuum & sepultum jacere.* Ut enim ait Bernardus Ser. 46. *Mersio mortis & sepulturæ formam gerit.* Mersioni autem adspersionem aut aliam quam libet corpori aquam applicandi rationem substituere ad idem significandum non est penes mysteriorum Dei dispensatores, sive Ecclesiam, quia, ut optimè advertit Thomas Aquinas, 3 p. q. 60. ar. 5. ad 1. *Determinare quo signo sit utendum ad significandum pertinet ad significantem. Deus autem est, qui nobis significat Spiritualia per res sensibiles in Sacramentis.* Ecclesia non habet plus autoritatis, quàm ab Apostolis ad ipsam derivata est, ipsi verò Apostoli à Christo jam redivivo, Mat. 28. v. 20. donati sunt autoritate docendi ubique gentium servare omnia omninò ipsius præcepta, nullibi verò ipsis concessa est potestas vel apicem unum etiam in minimis Christi præceptis mutandi, multóque minùs sua autoritate nova adjiciendi. Denique necessitatem mergendi baptizandos evincit, quod Petrus v. 20 & 21. germanum Baptismi finem dicit non esse ut repræsentet interiorem à peccatis ablutionem, quæ quavis exteriore corporis ablutione repræsentari potest; sed ut exprimat mortem & Resurrectionem Christi simul & nostram, nostrámque utriusque Resurrectionis fidem, utì vir longè clarissimus Nortonus Knatchbull in eruditis notis suis ad laudatum Petri locum adnotavit, cujus verba etsi longiuscula non possum non hîc transcribere, adeo sunt veritatis & nervositatis plena. Petri *sensus est*, inquit,

1. Rt. 3. 20. 21.

Bap-

Baptiſma quod nunc nos ſervat per aquam, id eſt, per miniſterium aquæ, & eſt antitypum Arcæ Noæ, non ſignificat depoſitionem ſordium carnis ſed ὕδατος, per aquam, ſed bonæ conſcientiæ ſtipulationem in Deum, dum immergimur in aquam, quod eſt verus uſus aquæ in Baptiſmate, ut teſtificemur fidem in Reſurrectionem Jeſu Chriſti. Adeout manifeſta ſit antitheſis inter τὸ ὕδατος, & τὸ ἀναστάσεως, & in ea non ingrata elegantia. Ac ſi diceret, Arca Noæ, non diluvium, erat Baptiſmi typus, & Baptiſmus erat Arcæ antitypum, ſed non in eo quòd Baptiſma ſit ablutio ſordium carnis per aquam, in quo non omninò reſpondet Arcæ, ſed quòd ſit bonæ conſcientiæ in Deum ſtipulatio per Reſurrectionem Jeſu Chriſti, in cujus Reſurrectionis fide nos nunc ſervamur, ut ſervati ſunt illi in Arca Noæ. Reſurrectionis enim & Arca Noæ, & Baptiſmus erant utrique typus & figura. Ita ut proprius finis Baptiſmi non debeat intelligi quaſi ſignum ſoret ablutionis peccatorum (etſi ita ſæpius in Novo Fœdere & à Patribus accipiatur μετωνυμικῶς) ſed κυρίως ſignum Reſurrectionis, per fidem in Reſurrectionem Jeſu Chriſti. Cujus Baptiſma maximè viva & Emphatica eſt figura, ſicut erat & Arca Noæ, ex qua Noa rediit tanquam è ſepulchro ad vitam novam, ideoque non ineptè à Philone dictus Παλιγγενεσίας ἡγεμὼν *& venter cete, ex quo poſt triduanam ſepulturam reſurrexit Jonah; & Nubes & Mare Rubrum, in quibus populus Iſraeliticus dicitur fuiſſe baptizatus, id eſt, non ablutus ſed ſepultus. Omnia enim erant typi ejuſdem rei cum Baptiſmo, non ablutionis peccatorum, id eſt, depoſitionis ſordium carnis, ſed mortis & Reſurrectionis Chriſti ſimul & noſtræ. Atque huic veritati ſuffragantur Apoſtoli, Patres, Scholaſtici, & interpretes fere omnes. Res eſt quidem ita manifeſta, ut teſtimoniis non indigeat, quoniam verò ſunt non pauci, qui non ita vulgò docent, non ſupervacaneum erit, ne gratis loqui videar, aliqua ex innumeris proferre teſtimonia. Et primo initium ſumamus à S. Paulo.* Ἢ ἀγνοεῖτε, *&c.* An ignoratis quòd quicunque baptizati ſumus in Chriſtum Jeſum, in ejus mortem baptizati ſumus? Conſepulti enim ſumus cum illo per Baptiſmum in mortem ut quomodo Chriſtus ſurrexit à mortuis per Patrem gloriæ, ita & nos in novitate ambulemus, *&c. Rom. 6. v. 3 & 4. Coloſ. 2. v. 12. ut etiam 1 Cor. 15. v. 29.* Ἐπεὶ τί ποιήσουσιν, &c. Alioquin quid facient qui baptizantur pro mortuis, ſi omninò mórtui non reſurgunt? *Ac ſi diceret, Si non eſt Reſurrectio, ad quid baptizantur? In vanum utitur Eccleſia Symbolo Baptiſmi, ſi mortui non reſurgant. Occurrunt ſimilia paſſim teſtimonia apud Patres. e. g.* Ut credentes in ejus mortem, εἰς τὸ Βαπτίσματος, per Baptiſmum ſitis participes ejus Reſurrectionis. *Ignat. Ep. ad Trall.* Βαπτίσμα ἐις τὸ θάνατον τὸ Κυρίου διδόμενον, Baptiſma datum in mortem Domini. *Ep. ad Philadel. nomine Ignatii.* τὸ πάθος καὶ τῆς ἀναστάσεως αὐτοῦ ἐν τῷ Βαπτίσματι τελέως τὸ ἀσάλευτον. Paſſionis & Re-

Resurrectionis ejus in Baptismo peragimus Symbola. *Justinus Martyr.* Unum novimus salutiferum Baptisma, quandoquidem una est pro mundo mors, & una ex mortuis Resurrectio, οὕτω τύπος ἐστὶ τὸ Βάπτισμα, quorum typus est Baptismus. *Basilius Magnus.* Audi clamantem Paulum, Mare transierunt & omnes baptizati sunt in nube & in mari, Βάπτισμα ἐμοὶ τὴν θαλάττης ὁδὸν, θανάτου γὰρ ἦν φυγὴ πληρουμένη δι' ὕδατος: Baptisma vocat viam maris, fuga enim erat mortis impletæ per aquam. *Basilius Seleucienſis.* τὸ γὰρ βαπτίζεσθαι καὶ κατδύεσθαι, εἶτα ἀναγένεσθαι, τῆς εἰς ᾅδου καταβάσεως ἐστὶ σύμβολον καὶ τῆς ἐκεῖθεν ἀνόδου. Baptizari enim & demergi, deinde sursum remeare & emergere, est signum descensûs ad Haden, & ex eo reditûs. *Chrysostomus.* Baptismus Resurrectionis pignus & imago. *Ambrosius.* Baptismus arrhabo Resurrectionis. *Lactantius.* Mersio mortis & sepulturæ formam gerit. *Bernardus.* *Innumera possem accumulare testimonia, sed hæc opinor abundè sufficient ad probandum Baptismum esse propriè typum mortis & Resurrectionis Jesu Christi, (ex quo agnoscimus mysterium religionis nostræ, nempe, Humanitatem & Deitatem ejus Rom. cap. 1. v. 4.) ac etiam omnium Fidelium, qui in ejus fide baptizati sunt, à morte in peccato ad novitatem vitæ; quod si fecerint in hoc mundo, habent spem firmissimam se post mortem cum Christo in futuro resurrecturos ad gloriam. Et si hæc ita sint, quæ tam visibilis, obsecro, est affinitas sepulturæ cum ablutione, ut Baptismus Christianus putetur originem trahere à Judaicis lotionibus & baptismis? Quod si verum esset Baptismum nostrum lotionem vel ablutionem significare, vel si verum esset Judæos ab initio vel suos vel proselytos admisisse in Ecclesiam suam per baptismi collationem, quod à doctissimis viris à diebus superis promulgatum est, argumentum foret fateor probabile institutionem Baptismi nostri peti à baptismis Judæorum; sed Baptismum nostrum verè esse typum sepulturæ & Resurrectionis, non vero lavationis, jam satis dictum est. Quoad verò argumentum eorum quo peti volunt Baptismum nostrum à Judaicis lotionibus, ut de eo nihil certi constat, ita etiam adeo procul est ab eo omnis Scripturæ autoritas, ut vix ejus in Veteri Testamento vestigia reperire queam Originem volunt petere à voce* טָבַל lavit, *vel* purgavit, *Exod.* 19. v. 10. *At Magistri, ni fallor, habent pro Baptismo vocem* טְבִילָה, *quæ significat* immersionem, *satis eo indicantes se debere notionem istius vocis Græcis, vel potiùs Christianis. Quid enim affine est inter lotionem & immersionem? Legimus enim quosdam aveà etiam baptizatos. Adeò verò ipsa res incerta est, ut neque de Rabbinis affirmari possit, non fuisse inter ipsos, qui de hac re dissentirent; in ipso enim textu quem laudant doctissimi viri, Rabbi Eliezer expressè contradicit Rabbi Joshuæ, qui primus quod novi, hoc Baptismi genus inter Judæos asseruit. Rabbi enim Eliezer, (ut ex Talmudo affirmatur) qui R. Joshuæ fuit coætaneus si*

non

non ætate prior, apertè dicit, Proselytum circumcisum, & non baptizatum, verum esse proselytum, nam sic legimus de patribus Abrahamo, Isaaco & Jacobo, qui circumcisi erant & non baptizati. *Affirmat verò è contrario R. Joshua,* eum, qui baptizatus est, & non circumcisus, esse prosélytum, *Utri verò potiùs assentiar? Eliezero, qui affirmat quod Scriptura docet, an Joshuæ qui affirmat, quod Scriptura nusquam habet? Magistri verò (quid mirum?) stabant pro Rabbi Joshua, faciebat enim in rem suam, in honorem scilicet religionis Judaicæ, Christianos mutuò petere ab ipsis suas cæremonias. At cùm videam summi judicii viros in his temporibus è Rabbinis fundamenta petere veritatis, non possum non tantisper hæsitare;* Unde enim nobis missus est Talmudus, *verba sunt Buxtorfii in sua Synagoga Judaica,* ut ei nos tantum fidei adhibere debeamus, ut ex eo Legem Mosis [redacted] intelligi vel posse vel debere credamus? *Multò magis [redacted] ex professo erant inimici. Vocatur enim Talmudus, [redacted] inthus,* & fabularum Judaicarum fundamentum. [redacted] *pro authentico habitus quingentis post Christum annis; non ejus [redacted] æquum ejus testimonio acquiescere. Et quod me magis movet, ipse Josephus, ut taceam universos Patres ante Talmudi tempora, qui etiam Judæus, & Rabbi Eliezero coævus, qui etiam de industria scripsit de vitibus, moribus & gestis Judæorum, totus in hac re silet, adeò ut mihi sit argumentum demonstrationi proximum, nempe duos tantæ eminentiæ viros, utrosque Judæos & coævos, alterum disertè negari, alterum in sua historia de hoc baptismo nullam omninò mentionem facere. Præterea si Baptismus hodierno sensu fuisset in usu apud Judæos temporibus priscis, cur dixerunt Baptistæ Phariſæi,* Quid ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Elias neque Propheta iste? *Jo.* 1 *v.* 25. *An non planè innuunt nullum fuisse antea Baptismi usum, & receptam fuisse opinionem inter ipsos nullum debere esse usquedum veniret Christus, vel Elias, vel Propheta iste? Quomodo igitur tanta sit affinitas inter Baptismum nostrum & baptismos Judæorum, ut alter alteri ullo jure vel prætextu putetur succedere, est, fateor, ultra fidem meam. Arrianum verò aiunt vocare Judæum βεβαμμένον, verùm ego cum ejus Commentatore sentio ipsum confusè loqui, & velle potiùs Christianum quàm Judæum, ut etiam alibi vocat Christianos* Galilæos; *ut Lubinus etiam in illud Juvenalis:*

Nunc sacri fontis nemus & delubra locantur
Judæis.

Judæis vult intelligi Christianos, qui edicto Domitiani Urbe pulsi, sylvas illas inhabitare cogebantur, quæ sacræ erant superstitioni Gentilium. Ut verò imponam finem, aio cum Alexandro de Hales, Tinctio est formalis causa Baptismi. Hactenus vir undiquaque doctissimus & de sacris literis optimè meritus, Nortonus Knatchbull Eques Baronettus. *Quod,* inquit Grotius ad Mat. 3. v. 6. Tingere *pro* baptizare *usurpant veteres, mirum videri non debet, cùm*

Latinè tingendi vox propriè & plerunque idem valeatquod mersare.

Hinc mirum non est dubitasse Magnum apud Cyprianum, *an legitimi Christiani habendi sint*, hoc est, rité initiati Christianæ religioni, qui solâ aspersione, vel perfusione fuerint initiati *in infirmitate & languore*. Cui tamen respondens Cyprianus ait suo quidem judicio quicquid Sacramento Salutari præstatur beneficii, id aspersio & perfusio, *necessitate cogente & Deo indulgentiam suam largiente, totum creantibus conferunt.*

And this is the letter and law of the Church of England; not that it be indifferent, but that all Infants be dipped, except in the case of sickness, and then sprinkling is permitted. And therefore although in cases of need and charity the Church of England does not want some good examples in the best times to countenance that permission, yet we are to follow her command, because that command is not only according to the meaning and intent of the word Βαπτίζειν, but agrees with the mystery of the Sacrament itself; For we are buried with him in Baptism, saith the Apostle. In aqua tanquam in sepulchro caput immergentibus vetus homo sepelitur & submergitur, deindè nobis emergentibus novus resurgit inde. *So St. Chrysostom.* The old man is buried and drowned in the immersion under Water, & when the baptized person is lifted up from the water, it represents the resurrection of the new man to newness of life. In this case therefore the contrary custom not only being against an Ecclesiastical law, but against the analogy and mysterious signification of the Sacrament, is not to be complyed with, unless in such cases that can be of themselves sufficient to justifie a liberty in a Ritual and Ceremony; that is, a case of necessity.

Hæc reverendissimus Dunensis Antistes, eruditione inclytus Jeremias Taylor loco suprà laudato. At verò sanctissimus Mar-

Martyr Cyprianus neminem ad ſuam de aſperſis perfuſiſve in infirmitate & languore ſententiam aſtringit. *Qua in parte* inquit, *nemini modeſtia noſtra præjudicat, quominus unuſquiſque quod putat, ſentiat, & quod ſenſerit faciat,* Sed enim Cypriano æqualis Cornelius Romanus Epiſcopus & Martyr cum Synodo ſexaginta epiſcoporum in dubium vocavit utrum hujuſmodi aſperſio vel perfuſio ægrorum Baptiſmus appellari poſſit, ut videre eſt in ejuſdem Cornelii epiſtola ad Fabium Antiochenæ Eccleſiæ Epiſcopum apud Nicephorum lib. 6 cap. 3. Certè etiam infirmos fuiſſe ſolitos *immergi ſive intingi, quod propriè baptizari eſt,* ut loquitur Pamelius in notis ad laudatam Cypriani epiſtolam ad Magnum, teſtantur Acta variorum ſanctorum. & ut cetera brevitatis cauſâ omittam, habent Acta S. Sebaſtiani Martyris nobilem virum Tranquillinum graviſſimâ podagrâ confectum ſic baptizatum à Polycarpo Presbytero, Baptiſmo refectum fuiſſe. Item paralyticus Judæus, qui poſt longa medicæ artis varia tentamenta cœpit à Chriſtiano Baptiſmo ſperare ſalutem, ab Attico Joannis Chryſoſtomi in ſede Conſtantinopolitana ſucceſſore ad baptiſterium in lecto apportari juſſus, in illud eſt immerſus; ſtatim verù ut hic Judæus ſincerâ fide baptizatus è lavacro Baptiſmatis erat elatus, paralyſi liberatus eſt, & ad veram ſanitatem reſtitutus, ut ſcribit Socrates lib. 7. cap. 4. Quare ſi rejectis humanæ contentionis erroribus, ad Evangelicam autoritatem atque ad Apoſtolicam traditionem ſincerâ & religioſâ fide revertamur, intelligemus tutiſſimum eſſe iis, qui in articulo neceſſitatis, omninóque neceſſarium illis, qui nullâ neceſſitate cogente fuerint aſperſi vel perfuſi, Chriſto non ῥαντισμὸν, *adſperſionem,* aut περίχυσιν, *perfuſionem effuſionémve,* ſed βαπτισμὸν, *immerſionem* præcipienti morem gerere, & baptizari ſeu immergi in aquam juxta ipſius inſtitutum, qui *factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis æternæ,* Heb. 5. v. 9. Nec eſt quod quis in hoc caſu vereatur Baptiſmi iterationem aut alicujus Eccleſiæ ſcandalum, *quoniam,* ut Optimè Gregorius magnus lib. 1. Ep. 37. *non monſtratur iteratum, quod certis indiciis non oſtenditur rite peractum;* atque ut ait idem lom. 7. in Ezech. *Si de veritate ſcandalum ſumitur, utilius permittitur naſci ſcandalum, quàm ut veritas relinquatur.* Eccleſiarum conſuetudinem neceſſe eſt accomodari ad Chriſti verba, non verba ad receptam Eccleſiæ conſuetudinem detorqueri, cùm Chriſti verba ſint fundamentum, cui ſolum perſtrui debeat omnis Eccleſiæ conſuetudo, ut tuta ſit atque laudabilis. Quicquid adverſus Chriſti verbum ſapit, adverſus veritatem ſapit, atque, ut ait Tertullianus in libro de velandis virginibus, *Quodcunque adverſus veritatem ſapit, hoc erit hæreſis, etiam vetus conſuetudo.* Potens eſt Dominus miſericordiâ

suâ indulgentiam dare simpliciter errantibus. *Non tamen*, ut benè monet Cyprianus ep. 73. ad Jubaianum, *quia aliquando erratum est, ideò semper errandum est: cùm magis sapientibus & Deum timentibus congruat, patefactæ & perspectæ veritati libenter atque incunctanter obsequi, quàm pertinaciter atque obstinatè reluctari.* Scotus laudatâ Alexandri tertii sententiâ de baptizandis iis, de quibus dubium est an baptizati fuerint, occasionem sumit commendandi tres, ut vocat, Maximas; *Et universaliter*, inquit, *in omnibus dubiis, quantùm ad materiam & formam, sunt tres maximæ. Prima est ista*, Si possibilitas adest, via tutissima est eligenda. *Secunda*, si non adest possibilitas, viæ tutissimæ proxima est tenenda. *Tertia est ista*, Cessante impossibilitate, cautè est supplendum, quod impossibilitas prohibebat. Hæc Scotus in 4 Sent. dist. 3. q. 2. Num. 10. Edit. Antwerp. A. D. 1620. Has maximas rationi apprimè consentaneas qui sequi voluerit, nullus dubitabit quin baptizari debeat, si non præceptum à Christo Βαπτισμὸν, sed vulgari usu, sive, ut Lutherus loquitur, *abusu* substitutum βαπτισμὸν, tantummodò acceperit. Vide infrà cap. 8. v. 38. *Nec dubium*, inquit celeberrimus Theologus Scoto-Britannus Johannes Forbesius Instruct. Hist. lib. 10. cap. 14. num. 13. *quin denuò sint baptizandi qui priùs inani duntaxat lotione, non vero Baptismi Sacramento tincti fuerunt. Et quamvis non tanta sit, quantam imaginantur Papistæ, magna est tamen, ut suprà cap. 5. num. 10. docuimus, hujus Sacramenti necessitas cum insigni utilitate conjuncta.*

pag. 53.

In nomine Jesu Christi. Hoc est, fidem non fictam in Christum professus, ut colligere est infra ex cap. 8. v. 37. Vide ibidem à nobis adnotata. Vel, *in nomine Jesu Christi*, idem est ac *in Christo Jesu*, ut loquitur Paulus Rom. 6. v. 3. *An ignoratis*, inquit, *quia quicunque baptizati sumus in Christo Jesu*, seu ut habetur Græcè, *in Christum Jesum, in morte*, Græcè, *mortem, ipsius baptizati sumus?* Ad quæ verba Eulogius Alexandrinus lib. 2. contra Novatianos apud Photium in Bibliotheca, τὸ μὲν εἰς Χριστὸν Ἰησοῦν βαπτισθῆναι, σημαίνοι ἂν τὸ κατὰ τὴν ἐντολὴν καὶ Παράδοσιν τοῦ Χριστοῦ Ἰησοῦ βαπτισθῆναι; τοτέστιν, εἰς πατέρα καὶ Υἱὸν καὶ ἅγιον πνεῦμα: τὸ δὲ εἰς τὸν θάνατον αὐτοῦ. *In Christum Jesum baptizari significat secundum præceptum & traditionem Jesu Christi baptizari: hoc est, in Patrem & Filium & Spiritum-sanctum. Illud autem, In mortem ipsius, typo repræsentantes in Baptismate mortem ejus.* Idem Patriarcha ibidem paulò antè, ὅτι τὸ ἐν ταῖς πράξεσιν εἰρημένον, &c. *Quod dictum est in Actis de iis qui Joannis Baptisma acceperant, quòd Audientes baptizati sunt in nomine Domini Jesu, hoc est baptizati sunt juxta traditionem, doctrinamque Domini Jesu. Quemadmodum & aliàs dictum dicitur, quòd in Christum aut mortem Christi baptizati sunt,*

A Johanne baptizati, in Christum, Rom. 6. 3. Acta 19. 5.

eundem

tundem ſenſum debemus intelligere ſignificari: hoc eſt, in nomen Patris & Filii & Spiritus-ſancti baptizati ſunt. Sic enim docuit & mandavit baptizare Dominus noſter Jeſus Chriſtus. Johannes Ivellus Epiſcopus Salisburienſis Confutationis Hardingi Sectione nona. *In nomine Chriſti baptizare* inquit, *eſt ita baptizare ut Chriſtus inſtituit, præſcripſit, ſanxit. Iſta autem verba,* In nomine Chriſti, *nihilo magis evincunt Baptiſmum Chriſti nomine tantùm fuiſſe adminiſtratum, nec cujuſquam alterius, quàm hæc,* Paulus Servus Jeſu Chriſti, *Paulum Chriſti tantùm, non etiam Patris & Spiritus-ſancti fuiſſe ſervum arguunt; aut hæc verba, quæ Paulus locutus eſt ad cuſtodem carceris,* Crede in Dominum Jeſum, *illum in alteras duas Trinitatis perſonas credendi neceſſitate liberant atque ſolvunt.* Porrò ſiqua fides Pſeudo-Abdiæ Babylonico, in exordio naſcentis Eccleſiæ Apoſtoli dum baptizabant, hac utebantur verborum formulâ, *Ego te baptizo in nomine Patris & Filii ejus Jeſu Chriſti & Spiritus-ſancti.* Forte ut nomen Jeſu Chriſti quod erat invidioſum apud Judæos & Gentiles, adducerentur in honorem per hoc, quod ac ejus invocationem dabatur Spiritus-ſanctus in Baptiſmo. *Jeſu Chriſti,* inquit Cyprianus in epiſtola 73. ad Jubaianum, *mentionem facit Petrus, non quaſi Pater omitteretur, ſed ut Patri quoque Filius adjungeretur.* Hinc Aug. lib. 3. contra Maximinum Arianorum Epiſcopum cap. 17. hoc exemplo utitur ad objectum ipſius infirmandum, ac diluendum, ubi Arianus iſte contendit Spiritum-ſanctum non eſſe creatorem, quòd omnia per Filium facta dicuntur. *Si,* inquit Aug. *quia non eſt nominatus Spiritus, quando de Filio dictum eſt,* Omnia per ipſum facta ſunt, *ideo putas Dei Spiritum non eſſe creatorem, procul dubio nec in ejus nomine poteris baptizatos dicere, quibus ait Petrus:* Agite pœnitentiam, & baptizetur unuſquiſque veſtrum in nomine Jeſu Chriſti, *quia non ait, Et Spiritus ſancti: nec in nomine Patris, quia nec ipſe ibi eſt nominatus. Si autem etiam non nominatis Patre & Spiritu-ſancto, in nomine Chriſti juſſi ſunt baptizari, & tamen intelliguntur non baptizati niſi in nomine Patris & Filii & Spiritus-ſancti, cur non ſic audis de Filio Dei,* Omnia per ipſum facta ſunt, *ut & non nominatum intelligas ibi etiam Spiritum-ſanctum.* Hæc Auguſt. *Certiſſimè,* inquit Facundus Hermianenſis Epiſcopus lib. 1. ad Juſtinianum Imperatorem cap. 3. *in nomine Jeſu baptizabant Apoſtoli, etſi non in ſolius Domini Jeſu, id eſt, Filii nomine baptizabant, verùm etiam in Patris & Spiritus-ſancti. Ac per hoc arbitror quòd cùm Baptiſmus celebraretur, in ipſis quoque ſacratis verbis ſervabatur illa forma Baptiſmi: in narratione verò ſufficiebat ad diſcretionem aliorum baptiſmatum ſolius Domini Jeſu facere mentionem. Propterea verò credo quod de omnium trium perſonarum commemoratione, Domini Jeſu nomen ad inſinuandum novum Baptiſmum magis aſſumptum eſt, quoniam ipſi conſepelimur per Baptiſmum in mortem. Verumtamen non diceretur, niſi unus eſſet ex Trinitate* Dominus Jeſus Chriſtus. *In*

In remissionem peccatorum vestrorum. Hoc est, in sigillum remissionis peccatorum sive acceptæ sive accipiendæ, *per conscientiæ*, ut aiunt, *certiorationem*. Præclarè doctissimus Amesius Bellarmini enervati tom. 3. cap. 3. *Remissio peccatorum in sententia Dei offensi consistit, neque potest tribui externæ alicui ceremoniæ, nisi sub rati ne signi, aut sigilli sententiam illam testatam reddentis.* Bonaventura 4 D. 1. Art. 1. Q. 4. *Sicut*, inquit, *literæ regiæ annulo Regis sigillatæ, magnæ sunt dignitatis, & virtutis & valoris; & magna dicuntur & posse & facere, tamen in eis nulla est virtus absoluta. Sed sola ordinatio per assistentiam virtutis regiæ: sic intelligendum in Sacramentis. Et sic loquuntur SS. Patrum autoritates secundum communem usum.*

Et accipietis donum Spiritus-sancti. Id est, Spiritûs Prophetici compotes eritis, cujus specimen in linguarum diversitate cernebatis. *Neque enim*, inquit Calvinus, *de sanctificationis gratia, quæ generaliter piis omnibus conjuncta, debet hic locus intelligi* Ex usitato apud Hebræos loquendi usu רוח הקדש *Spiritus-sanctus* dicitur spiritus propheticus, qui ab anno secundo Darii Hystaspis inter Judæos, ipsis fatentibus, defecerat, jam autem & longè uberiùs restituebatur, per Jesum Christum, juxta Joelis vaticinium.

39. *Vobis* &c. Q. d. Vos enim qui à me prædicato creditis Evangelio, cum posteris vestris creditoris & omnibus Deo vocanti auscultaturis, comprehensi estis in eorum numero, ad quos spectat laudata suprà Dei promissio per os Joelis.

Qui longè sunt. Id est, prorsus alieni à jure & consortio populi Israelitici. Sciebat Petrus Scripturarum peritissimus, & jam Spiritu-sancto illuminatus vocationem gentium aliquando futuram; quin & id à Christo didicerat Mat. 28. v. 19. & suprà cap. 1. v. 8. At quo tempore, quibúsve legibus essent vocanda ignorabat. Unde infrà cap. 10. cùm gentes necdum vocatæ essent, quasi pollutis detrectavit Petrus agglutinari; cognitâ autem Dei voluntate, quâ de jam jam vocandis absque Legis Mosaicæ observatione constabat, continuò ad eas accurrit.

Quoscunque advocaverit Dominus Deus noster. Id est, quicunque Deo vocanti paruerint. *Nam*, inquit Grotius, *sæpè in vocibus verbificis significantibus tacitè subintelligitur beneficii acceptatio. Sic nomen* vocatorum *sumitur*, 1 Cor. 1. v. 24. & Judæ v. 1. *Sic* revelari *sumitur Es.* 53. v. 1. *Sic Deus* dare pœnitentiam *dicitur*, 2 Tim. 2. v. 25. Dare panem de cœlo, *Jo.* 6. v. 32. Dare cor, *Deut.* 29. v. 4. *Multaque sunt alibi pari sensu posita.* Vide quæ ex Augustino adnotavimus in explicatione nostra literali ad hæc verba, *quos Dominus vocaverit*, Joel 2. v. 32.

40. *Aliis*, &c. Q. d. Hortatibus quoque instabat atque urgebat

urgebat eos, inſectabatur, poſcebat atque adeo flagitabat, ut ſeſe ſegregarent à reliqua Judæorum in Chriſtum credere nolentium, oblatámque divinam gratiam contumaciter repudiantium turba, ne eodem cum ipſis exitio involverentur.

41. *Qui ergo receperunt ſermonem ejus, baptizati ſunt.* Walafridus Strabo Abbas Augiæ divitis in diœceſi Conſtantienſi, qui obiit A. D. 849. in opere ſuo de officiis divinis, ſeu de exordiis & incrementis rerum eccleſiaſticarum cap. 26. *Notandum*, inquit, *primis temporibus, illis ſolummodò Baptiſmi gratiam dari ſolitam, qui & corporis & mentis integritate jam ad hoc pervenerant, ut ſcire & intelligere poſſent quid emolumenti in Baptiſmo conſequendum, quid confitendum atque credendum, quid poſtremò renatis in Chriſto eſſet ſervandum.* Curcellæus noſtras religionis Chriſtianæ Inſtitut. lib 1. cap. 12. *Pædobaptiſmus*, inquit, *duobus primis à Chriſto nato ſeculis fuit incognitus, in tertio verò & quarto à paucis eſt approbatus, in quinto demùm & ſequentibus paſſim obtinere cœpit.* Vide adnotata infrà cap. 8. v. 37. Ex eo autem quòd Judæi in infantia circumciſi priuſquam circumciſio fuiſſet abrogata, hic Petri præcepto fuere baptizati, patet circumciſione & Baptiſmo diverſa omninò fœdera conſignari, quorum alterum eſt eorum, qui lege naturæ ex Abrahamo nati ſunt, alterum verò eorum qui fidei dono Abrahami inſtar ſpiritualiter ſunt renati, ut inſignis Theologus, atque in omni literarum genere verſatiſſimus, Reverendus Evangelii Miniſter Nehemias Coxe graviſſimis ac firmiſſimis argumentis demonſtravit in aureo libello, quem Anglicè conſcripſit de initis à Deo cum hominum genere ante Legem fœderibus.

Appoſitæ ſunt. Id eſt, corpori Eccleſiæ centum & viginti diſcipulis tum conſtantis inſertæ ſunt.

Animæ. Id eſt, perſonæ, quas aliàs appellare ſolemus *capita*, per Synecdochen membri.

Circiter tria millia. Non eſt quod quis miretur à Petro piſcatore aquis aſſuefacto tria hominum millia potuerint unâ die immergi, quod propriè eſt baptizari, ſiquidem Gregorius Armenorum Apoſtolus unâ die duodecim millia baptizavit in Euphrate per immerſionem, ut habetur in authentica ejus vita, & confirmat Iſaac ejuſdem gentis Patriarcha in prima Invectiva. B. Eucherius Serm. in die S. Andreæ apud Novarin. *Vocat*, inquit, *Dominus piſcatores ad Apoſtolatum, quoniam tales illi neceſſarii erant, qui aquis aſſueti, & piſcandi & baptizandi eſſent periti. Ideoque non artem eis mutare præcepit, ſed longè melioris piſcationis.* Vir divinarum & humanarum literarum exquiſita eruditione clariſſimus, Jacobus Benignus Boſſuet ex Epiſcopo Condomenſi & Sereniſſimi Delphini Præceptore ejuſdem Sereniſſimæ conjugis primus Elemoſinarius & Epiſcopus Meldenſis in tractatu Gallico de communione

munione sub binis speciebus loquens de tribus millibus à Petro baptizatis ait : Le grand nombre de ces convertis n'est pas une preuve qu'on les ait baptisez par asperſion, comme quelques-uns l'ont conjecturé. Car outre que rien n'oblige à dire qu'on les ait baptisez en même jour, il est certain que Saint Jean Baptiſte qui n'en baptisoit pas moins, ne laissa pas de baptizer en plongeant, et son exemple nous a fait voir que pour baptiſer un grand nombre d'hommes, on sçavoit choisir les lieux ou il y avoit beaucoup d'eaux: joint encore que les bains & les purifications des anciens, principalement celles des Juifs, rendoient cette ceremonie facile et familiere en ce temps. Enfin nous ne lisons point dans l' Ecriture qu'on ait baptisé autrement, et nous pouvons faire voir par les actes des Conciles, et par les anciens Rituels, que treize cens ans durant on a baptisé de cette sorte dans toute l'egliſe autant qu'il a été poſſible. Hoc est, *horum ad Christi fidem unâ Petri concione conversorum tanta multitudo minimè probat eos adspersione fuisse baptizatos, uti conjecturâ nonnulli collegerunt; præterquàm enim quòd nihil necesse est dicere omnes eâdem die fuisse baptizatos, etiam constat S. Joannem Baptistam non pauciores baptizantem quando ad ipsum omnis accurrebat Judæa, mergendo baptizasse. Quin & ejusdem Baptistæ exemplum Mat. 3. v. 5 & 6. Luc. 3. v. 3. Jo. 3 v. 23. ostendit loca in quibus essent aquæ multæ deligi solita, ubi magnus erat baptizandorum numerus. Adde quod balneæ & purificationes veterum, maximèque Judæorum, ritum hunc facilem pèrque familiarem tunc temporis reddebant. Nusquam denique in Scripturis legimus quemquam aliter quàm immersione fuisse baptizatum, Actíque Conciliorum atque Ritualibus antiquis comprobare possumus in universa Eccleſia Baptiſmum per mille & tercentos annos ubique terrarum, quoad ejus fieri potuit, nonnisi immersione fuisse administratum.*

42. *Erant autem perseverantes.* Id est, assidui ac diligentes. *In doctrina Apostolorum.* Scilicet audienda.

Et communicatione fractionis panis & orationibus. Gr. καὶ τῇ κοινωνίᾳ, καὶ τῇ κλάσει τοῦ ἄρτου, καὶ ταῖς προσευχαῖς: quæ doctiſſimus Theologus Joſephus Medus reddit, *Et in communicatione, videlicet, fractione panis & orationibus.* Atque adeo conjunctio καὶ poſt κοινωνίᾳ non conjunctiva, ſed exegetica est, ut & alibi paſſim. Hinc Syrus vertit, *Et communicabant in Oratione*

&

& fractionē Euchariſtiæ. Synaxis veterum Chriſtianorum juxta Chriſti præceptum baptizatorum tribus hiſce partibus conſtabat, auditione ſcilicet verbi Dei, publicis precibus, ſub quibus per quandam Synecdochen comprehenditur gratiarum actio, ut infrà cap. 3. v. 1. 16. v. 13. Luc. 18. v. 10 & 11. Philip. 1. v. 3 & 4. & Sacræ cœnæ celebratione. *Fractio panis*, ait clariſſimus Lightfoot, *apud Judæos ſignificat quidem particularem iſtam actionem, à qua inchoarunt prandium aut cœnam, at non memini me unquam obſervaſſe phraſiologiam apud Talmudicos, ad totam refectionem prandii vel cœnæ applicatam. Et ſuſpicor quidem illud Bezæ eſſe gratis dictum potius, quàm probatum:* Factum eſt ut mutuus convictus, ipſáque adeo convivia, quæ unà agitare ſolebant, nomine fractionis panis intelligerentur: *Quæ ſi vera, ego ignorantiam meam ingenuè agnoſco. Quòd ſi non vera, tum κλάσις ἄρτου hoc verſu & ſequenti v. 46. non poteſt de communi convictu intelligi, ſed de Euchariſtia, quod, in terminis habet interpres Syrus: & parallelum eſt illud infra cap. 20. v. 7. & 1 Cor. 10. v. 16.* Eſt autem in phraſi hac Synecdoche membri. Pars enim ritûs Euchariſtici pro integro ponitur, quemadmodum & potio calicis, 1 Cor. 12. v. 13. Repræſentat autem fractio panis dolores acerbiſſimos, quibus Chriſti corpus veluti fractum & contritum fuit cùm crucifigeretur. Ejuſmodi enim vexationes in ſacris literis *fractiones* ſeu *fracturæ* vocantur, Prov. 16. v. 15. Eſ. 30. v. 26. 38. v. 13. Dan. 2. v. 20. Unde colligimus fractionis panis ritum in Cœna Dominica non eſſe adiaphorum, ſed cùm ad finem iſtius cœnæ adumbrandum pertineat, omninò adhibendum exemplo ipſius Chriſti & Apoſtolorum. Vide Mat. 26. v. 26. & 1 Cor. 10. v. 19. & 11. v. 24. Minùs probatur doctiſſimo Medo Anglica tranſlatio, quæ κοινωνίαν, quaſi ſubintelligeretur Ἀποστόλων, reddit, **The fellowſhip of the Apoſtles.**

43. *Fiebat*, &c. Q. d. Novitate Eccleſiæ naſcentis & accedentibus ad ſermonis vim prodigiis multis & ſignis Apoſtolorum attoniti & ſtupefacti hærebant, qui in Apoſtolicam doctrinam non conſentiebant.

44. *Omnes*, &c. Q. d. Credentes autem omnes fraterno inter ſe amore conjuncti, quæ ſingulis propria erant bona ad communem omnium uſum convertebant.

45. *Poſſeſſiones*, &c. Q. d. Divites ſua vendebant ut juvarentur pauperes prout quique indigebant. **They were Jews that did ſo, and none but Jews that did ſo. Shew me the like among the Gentiles when the Goſpel came amongſt them.**

Which

Which of all S. Pauls Epistles give any such precept, or intimate any such thing? But as for the Jews, those who once believed in Christ, believed also the woful destruction of their own Nation to be within a few years after; and therefore they thought good, while there was yet time to improve their Lands and Possessions to the best use, which they should not many years enjoy. And the occasion was now fit, at the first preaching of the Gospel, and gathering up a Church to Christ, to furnish the Apostles and others for this service and employment. And therefore when the Gospel was also spread among the Gentiles, the Apostles were so careful to make collections in all the Churches for the relief of the poor Saints at Jerusalem, even those who at the first had disfurnished themselves of all, and at whose charge, as may be supposed, the Gospel was at the beginning preached among the Gentiles, inquit Theologus eximius Josephus Medus Ser. 28. in Prov. 30. v. 8. & 9. Hoc est, *Judæi erant, qui bona sua dividebant, & divenditorum pretia dabant Apostolis in usus communes; nec ullus præter Judæos hoc fecit. Idem factum à Gentibus, ubi credidérunt Evangelio, demonstra & ostende. Quænam, quæso, ex omnibus Pauli epistolis quid hujusmodi præcipit vel suadet? Quod ad Judæos attinet, ubi eorum quisquam in Christum credebat, credebat quoque non ita multis pòst annis miserabile futurum suæ gentis excidium; atque magnoperè censebant providendum ut bona non longos per annos fruenda optimos in usus converterentur. Commoda & idonea ad eam rem fuit occasio, quum primùm Evangelium prædicaretur, & ad Christum aggregaretur Ecclesia, Apostolis ceteri sque Evangelistis sumtus ad id negotii necessarios suppeditare. Hinc ubi ad Gentes etiam atque Judæos doctrina Evangelii pervagata est, summà curâ Apostoli ab omnibus Gentium Ecclesiis stipem colligebant, quâ pauperes sancti, qui erant Hierosolymis, juvarentur, utpote qui initio statim Evangelicæ prædicationis sè fortunis omnibus exuerant, sumtusque necessarios, ut videtur, iis subministrarant, qui Gentibus Evangelium prædicarent.*

dicarent. Vide Rom. 15. v. 26 & 27. 1 Cor. 16. v. 1. 2 Cor. 8 & 9.

46. *Quotidie quoque perdurantes unanimiter in Templo.* Hoc eſt, fraternâ unanimitate quotidie in ipſo Templo conveniebant ad Deum publicè colendum.

Et frangentes circa domos panem. Gr. κατ' οἶκον, quod Syrus & Arabs exiſtimarunt opponi τῷ ἱερῷ, ut ſimpliciter ſit *domi* ſeu *privatim*, cùm ab aliis exponatur *domeſticatim*, ſeu *per varias domos*. Salmaſius ait quòd Cœnam Dominicam *per domos privatorum participabant, ubi in commune* [illegible]*labantur.* κατ' οἶκον eſt per domos, *ut* κατὰ πόλιν, per urbes, oppidatim. *Nam & paſcha vocabant Judæi in ſuis quique domibus edebant, ad cujus exemplum Chriſtus ſuum inſtituit et eâdem cœnæ horâ ſumendum. Illæ cœnæ, ut ſatis notum eſt, vocabantur Agapæ, ſive quæ in Eccleſia celebrarentur, ſive quæ in privatorum domibus. Utrobique etiam ſacramento corporis & ſanguinis communicabant poſtquam cœnaſſent. Inde & ἀγάπη* pro ipſa Euchariſtia apud vetuſtiſſimum autorem, qui Ignatii nomen mentitus eſt, *in epiſtola ad Smyrnæos*, ὐκ ἔξον ἐστὶ χωρὶς τοῦ ἐπισκόπου ὔτε βαπτίζειν, ὔτε ἀγάπην ποιεῖν, non licet abſque Epiſcopo neque baptizare neque Agapen facere, *id eſt, Euchariſtiam. Ad privatas Agapas ditiores ædium domini fratres convocabant, ibique de more etiam ſacramentum Dominicum cœnâ peractâ conficiebant. Ab illis privatis Agapis mos longo tempore manſit circa domos panem Euchariſticum benedicendi & ſumendi. Quarto ſeculo id etiam multis in locis facilitatum liquet, ut ab Epiſcopis & Preſbyteris oblatio celebraretur in privatorum ædibus. Quod prohibuit Concilium Laodicenum Canone penultimo,* ὅτι οὐ δεῖ ἐν τοῖς οἴκοις προσφορὰς ποιεῖσθαι: Quòd non oporteat in domibus oblationes celebrare. *Annus hic erat Chriſti* CCCLXIV. *At Synodi Gangrenſis Patres, quæ aliquot viginti annis anteriori fuit, condemnant Euſtathium eo nomine, quòd improbaret ejuſmodi privatas Agapas, in quibus dubio procul etiam ſacramentum ſumebant.* Siquis, *inquiunt can.* XI. deſpicit *eos* qui fideliter Agapas, id eſt, convivia pauperibus exhibent, & propter honorem domum convocant fratres, & noluerit communicare ejuſmodi vocationibus, parvi pendens quod geritur, anathema ſit. *Ad has enim privatas Agapas referendum eſt omninò quod vetat canon Laodicenus* ἐν τοῖς οἴκοις προσφορὰς ποιεῖσθαι. *In ejuſmodi enim Agapis, quæ erant convivia privatorum Fideles fratres ad cœnam convocantium, celebrabatur etiam* προσφορά, *id eſt, Euchariſtia. Epiſcopos enim ſimul cum fratribus convocabant, vel Preſbyteros, à quibus more tum recepto panis & vinum benedicebatur in Sacramentum corporis & ſanguinis Dominici. Non ſuſtulit autem Laodicena Synodus privatas Agapas, ſed morem in his communicandi cœnâ Dominicâ. Nam in Canone* XXVIII. *ejuſdem Synodi interdicitur, ne Clerici aut Laici ad Agapam vocati ciborum partes accipiant.*

ant. Id Græci μέρη ἄιρειν vocant, quas partes domum suam quisque ex convivio referebat. Eodem Concilio publicæ Agapæ in templis fieri solitæ prohibentur regulâ sequenti. In quibus publicis Agapis certum est Eucharistiam sumi olim solitam. Porrò hæ Agapæ ortæ videntur ex sacris Judæorum epulis Nehem. 8. v. 10, 11 & 12.

Sumebant cibum cum exultatione & simplicitate cordis. Hoc est, jucundè & temperanter, ut vires reficerentur non opprimerentur. Vide Tertulliani Apologet. cap. 39. Nonnulli cum Chrysostomo putant memoriam Dominicæ mortis Agapas sequi solitas, cùm è contra cœnas ipsum Dominicæ mortis Sacramentum claudere solitum indicet mos, qui ipso die cœnæ Dominicæ anniversario mansit in Africa, ut ex Conciliis Carthaginensibus tertio can. 29. & sexto can. 9. & ex epistola Augustini ad Januarium cap. 9. discimus.

47. *Habentes gratiam ad omnem plebem.* Id est, grati & accepti erant etiam extraneis, qui virtutum, quas in ipsis videbant, splendore victi, laudabant ea, quæ necdum imitari poterant.

Dominus autem augebat qui salvi fierent. Hoc est, qui se à communi hominum impietate segregarent.

Quotidie. Gr. additur, *Ecclesiæ*, Q. d. Crescebat autem indies multitudo eorum, qui Deo juvante sese ex laqueis impietatis expedirent, & Christi Ecclesiæ addicerent.

In id ipsum. Gr. ἐπὶ τὸ αὐτό. Id est, sub idem tempus. Hoc, ut ex Chrysostomo & Græcis codicibus liquet, ad sequentem cap. 3. v. 1. narrationem pertinet, atque ita malè huic versui adjunctum est in vulgari Latina editione.

CAP. III.

1. *Petrus autem.* Gr. Ἐπὶ τὸ αὐτὸ δὲ Πέτρος, *sub idem vero tempus* Petrus; vel, ut alii vertunt, *simul autem Petrus.*

Ad horam orationis nonam. Hoc est, sub horam nobis tertiam pomeridianam, quæ ut sacrificii, sic & orationis erat hora ordinaria. De horis Sacrificii sic Josephus 14 Antiq. 8. Δὶς τῆς ἡμέρας πρωΐ τε καὶ περὶ ἐνάτην ὥραν ἱερουργούντων ἐπὶ τῷ βωμῷ: *Bis quotidie, mane scilicet & sub horam nonam in ara sacrificabant.* Et de horis orationis sic Drusius lib. 2. de tribus festis Judæorum, *Vetus consuetudo ter in die precabatur, Ps.* 55. *v.* 18. Vespere, & mane, ac meridie meditor, & perstrepo. *Quas horas definiunt*

niunt tertiam, ſextam & nonam. Tertia reſpondet nonæ ante meridiem. Sexta eſt noſtra duodecima. Nona verò tertia poſt meridiem. Non fuiſſe ultra tres precationis horas in die apud Judæos, clarè teſtatur Kimchi in Pſ. 55. v. 18. Quod etiam ſuadet Daniel ter orare ſolitus, Dan. 6. v. 1. R. Menachem Ricinentis ab Abrahamo alt horam tertiam, ac Iſaaco ſextam, à Jacobo nonam orationi dicatam fuiſſe. Neque alia nomina horarum reperies, ubi Scriptura ſtatarum meminit precationum. Tertiâ horâ deſcendit Spiritus-ſanctus in Chriſti diſcipulos, ſuprà cap. 2. v. 15. Sextâ Petrus ad orationem aſcendit in cœnaculum. infrà cap. 10. v. 9. Nonâ hîc Petrus & Joannes pergebant ad Templum. Hinc optimè colligit Tertullianus lib. de jejuniis, *ſalvâ planè indifferentiâ ſemper & ubique & omni tempore orandi, tamen tres iſtas horas ut inſigniores in rebus humanis, quæ diem diſtribuunt, quæ negotia diſtinguunt, quæ publicè reſonant, ita & ſolemniores fuiſſe in rebus divinis.*

2. *Ad portam Templi, quæ dicitur Speciosa.* Erat hæc in primo Templi ambitu, ſive atrio Gentium, quod Herodes ceteris adjecerat. Obducta erat tota ære Corinthiaco, quod auro longè nitidius ac ſpeciosius fuit. Vide Joſephum de bello Jud. lib. 6. cap. 6.

4. *Reſpice in nos.* His verbis monet Petrus non minùs à Joanne, quàm ab ipſo expectandum eſſe beneficium. Hinc ambos Petrum & Joannem claudus dicitur verſu mox ſequenti attentè reſpexiſſe, ut qui ab ambobus ſperaret ſe quid acceptu-rum. Atque ita curationis miraculum ab utroque eſt æqualiter profectum, licèt Petrus ſolus loqueretur.

6. *Argentum & aurum non eſt mihi.* Hoc eſt, pecuniam habeo omninò nullam.

Quod autem habeo. Incorruptam videlicet Sanitatem.

In nomine Jeſu Chriſti. Hoc eſt, per virtutem Jeſu Chriſti. Hæc formula fuit uſurpata in ſanationibus mirificis, ut & in ejectione dæmoniorum, Mar. 9. v. 38.

7. *Conſolidatæ ſunt baſes.* Id eſt, imæ partes pedum, quæ Latinè veſtigia dicuntur æquè ac ſigna à pedibus relicta.

Et plantæ. Gr. καὶ τὰ σφυρά, *& malleoli.*

8. *Et exiliens ſtetit.* Reſpicitur ad Eſaiæ vaticinium Eſ. 35. v. 6. *Tunc ſaliet,* ſummâ ſcilicet agilitate, *ſicut cervus, claudus.*

Ambulans & exiliens. Compoſitè incedere non ſuſtinuit præ gaudii exceſſu. Apuleius lib. 10. *Gaudens & hilaris lætitiam ſuam ſaltando profeſſus eſt.*

10. *Impleti ſunt ſtupore & extaſi.* Hoc Virgilius diceret, *Attonitis hæſere animis.*

11. *Cùm viderent autem.* Gr. κρατοῦντος δὲ τοῦ ἰαθέντος χωλοῦ, *cùm autem claudus ille, qui ſanatus fuerat, teneret* Sic, inquit,

inquit Beza, *constanter legitur in omnibus Græcis codicibus quos inspeximus, & apud Oecumenium quoque. Veteris autem editionis codices duobus modis hîc sunt depravati. Alii enim habent*, cùm viderent autem, *id est*, ἰδόντες δέ. *Alii*, cùm tenerent, κρατοῦντες δέ, *& totum illud* τοῦ ἰαθέντος χωλοῦ, *prætermittunt, Ut & Syrus & Arabs interpretes.* Κρατεῖν *autem hoc loco non declarat prehendere, sed ita quidpiam tenere, ut id tibi elabi non sinas: quod arguit claudum istum vel eorum amore à quibus curatus fuerat, vel fortassis metu, ne si eos ex oculis semel amisisset, iterùm claudus fieret, ab eorum latere non discessisse.* Sic, Servio adnotante, apud Virgilium *tenere* pro *morari* & *amplecti* sumitur.

Ad porticum, quæ appellatur Salomonis. Sic dicebatur primum atrium Templi, quod etiam vocabatur atrium gentium, quòd ad illud Gentibus esset aditus. Dicebatur autem *porticus Salomonis* à restituta, etsi nunquam exædificata, in eodem atrio porticu Salomonis Orientem versus, de qua Josephus 20 Antiq. 8. Ἦν δὲ ἡ στοὰ τοῦ μὲν ἔξωθεν ἱεροῦ, &c. *Erat autem ea porticus Templi exterioris, profundæ valli imminens, subnixa muris quadringentorum cubitorum, saxis quadratis constructa admodum candidis. Longitudo autem cujusque saxi erat cubitorum viginti, altitudo verò sex. Opus Solomonis Regis, qui primus struxit totum Templum.* Ad quem Josephi locum præclarè pro more doctissimus Lightfoot in Disquisitione Chorographica Joanni præmissa, *Non opus est Commentario super hæc verba.* Ἀνατολικὴ στοὰ *erat primum* ἔργον Σολομοντος: *planè eloquitur quænam & ubinam fuerit porticus Solomonis, ad murum scilicet Templi extimum versus Orientem: ut porticus regalis erat ad murum Australem*, quæ regale suum nomen deduxit à Rege Herode, ut idem Lightfoot ibidem Paulò antè adnotat. Idem clarissimus vir in horis Hebraicis in Acta Apostolorum ad cap. 3. v. 11. *Si inter porticum & porticum distinguas, porticus Solomonis erat Orientalis, & porticus Regia Australis. At si totum istud Atrium Gentium sub nomine porticûs Solomonis comprehendi velis, quamvis obscuriùs videtur, quare vocetur porticus, & quare Solomonis, tamen non incongruè potest hîc admitti. Ast an ita vocetur à porticu Solomonis strictè sic dicta, ut porticu nobilissima, quia olim Solomonis? An quia Solomon sacravit atrium istud in Templo suo per sacrificia,* 1 *Reg.* 8. *v.* 63. *An quia Solomon* μεγάλας ἐμφορήσας φάραγγας, *ut Josephus loquitur, profundas valles aggeribus repleverit, ut spatium huic atrio acquireret et æquaret? Quicquid est, non inficiamur totum illud atrium hoc titulo posse insigniri, quamvis, ut ostendimus alibi, ipsa porticus Solomonis, ut porticus strictâ significatione, erat tantùm pars et porticus istius atrii Orientalis.*

12. *Quasi nostrâ virtute.* Hoc est, quasi vi ullâ mirificâ nobis innata.

Aut potestate. Gr. εὐσεβείᾳ, *pietate.* Hoc est, vel facultate nobis divinitùs insitâ ob nostram in Deum pietatem.

Fece-

Fecerimus hunc ambulare. Id eſt, effecerimus, ut ſupra ipſius naturæ ordinem hic claudus ambulet.

13. *Deus patrum noſtrorum.* A quibus nimirùm profecta eſt vera & divinitùs tradita religio.

Glorificavit Filium ſuum. Hoc eſt, in miraculo per nos edito illuſtrare voluit gloriam Jeſu, qui eſt promiſſus in Lege & Prophetis Meſſias. *Apparet*, inquit Grotius ad Mat. 14. v. 33. *hoc cognomen* Filius Dei *vulgò Meſſiæ datum. Nam Nathanial Jo.* 1. *v.* 50. Rabbi, *inquit*, tu es Filius Dei, tu es Rex ille Iſrael. *Nimirum ex Pſalmo ſecundo, quem Hebræi veteres κατὰ τὸ μυστικώτερον*, ſecundum abſtruſiorem ſenſum *de Meſſia interpretabantur. Itaque ubi apud Matthæum Jeſus a Petro dicitur eſſe* Chriſtus Filius Dei vivi, *Marcus & Lucas contenti fuerunt* Chriſti *vocabulo. Adde quæ Mat.* 26. *v.* 63. *& Heb.* 5. *v.* 4 *&* 5. Quomodo autem ipſe Deus Pater Chriſtum Filium ſuum dilectum appellaverit, vide explicationem noſtram literalem ad Mat. 3. v. 17.

Quem. Se videlicet Meſſiam vobis à Deo promiſſum palàm profitentem, Mar. 14. v. 62.

Vos quidem tradidiſtis. Pilato interficiendum. Hoc propriè pertinet ad Judæorum Senatum. Vide Mar. 15 v. 1. & Jo. 18. v. 30.

Et negaſtis ante faciem Pilati. Hoc ad Judæorum populum ſpectat, q. d. Et nonnullis coram Pilato eum pro Rege Meſſia agnoſcere.

Judicante illo dimitti. Q. d. Cùm ipſe Pilatus, Gentilis licèt, ac injuſtus Magiſtratus, illum judicaret innocuum, adeoque abſolvendum & dimittendum.

14. *Vos autem.* Nati & educati in veri Dei cultu, quibus Jeſus deſtinatus erat Rex Meſſias.

Sanctum & Juſtum negaſtis. Hoc eſt, cum abnegaſtis, qui eſt קָדוֹשׁ קָדָשִׁים, *Sanctus ſanctorum* Dan 9. v. 24. & יְהוָה צִדְקֵנוּ. *Dominus juſtus noſter*, ſeu *juſtitia noſtra*, Jer. 23. v. 6.

Et petiiſtis virum homicidam donari vobis. Q. d. Cúmque penes vos eſſet eligere hunccine Jeſum ſummâ integritate & innocentiâ virum, an Barabban manifeſtæ cædis reum dimitti velletis, Sicarium illum in veſtram gratiam dimitti petiiſtis.

15. *Autorem verò vitæ interfeciſtis.* Hoc eſt, & veſtro impulſu propè coegiſtis Pilatum ut morti addiceret vitæ autorem, ducem ac principem. Græcum vocabulum Ἀρχηγὸς adnotat Erasmus conſtare *ex contrariis inter ſe vocibus, quarum prior compoſita eſt ex principio, poſterior deducta à fine, perinde quaſi dicas*, Inceptorem & Finitorem. Itaque Chriſtus dicitur inceptor ſimul & finitor vitæ æternæ, *quia*, ut loquitur inſignis Theologus Johannes Davenantius Sarisburienſis Epiſcopus in Coloſ. 3. v. 4. *ille promiſit nobis hanc vitam, ille promeruit, ille præparavit, ille reddet. Promiſit Patris nomine Luc.* 12. *v.* 32. Nolite timere puſille

ſille grex, quia complacuit Patri veſtro dare vobis regnum. *Et ſuo Joh.* 10. *v.* 28. Ego vitam æternam do eis, &c. *Promeruit* 1 *Jo.* 4. *v.* 9. Filium ſuum unigenitum miſit Deus in mundum, ut vivamus per eum. *Et* 1 *Jo.* 5. *v.* 11. Vitam æternam dedit nobis Deus, & hæc vita in Filio ejus eſt. *Præparavit & nos huic vitæ, & hanc vitam æternam nobis. Nos præparavit atque idoneos fecit ad participationem hujus vitæ Spiritu ſuo, Coloſ.* 1. *v.* 12. Idoneos nos fecit ad participandam ſortem ſanctorum in luce. *Epheſ.* 2. *v.* 5. Vivificavit nos per Chriſtum, cujus gratiâ eſtis ſervati. *Præparavit etiam hoc regnum nobis aſcenſu ſuo, Jo.* 14. *v.* 2. Proficiſcor paraturus vobis locum: & cùm paravero rurſus veniam & aſſumam vos, &c. *Ille denique reddet ſuis hanc coronam æternæ vitæ, Jo.* 17. *v.* 2. Dediſti ei poteſtatem omnis carnis, ut quotquot dediſti ei, det illis vitam æternam. 2 *Tim.* 4. *v.* 8. Poſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus. *Chriſtus igitur rectè dicitur* vita noſtra, *id eſt, autor ſive cauſa vitæ noſtræ æternæ, ut eſt Heb.* 5. *v.* 9. Et conſecratus, factus eſt autor ſalutis æternæ omnibus, qui ipſi auſcultant.

Interfeciſtis. Unicuique imputatur, quod alter in ejus gratiam fecerit.

Quem Deus ſuſcitavit à mortuis. Vide adnotata ſuprà cap. 2. v. 24.

Cujus nos teſtes ſumus. Quum ſe & collegas Chriſti à mortuis excitati teſtes dicit Petrus, ſignificat ipſos ſuis oculis vidiſſe Chriſtum redivivum.

16. *Et in fide*, &c. Q. d. Et firmâ de divina Jeſu potentia animi perſuaſione hic homo, quem ſpectatis & noſtis ex utero matris claudum fuiſſe, jam quadraginta annis major conſecutus eſt à Chriſto ſoliditatem plantarum ac malleolorum.

Vidiſtis. Gr. θεωρεῖτε. *videtis.*

Confirmavit. Id eſt, conſolidavit. Reſpice ſuprà v. 7.

Nomen ejus. Hoc eſt, virtus Chriſti. *Nomen*, inquit Grotius, *hîc eſt vis ac poteſtas.*

Et fides, &c. Q. d. Firmâ, inquam, de divina Jeſu potentia animi perſuaſione, quæ per ipſum Jeſum ad Deum illum aſſurgit, cujus vos eſſe cultores profitemini, hæc integra ſanitas iſti divinitùs collata eſt coram vobis omnibus. *Quum dicit*, Fides quæ per eum eſt, *hoc verbo ſignificat, fidem noſtram non aliter ad Deum aſſurgere, niſi in Chriſto fundata ſit: adeoque fidem noſtram Chriſtum reſpicere, & eo ſubniti*, inquit Calvinus. Vide 1 Pet. 1. v. 21.

17. *Per ignorantiam feciſtis.* Id eſt, craſſâ potiùs ac ſupinâ perſonæ ignorantiâ, quàm deſtinatâ malitiâ vos & magni Synedrii veſtri Senatores expreſſiſtis à Pilato injuſtam ſententiam, quâ Chriſtum Filium Dei vivi ſupplicio crucis addixit.

Hæc

Hæc ignorantia non excuſat quidem peccatum, at de gravitate ejus nonnihil minuit tamen, & facit ut faciliùs à Deo condonetur. Hinc Chriſtus in cruce faciens quod ſolent deprecatores, omiſſo quod in facto Judæorum erat accuſandum, id refert quod ad culpam aliqua ex parte minuendam pertinebat. *Pater*, inquit, *dimitte illis, non enim ſciunt quid faciunt.* Luc. 22. v. 34.

18. *Deus*, &c. Q. d. At omnia conſilio & ratione ſapienter diſponens & ordinans Deus, craſſæ ac ſupinæ veſtræ ignorantiæ miniſterio exequutus eſt, quæ ipſe ſciens ac volens ſtatuerat, & per Prophetas prædixerat, Chriſtum ad peccata hominum expianda eſſe paſſurum. Tert. lib. 3. adverſus Marcionem: *Scripturæ quæ interemtibilem Chriſtum edicentes utique & ignorabilem affirmant: niſi enim ignoratus, nihil ſcilicet pati potuiſſet.*

19. *Pœnitemini igitur.* Q. d. Vehementer itaque quòd Deum offenderitis vos pœniteat. *Pœnitet errorum reperta veritate: pœnitet amaſſe quæ Deus non amat*, ut loquitur Tertullianus lib. de pœnitentia cap. 4.

Et convertimini. Portus optimus pœnitenti, mutatio conſilii. Q. d. Facite fructus pœnitentiâ dignos, ſeu vitam ducite quæ ſinceram pœnitentiam in cunctis affectibus & actionibus referat ac teſtetur. *Pœnitentia vera eſt, pœnitenda non admittere, & admiſſa deflere. Satisfactio pœnitenti a eſt cauſas peccatorum excidere, nec earum ſuggeſtionibus aditum indulgere*, ait Gennadius Maſſilienſis lib. de dogmatibus Eccleſiaſticis cap. 4. Vide quæ adnotavi ad Joel. 2. v. 12. & Mat. 3. v. 8.

Ut deleantur peccata veſtra. Non quòd pœnitentia aut opera noſtra aliquid apud Deum mereantur, aut ita perfecta ſint, ut in juris rigore conſiſtere queant: ſed quia Deus hac lege & conditione nos ſalutis ſanguine Chriſti acquiſitæ participes facere decrevit. *Relinquat ergo impius viam ſuam, relinquat iniquus cogitationem ſuam, quâ de peccatorum remiſſione deſperat, & ſecundum Prophetæ dictum* (Eſ. 55. v. 7.) *convertatur ad Dominum, quia* multus eſt ad ignoſcendum. *In hoc multo nihil deeſt, in quo eſt omnipotens miſericordia, & omnipotentia miſericors eſt. Tanta eſt autem & benignitas omnipotentiæ & omnipotentia benignitatis in Deo, ut nihil ſit quod nolit aut non poſſit relaxare converſo*, inquit Fulgentius Ruſpenſis Epiſcopus in epiſtola ſeptima ad Venantiam. Idem ibidem paulò pòſt: *Ipſa enim juſtitia Dei talis eſt, ut averſos damnet, converſos ſalvet. Propter quod dicit Eſ. 45. v. 22.* Convertimini ad me & Salvabo vos. Nullâ verò aliâ cauſâ movetur Deus ad peccata converſis condonanda, niſi amore illo gratuito, quo genus humanum proſequitur: & ille amor, qui quaſi reſtinctus erat eorum peccatis, rurſus ac-

cenditur intercessione atque obedientiâ Filii Dei, qui *manens justus, factus est mortalis. Suscipiendo pœnam & non suscipiendo culpam, & culpam delevit & pœnam*, inquit Aug. Ser. 37. de verbis Domini.

20. *Ut cùm venerint tempora refrigerii.* Gr. ὅπως ἂν ἔλθωσι καιροὶ ἀναψύξεως *ut veniant tempora refrigerationis.* Solet autem passim ὅπως ἄν cum Aoristis eo sensu construi, ut infrà cap. 15. v. 17. ὅπως ἂν ἐκζητήσωσιν, *ut requirant.* Mat. 6. v. 5. ὅπως ἂν φανῶσι, *ut appareant.* Luc. 3. v. 35. ὅπως ἂν ἀποκαλυφθῶσι, *ut revelentur.* Atque ita Syrus & Arabs rectè sensum assecuti, ὅπως ἄν hîc tantùm copulare secundam promissionem primæ, id per copulam *Et* transtulerunt, *Et veniant vobis tempora quietis à conspectu Domini, & mittat vobis eum, qui paratus erat vobis, Jesum Christum.* Sensus est, & deletis, quæ apud Deum consignata sunt, peccatis vestris, illucescant vobis dies refrigerationis, id est, consolationis. Ut ardere dolore dicitur, qui acerbissimo doloris sensu afficitur, ita & refrigerari, dum dolorem levat consolatio. Æthiopicus *tempora refrigerationis* explicat per *tempus misericordiæ.* Erudissimus ac modestissimus Lightfoot in horis Hebraicis ad hunc versum, *Inscitiam*, inquit, *meam in lingua Græca forsan prodetem, si fatever me non assequi quà linguæ istius auctoritate doctissimi interpretes reddiderint vel*, ut cùm venerint, *ut Vulg. Erasm. & interlinearis*, *vel*, cùm venerint, *ut Angl. Gallic. & Ital. vel.* postquam venerint, *ut Beza. At non pudet liberè fateri me non assequi, quâ ratione, cùm optimè conveniat cum idiomate linguæ, si certatur*, ut veniant. *Ps.* 9. v. 15. ὅπως ἂν ἐξαγγείλω. *Heb.* למען אספרה, ut annuntiem. *Ps.* 92. v. 8. ὅπως ἂν ἐξολοθρευθῶσι. *Heb.* להשמדם, ut exterminentur. *Ps.* 119. v. 101. ὅπως ἂν φυλάξω, *Heb.* למען אשמור, ut custodiam. *Et sic loc in loca*: Resipiscite igitur, & convertimini ut deleantur peccata vestra, ὅπως ἂν ἔλθωσι, ut adveniant tempora refrigerii, & mittat Deus vobis Jesum Christum. Hactenus Cl. Lightfoot.

A conspectu Domini. Hoc est, secundo Dei favore. Cl. Knatchbull interpretatur, *ab ira Domini.* Atque ira refrigeratio à conspectu Domini erit idem ac fuga à ventura ira, Mat. 3. v. 7. Vide quæ inibi adnotavimus.

Et miserit. Constructio postulat ut cum doctissimis Ludovico de Dieu, Daniele Heinsio, & Johanne Lightfoot post Arabem & Syrum interpretes per præsens tempus reddamus hîc Aoristum ἀπέστειλε, *mittat.* Id est, revelet consolatoriâ Evangelii prædicatione, quâ nihil afflictis & trepidis conscientiis jucundius aut gratius esse potest. *Quid*, inquit Lightfoot loco mox laudato, *plenius et planius dici potuit, si admittatur interpretatio nostra, ut respondeatur conceptibus auditorum, ad ea, quæ Petrus dixerat,*

dixerat, obiecturis : Itáne ? Num Jesus iste, quem crucifiximus, verus Christus ? Tum evanuit spes omnis refrigerationis per Messiam, cùm Messias ipse sic evanuerit. Tum conclamatum est de expectatione consolationis Israelis, cùm ita conclamatum sit de eo qui consolaretur. Non ita, inquit Petrus, sed vobis pœnitentibus redditur Messias & refrigerium, verùm ita ut Messias ipse detinendus sit cœlo. Mittatur ille ad vos in verbo suo consolante & refrigerante, atque in beneficiis suis, si respicatis. Parallelum est illud *Act.* 13. *v.* 47. Convertimus nos ad Gentes. Nam sic præcepit Dominus dicens, Constitui te, ut sis lux Gentium. *Constitui te ? Quemnam ? Paulum aut Barnabam ? Non, sed te Christum missum & lucentem per prædicationem Pauli et Barnabæ.* Sic infrà cap. 26. v. 23. Christus dicitur è mortuis excitatus, *lumen annuntiaturus Populo & Gentibus.* Sic Ephes. 2. v. 17. Christus post oppetitam pro hominum salute crucis mortem dicitur veniens prædicasse pacem & illis qui procul erant, id est, Ethnicis, & iis qui propè, hoc est, Judæis.

Eum qui prædicatus est, Gr. τὸν προκεκηρυγμένον, *prius prædicatum.* Chrysostomus legit προκεχειρισμένον, ut & veteres Græci codices, quos Beza se legisse ait, quam lectionem secuti videntur Syrus & Arabs vertentes, *Eum qui paratus erat*, & Tertullianus reddens, *Prædesignatum.* Æthiopicus fortè legit, τὸν προτεχρισμένον, quod transtulit, *Quem præunxit.* At prima & vulgaris lectio, τὸν προκεκηρυγμένον, *prius prædicatum*, cæteris est præferenda, *quippe quòd*, inquit Lightfoot in Horis Hebraicis ad hunc locum, *de prædicatione sit sermo, & Petri animus : Mittet vobis Christum per prædicationem, sicut ille fuit antehac prædicatus. Animadvertere licet, Apostolum in hac sua dissertatione agere de triplici tempore.* 1. *Ante adventum Christi erat ille προκεκηρυγμένος & per Mosen atque omnes Prophetas à Samuele porrò.* 2. *Cùm advenisset atque eum Deus exhiberet mundo* (ἀναστήσας αὐτὸν, v. 26.) *excitans eum Salvatorem, misit eum ad vos primùm, ut per doctrinam suam converteret vos à pravitatibus vestris.* 3. *Et jam cùm ascenderit in cœlum, atque ibi sit detinendus, mittit tamen eum vobis pœnitentibus in prædicatione verbi sui, sicut antè fuit prædicatus.*

Jesum Christum. Id est, Jesum, qui est ille Messias, seu Christus in Lege ac Prophetis promissus in consolationem & redemtionem Israelis.

21. *Quem oportet quidem cœlum recipere.* Hæc verba habent quidem constructionem ambiguam, si Grammaticam respicias, & non minùs significare possunt cœlum recipi à Jesu, quàm Jesum cœlo capi seu recipi. Sed attendendo ad mentem loquentis & orationis seriem, non possunt nisi valde absurdè priore modo exponi. Petrus enim alloquens Judæos, quorum impulsu Christus fuerat interemtus, dehortatur eos ab expectatione corporalis ejus præsentiæ in terris, *qui,*

ut idem Petrus loquitur 1 ep. 3. v. 22. *est in dextera Dei, profectus in cœlum*, quémque oportet cœlo capi, non tanquam carcere, sed tanquam palatio suo glorioso, & sede meliùs conveniente sublimi ejus majestati, quàm terra, in qua diebus mortalitatis suæ vixit. Intelligitur autem per *cœlum*, non istud aspectabile, sed cœlum tertium, paradisus, sedes ac domicilium Dei, lux inaccessa, quam ipse Deus inhabitat. Ascendit enim Christus supra omnes cœlos, aspectabiles videlicet, & consedit ad dexteram majestatis Dei in supracœlestibus, paraturus nobis in domo Patris locum, Jo. 14. v. 2.

Usque in tempora restitutionis. Gr. ἀποκαταστάσεως, id est, Hesychio interprete, τελειώσεως, *perfectionis*, *consummationis*. Cum quo propemodùm Tertullianus *exhibitionem* reddidit, qui lib. de resurrectione carnis sic hoc hemistichium laudat, *Aduſque tempora exhibitionis omnium, quæ locutus est Deus ore sanctorum Prophetarum.* Sic & Oecumenius explicat, ἀποκαταστῆναι, εἰς πέρας ἐλθεῖν ἅπαντα, *restitui, ad finem omnia perduci.* Atque ita optimè totius hujus versiculi mentem expressit his verbis Lightfoot in Horis Hebraicis ad Mat. 17. v. 11. *Jesum quidem, quoad personam, cœli excipiunt, excipiéntque, usque dum hæc omnia perficiantur. Ne ergo personalem ejus præsentiam cum errante gente semper in terris expectate.* Hinc apparet Petrum significare voluisse tempus, quo Jesus in cœlo esset commoraturus, convenienter iis, quæ ab Angelis anteà cum reliquis Apostolis audiverat suprà cap. 1. v. 11. Q. d. Christus in cœlum profectus, manebit ibi donec omnes Prophetarum prædictiones penitùs fuerint completæ, issque completis è cœlo iterùm redibit in terram judicaturus vivos & mortuos.

A seculo. Id est, jam olim, ex antiquis temporibus, ut Es. 64. v. 4. Jer. 2. v. 20.

22. *Moyses*, &c. Etsi hic locus ex Deut. 18. v. 15, primo & crassiore sensu intelligi possit de quovis vate futuri præscio, quem Deus quolibet tempore post Mosem esset excitaturus è populo, ut ei tanquam suggestu divino loquenti auscultarent, modò non abduceret populum à veri Dei cultu verâve animi pietate; sensu tamen mystico & perfectiore continet vaticinium de Christo Prophetarum omnium capite, cui ceteri omnes præluserunt, quóque nullus illustrior illis signis, per quæ Deus vates suos dignosci voluit. Mysticum hunc hujus loci sensum Christi Apostolorúmque temporibus etiam ab ipsis Judæis fuisse admissum præter hunc & infrà cap. 7. v. 37. arguunt varia Evangeliorum loca, & inter alia Samaritidis verba Jo. 4. v. 25. & hæc populi Christum coronaturi Jo. 6. v. 14. οὗτός ἐστιν ἀληθῶς ὁ προφήτης ὁ ἐρχόμενος εἰς τὸν κόσμον, *Hic est verè Propheta ille qui venturus erat in mundum.* Propriè enim Messias intelligebatur ὁ ἐρχόμενος Luc. 7. v. 19. *Pro-*

Prophetam. Qui nimirùm hominibus latentem adhuc in myſterio divinam voluntatem eſt annunciaturus.

Suſcitabit. Id eſt, dabit, exhibebit, mittet.

De fratribus veſtris. Q. d. Non alienigenam aliquem, ſed ex gente veſtra, ex poſteris Iſraelis natum, vobiſque ſanguinis vinculo conjunctum.

Tanquam me. Sic Judæi Meſſiam cum Moſe comparantes aiunt in Medraſch Koheleth ad cap. 1. v. 9. כגואל ראשון כן גואל אחרון *ſicut Redemtor primus, ſic erit Redemtor noviſſimus.* Ita autem Chriſtus Moſi fuit ſimilis ſapientiâ doctrinæ cœleſtis & magnitudine miraculorum, ut ipſum etiam honoris & gloriæ amplitudine longè ſuperaverit.

Ipſum auditis, &c. Id eſt, omnibus ejus promiſſis credetis, mandatiſque morem geretis. Nihil ergo ex dictis Chriſti in dubium vocandum, nihil quod faciendum præcepit omittendum; aut pro humano arbitrio mutandum. Cùm nullus hoc manifeſtiùs in Lege Chriſtum deſignet locus, & in eum credi jubeat, ad ipſum à Chriſto reſpici arbitror, dum dicit Jo. 7. v. 38. *Qui credit in me, καθὼς εἶπεν ἡ γραφὴ, ſicut dixit Scriptura.* Hoc Pater de Chriſto cœleſti voce pronuntiavit, juſſitque eùm audiri Mat. 17. v. 5. αὐτοῦ ἀκούετε, *ipſum audite.* Præclarè autem pro more Grotius ad hunc Matthæi locum: *Notanda ſunt,* inquit, *quæ apud Moſem ſequuntur, quaſi dicatur, Poſtulaſtis ipſi ne Deus vobiſcum ſignis illis ad terrorem facientibus ageret: præſtat Deus quod voluiſtis, Verbum caro factum eſt, Inanivit ſe & ſervi formam induit. En illum qui cùm vehementiâ zeli in domum Dei Eliam vincat, ſimul manſuetudine Moſen ſuperat. Non illi tonitrua, non caligo, non ignis de cœlo teſtimonium perhibent, ſed blanda lux & comitas vocis paternæ.*

23. *Omnis anima,* &c. Q. d. Quiſquis verò Chriſtum audire recuſaverit, quem Prophetarum principem præcipuè commendari Deut. 18. v. 15 & 18. confeſſa res eſt & manifeſta.

Exterminabitur de plebe. Cenſeri in populo Dei non meretur, qui Chriſtum magiſtrum repudiat, per quem ſolùm Deus nos docet, vúlque à nobis audiri: & ſe ab Eccleſiæ corpore abſcindit, qui Chriſto ejuſdem capiti ſubeſſe recuſat. Quin & interitus ſempiternus omnibus Chriſto parere nolentibus eſt paratus, teſte Apoſtolo, 2 Theſ. 1. v. 8 & 9.

24. *Et omnes Prophetæ,* &c. Q. d. Quin & ceteri Prophetæ omnes poſt Moyſen longâ temporum ſucceſſione à Samuele chori Prophetarum duce. Talmud Hieroſolymitanus Tract. חגינה, fol. 77. 1. שמואל רבן של נביאים, *Samuel erat Magiſter Prophetarum.*

Locuti ſunt & annuntiaverunt. Gr. προκατήγγειλαν, *prænuntiaverunt.*

Dies istos. Quos videlicet Deus elegit ad salutem populi per prædicatum à nobis Christum procurandam. Quid verò & quomodo Samuel nominatim de Christo prædixerit, ex Scripturis sacris non apparet, nisi huc referre velis, quæ de unctione Davidis tanquam typi Messiæ futuri, in Regem populi Israelitici divinitùs electi leguntur, 1 Sam. 16. Eorum verò, qui post tempora Samuelis in Israelitico populo fuerunt, prophetarum vaticinia de Christo passim extant. Valde illustris est prophetia Nathanis, quæ extat 2 Sam. 7. v. 12 & seqq. ut taceam illas, quæ extant hinc inde in Psalmis, Esaia, Jeremia, & aliorum Prophetarum scriptis.

25. *Vos estis*, &c. Q. d. Vos estis illi, ad quos Prophetarum oracula, & fœdus cum priscis Israelitarum progenitoribus, Abrahamo Gen. 22. v. 18. Isaaco Gen. 26. v. 4. & Jacobo Gen. 28. v. 14. initum pertinet. Utitato Hebræorum more filium alicujus rei esse significat idem, quod ad eam pertinere, ejus participem esse. Hinc Mat. 9. v. 15. *Filii Sponsi*, Gr. υἱοὶ τοῦ νυμφῶνος, *thalami* dicuntur qui sponsum in thalamum deducebant, sive qui thalamo curando præerant. Luc. 20. v. 34. *Filii hujus sæculi*, qui vitam hanc mortalem agunt, quibus opponuntur v. 36. *Filii resurrectionis*, id est qui in beatam immortalitatem resurgent, & *filii sunt Dei*, hoc est, felicitatis divinæ participes. Sic etiam fit mentio filiorum regni, lucis, tenebrarum, &c. Mat. 8. v. 12. 1 Thes. 5. v. 5. &c. Voce verò *Prophetarum* hîc ipsorum vaticinia intelligenda sunt, per Metonymiam causæ.

Testamenti quod disposuit Deus ad patres nostros. Id est, fœderis à Deo cum majoribus nostris pacti.

Dicens ad Abraham. Gen 22. v. 18. quod iteratò dixit ad Isaac Gen. 26. v. 4. tertiò denique ad Jacob, Gen. 28. v. 14.

Et in semine, &c. Q. d. Atque ex posteris tuis orietur, qui omnium omninò gentium hominibus in se credentibus summa bona sit præstiturus. Vide Gal. 3. v. 8, 14 & 16.

26. *Vobis*, &c. Q. d. Ille verò qui hac promissione prædicebatur ex Abrahæ posteris oriturus est Jesus Filius Dei, quem jam ortum Filium hominis ad vos ejusdem consanguineos misit Deus, ut priùs vobis, quàm ceteris gentibus præstanda ab ipso credentibus in se bona offerrentur, ut vestrum quisque ad vitæ emendationem excitaretur. Vide infrà cap. 13. v. 46.

Suscitans. Id est, exhibens, in lucem producens, insignibus donis conspicuum præstans. Vide infrà cap. 13. v. 22. Judic 2. v. 16 & 18. 3. v. 2 & 15. Ezech. 34. v. 23. Amos 2. v. 11. Respicitur ad Mosis vaticinium, *Prophetam vobis suscitabit*, laudatum suprà v. 22. Hinc & *surgere* tribuitur Propheta Deut. 13. v. 1. 34. v. 10. &c.

Benedicentem. Id est, summa bona offerentem. Verbo *benedicendi*

endi omnis generis felicitas, quâ nos Deus beavit ac beabit per Chriſtum, ut ſunt remiſſio peccatorum, vita æterna, aliáque cœleſtia munera, comprehenditur.

Ut convertat, &c. Hoc eſt, ut unumquemque excitaret ad conſuetudinem vivendi vitioſam & corruptam purâ & incorruptâ conſuetudine emendandam.

CAP. IV.

I. *Magiſtratus Templi.* Hoc eſt, cuſtodiis univerſis præfectus Antiſtes. Singulis noctibus perpetuò Templum cuſtodiebant quatuor & viginti manipuli in locis diverſis viginti quatuor: in tribus videlicet ſacerdotes, & Levitæ in viginti uno reliquis. Harum cuſtodiarum & excubiarum duces στρατηγοὶ, *Magiſtratibus* deſignari Luc. 22. v. 4. nullus dubitat cl. Lightfoot. Ad has quoque cuſtodias ſpectare autumat illud Pilati Mat. 27. v. 65. ἔχετε κουστωδίαν: q. d. *Habitis vos excubias de proprio, mittantur quidam ex illis ad cuſtodiendum ſepulchrum.* Addit Lightfoot, στρατηγὸν τῦ ἱερῦ, Magiſtratum Templi *diſtinctivè ſumtum, & per eminentiam, ego eum eſſe arbitror, qui* אישׁ הר הבית, vir montis domûs *dicitur, id eſt, montis Templi Præfectus, qui caput erat omnium capitum excubiarum.* Nempe ut ait Majemonides in pereleganti germani fratris mei Ludovici du Veil Latina interpretatione, lib. de cultu divino tract. 1. de ædificio Templi cap. 8. n. 10. *Omnibus cuſtodiis unus erat præfectus Antiſtes. Is* Præfectus montis Ædis *appellabatur. Hic igitur nocte totâ ſingulas cuſtodias luſtrabat, & accenſæ facis ei præferebantur. Cum offenderetur cuſtodia quæ non ſtaret in pedes, præfectus monti Ædis, Pax tibi, ei dicebat. Quam ſi agnoſſet dormientem baculo tundebat ſuo. Idem habebat poteſtatem urendi veſtimenta dormientis. Hinc vulgò dictitabant Hieroſolymæ, Quid hoc clamoris eſt in atrio? Levita vapulat, aut ejus uruntur veſtimenta, quoniam cuſtodiæ ſuæ indormivit.*

Sadducæi. Nimirùm qui omnem ſpem in hac vita collocatam habebant, adeóque ſeverè occurrendum putabant omnibus iis quæ turbare poterant quietem populi, in qua & ipſorum quies continebatur. *Adde quòd*, inquit Grotius, *ſi Jeſus à mortuis reſurrexiſſet, in ea controverſia, quam habebant cum Phariſæis maximam, penes Phariſæos erat victoria.* Vide infrà cap. 23. v. 6 & 7.

2. *Do-*

2. *Dolentes.* Gr. διαπονούμενοι, *molestè ferentes.*

In Jesum, &c. Alii melius legunt, utì habet textus Græcus, *in Jesu*, id est, per Jesum, seu virtute & efficaciâ Jesu, *qui resurrexit à mortuis primitiæ dormientium*, 1 Cor. 15. v. 20 & 23. mortuos esse resurrecturos.

3. *Posuerunt nos in custodiam.* Non publicam, ut infrà cap. 5. v. 18. sed privatam, ut infra cap. 24. v. 23. Id est, eos non in carcerem duci, sed custodiis asservari jusserunt.

4. *Quinque millia.* Gr. ὡσεὶ χιλιάδες πέντε, id est, Syro interprete, *circiter quinque millia.* Ecce Petrum ex piscium captatore egregium piscatorem hominum factum, uno & altero vel tertio sagenæ jactu plus minus quinque Discipulorum millia concludentem.

5. *Principes eorum.* Ἄρχοντας, *Principes* plerunque appellari video Senatores, quibus magnum constabat Synedrium, ut suprà cap. 3. v. 17. Luc. 24. v. 20. Jo. 3. v. 9, &c.

Et Seniores. Id est, Grorio interprete, Senatores Urbis Hierosolymorum. Erant enim Hierosolymis præter magnum Synedrium duo alia Synedria minora, de quibus diximus ad Mat. 5. v. 21. Dicebantur autem Πρεσβύτεροι, *Seniores*, Heb. זקנים, *Senes* cujusvis Synedrii Senatores. Sæpius tamen ubi Senatores magni Synedrii *Seniores* vocantur, ibi additur vox *populi*, ut distinguantur à *Senioribus oppidorum*, seu Senatoribus minorum Synedriorum sive Senatuum.

Et Scribæ. Hoc est, & adsessores utrorumque consilii causâ viri Legisperiti.

6. *Et Annas.* Hic Synedrii Princeps à Josepho vocatur Ananus filius Seth, & Joazaro dicitur in summum Pontificatum suffectus à Cyrenio, atque exautoratus à Valerio Grato 18 Antiq. 3. Quinque habuit filios, qui omnes summo sunt functi pontificatu quod nemini anteà contigisse notat idem Josephus 20 Antiq. 8. Hujus gener Joseph, qui cognominabatur Caiphas, seu Cajaphas nunc erat Summus Pontifex & Synedrii Pater. Licet autem in magno Synedrio plerunque essent Principes Sacerdotum, solent tamen peculiariter nominari ob amplissimam ipsorum autoritatem.

Princeps Sacerdotum. Cùm ex Josepho 18 Antiq. 3 & 6. Caipham constet summo Pontificatu donatum à Valerio Grato circa quartum Tiberii annum, antequam Pilatus Judææ Procurator esset; amotum autem à Vitellio, sub imperii Tiberiani finem, cum jam Pilatus Judæâ excessisset; meritò quæritur quî fiat ut hîc, & Luc. 3, Annas dicatur *Princeps Sacerdotum?* Casaubonus respondet, quia Annas ipsam summi Pontificatûs dignitatem anteà gesserat. Scaliger & Bullingerus, quia secundus à Caipha Pontifex erat, ipsiúsque Vicarius, id est סגן, seu ממונה

ממונה *Præfectus*, toti videlicet ministerio sacro. Baronius, quia Annas erat magni Synedrii Princeps.

Certum est, inquit vir inexhaustæ eruditionis Blondellus, *fuisse Judæis non tantùm multos ἱερεῖς, sed etiam multos ἀρχιερεῖς. cùm Aaronis posteros in viginti quatuor familias distinxisset David,* 1 *Chro.* 24. *quæ sacro ministerio fungerentur alternis. Erat harum viginti quatuor familiarum sacerdotalium cuique suus Princeps. qui* ראש בית אב, Princeps domûs paternæ *in Talmude dicitur. Idem dicebatur ἀρχιερεὺς respectu suæ classis. Hinc est quod in Evangelio toties nominantur ἀρχιερεῖς, Mat.* 2. *v.* 3. 16. *v.* 21. 20. *v.* 18. 21. *v.* 15, 23 *&* 45. *Mar.* 8. *v.* 31. 10. *v.* 33, *&c. Jerem.* 29. *v.* 1. *dicuntur Seniores sacerdotum.*

His viginti quatuor familiis duo præerant, quorum primarius κυρίως dicebatur כוהן רב ἀρχιερεὺς, *atque adeo simpliciter* כוהן, Sacerdos. *Hujus Vicarius potuit quidem inter ἀρχιερέας τὰς τῶ ἱερατικῶ γένους initio recenseri. Sed an unquam dictus ὁ ἀρχιερεὺς fuerit singulariter, dubito. Certè probavit debuit Bullingerus, antequam affirmarit Annam ἀρχιερέα dici, quòd esset τῦ ἀρχιέρεως Vicarius.*

In Scriptura Vicarius ille dicitur כוהן משנה, Sacerdos secundarius, 2 *Reg.* 25. *v.* 18. *Jer.* 52. *v.* 24, *non* רב, primarius. *Chaldæus Paraphrastes vertit* סגן. Segan. *Itaque Talmudis tractatu* יומא *cap.*4 *fol.*30. *sic legimus:* Segan & summus Sacerdos ministerium accipiebant sortibus. Non quòd eligerentur sortitò, sed quòd ipsi sacerdotalia quædam munera sortibus inter se distribuerent. *Et paulò pòst*: Quoties contingebat ut Sacerdoti summo suo munere interdiceretur: assumebatur Segan & ministrabat pro eo. *Idem notat Misnajoth Scholiastes in tractatu Sota cap.*7. *num.* 6.

Ex 2 *Reg.* 23. *v.* 4. *colligi posse videtur, fuisse multos Sacerdotes secundarios, quòd ibi dicatur,* ואת כהני משנה; *sed ibi Chaldæus Paraphrastes vertit* ית סגן כהניא *quòd sæpè numerus pluralis usurpetur pro numero singulari.*

Si Caiphæ Vicarius fuit Annas, ut vult Bullingerus, quî fit, ut constanter ab Evangelistis Annas anteponatur Caiphæ? 2 Chron. 31. *v.* 12. *Sanctuarii thesauro Præfectus dicitur Nagid Conanias, & Schimei frater ipsius Conaniæ* משנה. *An Schimei diceretur Nagid, aut Conaniæ præponeretur?*

Si summus Sacerdos diceretur Annas, quòd olim summo sacerdotio functus fuisset, ut vult Casaubonus: quî fit, ut ex tot aliis, qui summo sacerdotio functi fuerant, unus Annas memoretur. Quî fit ut Expontifex, ita Romano more loqui liceat, Pontifici semper præponatur? Expontifices sanè Pontifices honoris causâ dictebantur: sed nunquid illorum nominibus Acta publica consignabantur?

Igitur hîc omninò Scaligero, Casaubono, Bullingero Baronium præfero dicentem, Annam ἀρχιερέα dici, quod esset Magni Synedrii Princeps;

ceps: qui dicitur Hebræis נשיא Nasi. *Qui secundum locum obtinebat in Synedrio Magno, dicebatur* אב בית דין, Pater domûs Judicii. *Hi duo Magni Synedrii Principes dicebantur simul* Sacerdotes: *quia multis Sacerdotibus præerant. Hinc est, ni fallor, quod* 2 *Sam.* 8. *v.* 18. *legimus*, Et filii David erant Sacerdotes. *Paraphrasis Chaldaica vertit*, Magnates. *Erant sanè Magnates, nempe quod Sanhedrin magni Principes simul erant Davidis filii.* Hæc clarissimus Blondellus, quæ magis elucescent ex his quæ subjicimus ex Magno Seldeno.

Animadvertendum est, inquit, *nomina illa* τὸς ἀρχιερεῖς, summos sacerdotes, *seu* Pontifices *quæ nunus aliquod in dicenda ætate illius ævi Reipublicæ Ebraicæ formula denotant, aut Functionem sacram indicasse, aut Præfecturam seu Dignitatem civilem, quâ ipsi Pontifices præ ceteris eminebant. Ubi de Functione sacra dignitati propriæ simul cum Pontifice verba fiunt, ibi ipsum qui singularem dignitatem, id est, Pontificatum ab Aharone cum Functione Sacra derivatum obtinuit, etiam in ævo quo de loquimur denotari palàm est; ut in Epistola ad Ebræos, atque in commentariis Magistrorum, qui ad illud ævum spectant, satis crebrò. At verò ubi non omninò de Functione sacra, sed de civili prorsus rerum administratione Pontificum, id est, quatenus cum imperio à Romanis temperato præfuere, agitur, quemadmodum passim tum in Evangeliis, tum in Apostolorum Actis, certè verè satis est simile ibi illo nomine designari Pontifices, non quà in sacram dignitatem evecti sunt, sed quà administratione civili præessent. Quale profectò notionis nomirus discrimen habetur in Synodis aliquot vetustis, ubi* Comitum *mentio. Dignitas comitiva planè Palatina erat. Et quemadmodum quà Palatina erat ad Synodos non spectabat; ita quà in Synodis Vicariam Augusti potestatem gerrent Comites, nomen illud cum Palatio seu primaria ejusdem notione commune nihil habuit. At verò in Synodi Chalcedonensis Actione prima occurrit,* δὸς τὸς Κόμητας, date comites, *&* εἰσῆλθον οἱ Κόμητες, ingressi sunt Comites. *Ubi Comitum, utcunque vocabuli generatim usurpati, notio eam dignitatem singularem, cujus ratione vice Imperatoris in Synodo præerant qui Comites erant, non omninò eam quà erant Palatini, aut vulgi sensu acciperentur, indicat. Adeo ut hoc velim; non magis Pontifices, quà Pontifices & in sacræ Functionis dignitatem eveherentur intelligi, ubi memorantur in locis jam de civili administratione aliisque hujusmodi adductis, quàm Comites in Synodo illa, quà singularis erat ea sive in Consistorio sive alibi in Palatio dignitas. Hinc, si conjecturæ venia detur, existimarim, Annam & Caiphan Pontifices simul à D. Luca dictos, non quà Sacræ Functionis dignitas illo nomine denotatur, sed quà civilis eorum administratio, utì & ceterorum quibuscum conjunguntur, ad ipsam annum, de quo verba ibi fiunt, denotaretur. Scilicet Annam tunc fuisse Synedrii, ut & ipse vult Baronius, Principem, Caiphan verò ejusdem Patrem. Fingatur binas ejusmodi fuisse Comi-*

tum

tum in Synodo quam diximus, aliáve qualicunque (nam & in Ephesina Comitum mentio obvia) præfecturas. Siquis annum in Synodi actis Cæsariani imperii notasset, atque adjecisset, verbi gratiâ, ἐπὶ δὲ Κομήτων Εἰρηναίου καὶ Διονυσίου, sub Comitibus Irenæo & Dionysio, *certè nemo hic Comites nominatos, quà Comites ex vulgari & originaria vocis notione, existimasset, sed ex præfecturis ipsis quas fuissent sortiti ipsi, ut, pro more avi, alii Comitum nomine eminentes. Atque hoc sanè admisso difficile non est dijudicare curnam in Evangelio ita mutuas invicem tradant in actione adversus Christum operas; uterque etiam Pontificum nomine. Nimirùm eo nomine quo ratione dignitatis ac generis Archieratici, ut tunc tempora fuere, Synedrio in quo actio illa instituta est, modo indicato præfuere. Idem dici non incommodè potest de Anna Pontifice & Caipha cum ceteris Synedrii adsessoribus in quarto Actorum memoratis. Ita demum cur Caiphas, quem sacram dignitatem ipsam velut Aharonis successorem gessisse intervallo illo ex Josepho docemur, Annæ postponatur ratio non inepta reddi potest. Etenim Principi Synedrii Pater Synedrii erat semper secundarius. Sed verò nec Principis nec Patris Synedrii munus semper perpetuum erat, sed ab alio ad alium pro re nata, translatum. Quod ex titulo Talmudico* הוריות *cap. 3. aliisque Magistrorum commentariis elicitur. Et forsan tunc temporis annuum erat, ne imperii ejusmodi prorogatio ceteris generis Archieratici fraudi foret. Atque illinc forsan altera illa quæstio de Caiphæ Pontificatu suo anno apud D. Joannem designato solvenda. Nam ut Pontificum nomen plurale, in sacra rerum civilium administrationis enarratione, Judices ac Judicum Præsides (juxta ea quæ jam dicta sunt) significabat, ita singulare Pontificis nomen cum anni ejusmodi denotatione usurpatum ipsum Synedrii Principem significasse quis existimavit. Adeo ut Anno Tiberii decimo quinto Luc. 3. v. 1 & 2. Annas esset Princeps Synedrii, Caiphas Pater; anno verò Passionis Annas Pater Caiphas Princeps: postmodùm verò Annas, inter suos utpote eminentissimus, iterùm Princeps, & Caiphas Pater, ut in Actorum quarto. Certè etiam Ananias Pontifex in Actis Apostolorum cap. 23. v. 5. ubi Synedrio præest,* ἄρχων τοῦ λαοῦ, *Princeps populi (qui fortè ipse Synedrii* נשיא, Princeps *est) agnoscitur. Alia sunt ejusmodi in Novo Fœdere, ex ejusmodi ratione fortè intelligenda. Neque objiciat quis, ita fieri ut ipse Sacerdos summus, qui in sacræ Functionis dignitatem evectus esset, Principi Synedrii, dum Pater esset ipse, postponeretur, adeoque eo minor in illa Reipublicæ formula existeret. Id quidem adeo verum erat in civili rerum de quâ loquimur administratione, ut Synedriorum ipsorum non solùm Magni sed etiam minorum jurisdictioni subesset Pontifex ipse, qui sacræ functionis dignitatem gerebat, quod ex titulo* סנהדרין *cap. 2. & passim in Ebræorum liquet commentariis. Unde quomodo ipsi Principi Synedrii quà locum in Synedrio teneret secundarius esset, minùs est mirandum. Etiam advertendum est moneri insuper à doctissimis Rabbinis, paria no-*

nominum, per quorum manus in seculis anterioribus lex eorum oralis tradita est, ita esse in solemni eorum recensione intelligenda, ut alterum Synedrii Principem, alterum Patrem Synedrii denotet. Vide יוחסין *fol.* 159. *Adeo ut hosce signantiùs conjunctos præ ceteris esse similique in rebus gravioribus nominatos, novum non sit autumare. Et frequentissima est apud Talmudicos mentio Ezræ atque aliorum ejusmodi* רבית ריגר, & Synedrii sui, *ubi de rebus decernendis agitur; perinde ac si tunc pro Synedrii principibus ex more essent semper accipiendi.* Hactenus doctissimus Seldenus.

Et Joannes. Hunc clarissimus Lightfoot suspicatur fuisse præcelebrem Jochanan ben Zaccai Sacerdotem, qui יוחסין fol. 60. 2. dicitur vixisse centum & viginti annos, & quadraginta annis ante excidium Hierosolymorum, cùm portæ Templi sponte aperirentur, fertur in ירמיא fol. 39. 2. dixisse, *O Templum quare te ipsum turbas? Novi ego finem tuum, quòd destruetis, nam sic vaticinatus est Zacharias:* Aperi portas tuas, ô Lebanon, ut exedat ignis cedros tuas. *Excisis Hierosolymis*, inquit Lightfoot in centuria Chorographica præmissa Matthæo, *à Tito impetravit ut Jabneh Synedrium adhuc reciperet, retineretque. Præsedit ipse illic annis duobus aut quinis, nam de certo numero controvertitur.*

Quotquot erant de genere Sacerdotali. Gr. ἐκ γένους ἀρχιερατικῶν, *ex genere* Pontificio, sive *summorum Sacerdotum*, ut habent interpretes Syrus & Arabs. Nempe *quorum*, inquit Grotius, *majores summo sacerdotio non ita pridem functi fuerant, quæ magna nobilitas fecerat, ut Synedrio magno adscriberentur.*

7. *In qua virtute*, &c. Q. d. Cujusnam viribus, & cujus jussu atque autoritate hunc hominem ab utero matris claudum sanastis?

8. *Repletus Spiritu-Sancto.* Id est, afflatu quodam divini Spiritûs commotus atque impulsus juxta Christi promissum, quo pollicitus est Apostolis fore, ut cùm adducti fuerint ad Præsides ac Reges aliósve Magistratus, detur illis os & sapientia, cui non possint resistere omnes ipsorum adversarii, quia ipsi non sint futuri ii, qui loquantur, sed Spiritus Patris ipsorum, qui in ipsis sit locuturus. Vide Mat. 10. v. 19 & 20. Luc. 21. v. 14 & 15.

9. *Si.* Hæc particula posita est hîc pro siquidem vel quandoquidem, εἰ pro ἐπεὶ.

Nos hodie dijudicamur. Id est, *in jus vocamur*, ut habet Syrus interpres, sive *ad judices deducimur*, ut habet Glossa interlinearis, vel *redarguimur*, ut habet Irenæi interpres Latinus, vel denique ut Lyranus interpretatur, *ad judicium trahimur ut malefactores.* Gr. ἀνακρινόμεθα, quod est, Grotio interprete, *interrogamur.*

In benefacto hominis infirmi. Id est, quòd benefecerimus homini infirmo.

In quo iste salvus factus est. Q. d. Ut respondeamus cujus vi & autoritate hic vir ab utero claudus incedendi facultate & incolumitate fuerit donatus.

10. *In nomine.* Id est vi, & autoritate.

Crucifixistis. Manibus videlicet Romanorum militum. Sic David Rex dicitur 2 Sam. 12. v. 9. Uriam interfeciſſe, nempe ut ibidem additur *gladio filiorum Ammon.*

Quem. Morte tam dirâ, támque infami à vobis affectum.

Deus. Se vestris factis atque conatibus tam esse adversum ostensurus, quàm vos ipsius consilio ac voluntati fuistis.

Suscitavit à mortuis. Hoc est, è morte ereptum vitæ restituit.

In hoc. Id est, hujus Christi redivivi autoritate ac virtute.

Iste astat coram vobis sanus. Hoc est, iste vir ab utero claudus ex clauditate sanus factus est, ut vestris ipsi oculis cernere potestis.

11. *Hic.* Scilicet Christus Jesus Davide adumbratus.

Est. Nempe Davidis instar.

Lapis qui reprobatus est. Id est, rejectus, contemtus ac repudiatus, ac si aptus nequaquam esset, vel ad postremum in ædificio locum occupandum.

A vobis ædificantibus. Q. d. A vobis Synedrii magni & Hierosolymorum Senatoribus, quorum curæ ac tutelæ Religio & Respublica populi Dei mandata est.

Qui. Nimirùm à mortuis excitatus.

Factus est in caput anguli. Hoc est, ad tantam est à Deo dignitatem evectus, ut præcipui lapidis angularis instar totam Spiritualis ædificii molem sustineat ac fulciat. Egregiè ac doctè pro more hujus versiculi sensum literalem & mysticum expressit in aurea sua Paraphrasi ad Ps. 118. v. 22. religiosissimus pariter ac eruditissimus Doctor Theologus Symon Patrick, Decanus Petroburgensis cujus insignem & sinceram charitatem sæpè sum expertus: **He whom the great men and Rulers of the people rejected (1 Sam. 26. v. 19.) as the builders of a house do a stone unfit to be employed in it; is now become our King, to whom we must all join our selves, if we hope for safety. In whom we see a figure of that glorious King, who shall hereafter be in like manner re-**

refused (Luke 19. v. 14 & 20. v. 17.) and then by God exalted to be the Lord of all the world, and the foundation of all men's happiness, *Act.* 4. v. 11 & 12. *David ille à Magnatibus atque populi Principibus rejectus* (1 Sam. 26. v. 19.) *non secus ac lapis inutilis minimèque ad ædificium accommodatus rejicitur ab architectis, nunc Rex noster evasit, ad cujus autoritatem omnes nos adjungi oportet, siqua nobis spes salutis. Atque ita in Davide typum videmus illius magni Regis itidem aliquando à populi primoribus repellendi ac spernendi Luc.* 19. v. 14 & 20. v. 17. *tùmque à Deo in altissimum amplissimòque dignitatis gradu locandi, ut sit orbis terrarum Dominus, cujus autoritate & potentiâ omnium nitatur hominum salus, Act.* 4. v. 11 & 12. Hæc Reverendus Evangelii minister Patrick. Vide explicationem nostram literalem Mat. 21. v. 42.

12. *Et non est*, &c. Q. d. In hoc uno Christo salus omnium ex decreto Dei est reposita, & salus quidem sempiterna, *ad quam nisi per mediatorem Dei & hominum, hominem Jesum Christum pervenire non potest*, ut loquitur Leo Magnus Ep. 83. ad Palestinos, quæ incipit *Sollicitudini meæ*.

Nec enim aliud nomen. Id est, alia persona, seu alius quispiam. Sic & suprà cap. 1. v. 15. nomen pro persona ponitur. Et hîc causa esse videtur aliqua, cur nominis vox fuerit usurpata, quia in periculis & votis illi soleant appellari, & nomina eorum exprimi, à quibus opem ac salutem expectamus.

Sub cœlo. Id est, uspiam. Synecdoche speciei pro genere, locus nimirùm sub cœlo pro quovis loco. Quoties enim de rebus humanis loqui solemus cùm homines sub cœlo sint, & locus hîc illorum sit latissimè patens, quicquid sub cœlo non esse dicimus, nuspiam esse censemus.

Datum hominibus. Id est, à Deo Servator humano generi datus.

In quo oporteat nos salvos fieri. Hoc est, per quem nos salutem quærere debeamus, sive, per quem necesse sit salutem consequamur, si modò salvi esse velimus.

13. *Constantiam.* Id est, loquendi libertatem animisque præsentiam.

Sine literis. Gr. ἀγράμματοι, *illiterati*, id est, liberalis eruditionis & doctrinæ expertes. Literas enim noverant Apostoli & Scripturas legerant, memoriáque tenebant, sed non erant versati in asperioribus studiis, quibus mentes formantur.

Et idiotæ. Id est, plebeii atque infimâ fortunâ homines, ut 1 Sam. 18. v. 23. אִישׁ רָשׁ וְנִקְלֶה, *vir pauper & vilis*, seu *contemtus & abjectus*, in Paraphrasi Chaldæa redditur גְּבַר מִסְכֵּן

מסכן והדיוט *vir pauper & idiota.* Et cap.24.v.15. ubi David contemtim seſe appellat canem mortuum & pulicem, paraphraſis Chaldæa habet חלש, *debilem* & הדיוט, *idiotam.*

15. *Extra concilium.* Id eſt, extra locum in quo erat coactum Synedrium, ſeu concilium.

17. *Comminemur.* Gr. ἀπειλῇ ἀπειλησώμεθα, *minando minemur.* Id eſt, diſtrictè minemur.

In nomine hoc. Id eſt, juſſu atque autoritate Jeſu Nazareni.

18. *Ne omninò,* &c. Q. d. Ne privatim vel publicè quicquam poſthac dicerent docerentve prætendentes Jeſu Nazareni autoritatem, ita ut ejus juſſu quippiam promulgari dicatur.

19. *Si juſtum eſt.* Hoc eſt, an ſas juráque ſinant.

In conſpectu Dei, Qui nimirùm ubicunque cœcutiant homines, nunquam tamen patietur ſibi quemquam præferri.

Vos potiùs audire quam Deum. Sic adoleſcens Antiochomandanti ut contra Legem Dei veſceretur carne ſuillâ, reſpondit, *Non obedio præcepto Regis, ſed præcepto Legis quæ data eſt nobis per Moyſen.* 2 Mac.7.v. 30. Polycarpi jamjam morituri dictum extat: δεδιδάγμεθα γὰρ ἀρχαῖς καὶ ἐξουσίαις ἀπὸ θεοῦ τεταγμέναις τιμὴν καὶ τὸ πρόσηκον τὸν μὴ βλάπτοντα ἡμᾶς ἀπονέμειν. *Didicimus imperiis ac poteſtatibus à Deo ordinatis exhibere honorem quem par eſt, quique ſalutem noſtram non impediat.* De matre familias Clemens Alexandrinus: Παύλα τῷ ἀνδρὶ πειθομένη ὡς μηδὲν ἄλλο ἢ ἐκείνῳ πράξαι πόθος, πλὴν ὅσα εἰς ἀρετήν τε καὶ σωτηρίαν διαφέρειν νομίζεται. *In omnibus viro parebit, neque eo invito faciet quicquam extra quæ credet ad virtutem ſalutémque momentum habere.* De liberis Paulus Epheſ. 6. v. 1. *Filii, obedite parentibus veſtris in Domino.* Id eſt, Chryſoſtomo interprete, ἐν οἷς μὴ προσκρούσης θεῷ. *In quibus Deum offenſurus non es.* Quintilianus Decl. 271. *Non omnia neceſſe eſt facere liberis quæcunque patres imperant. Multa ſunt quæ fieri non poſſunt. Si imperes filio ut ſententiam dicat contrà quàm exiſtimet: Si teſtimonium jubeas dici ejus rei quàm ignoret: ſi ſententiam inſanatu: Si Capitolium me incendere jubeas, arcem occupare; licet dicere, Hæc ſunt quæ fieri non oportet.* Idem alibi: *Non omnia præſtanda etiam parentibus. Alioquin nihil eſt pernitioſius acceptis beneficiis, ſi in omnem nos obligant ſervitutem.* Hieronymus in Tit. 2. citatus à Gratiano cauſa 11. q. 3. cap.93. *Si dominus ea jubet, quæ non ſunt adverſa Scripturis ſanctis, ſubjiciatur ſervus domino. Si verò contraria præcipit, magis obediat ſpiritûs, quam corporis domino.* Et in Tit. 3. *Si bonum eſt quod præcipit Imperator & Præſes, jubentis obſequere voluntati: ſi verò malum, reſponde ei illud de actibus Apoſtolorum:* Obedire oportet Deo magis quàm hominibus. *Hoc ipſum & de ſervis intelligamus apud dominos, & de uxoribus apud viros, & de filiis apud parentes: quòd*

in illis tantùm debeant dominis, viris, parentibus esse subjecti, quæ contra Dei mandata non veniunt. Idem Gratianus ibid. cap. 97. ex Aug. Ser. 6. de verbis Domini. Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. *Sed quid si illud jubeat, quod non debeas facere? Hîc sanè contemne potestatem, timendo potestatem. Ipsos humanarum rerum gradus advertite. Si aliquid jusserit Curator, nonne faciendum est? Tamen si contrà Proconsul jubeat, non utique contemnis potestatem, sed eligis majori servire. Nec hinc debet minor irasci, si major prælata est. Rursus si aliquid Proconsul jubeat, & aliud jubeat Imperator, numquid dubitatur illo contemto, isti esse serviendum? Ergo si aliud Imperator & aliud Deus, quid Judicatis? Solve tributum, ipse mihi in obsequium, vectigal, sed non in idolio. In idolio prohibet. Quis prohibet? Major potestas. Da veniam: tu carcerem, ille gehennam minatur. Hic jam tibi assumenda est fides tanquam scutum, in quo possis omnia ignita jacula inimici extinguere.* Idem ibidem cap. 98. ex Aug. in Ps. 124. v. 3. *Julianus extitit infidelis Imperator. Nonne extitit apostata, iniquus, idololatra?* Milites Christiani servierunt Imperatori infideli? *Ubi veniebatur ad causam Christi, non agnoscebant nisi illum, qui in cœlo erat. Quando volebat ut idola colerent, ut thurificarent, præponebant illi Deum. Quando autem dicebat, Producite aciem, ite contra illam gentem, statim obtemperabant. Distinguebant Dominum æternum à domino temporali: & tamen subditi erant propter Dominum æternum etiam domino temporali.* Idem ibidem cap. 101. ex Isidoro. *Si is, qui præest, fecerit, aut cuiquam quod à Domino prohibitum est, facere jusserit, vel, quod præceptum est præterierit, aut præterire mandaverit, sancti Pauli Apostoli sententia ei ingerenda est, dicentis Gal. 1.* Etiamsi nos, aut Angelus de cœlo evangelizaverit vobis, præterquam quod vobis evangelizavimus, anathema sit. *Siquis prohibet vobis, quod à Domino præceptum est, vel rursus imperat fieri, quod Dominus prohibet, exterminabilis sit omnibus, qui diligunt Deum. Is, qui præest, si præter voluntatem Dei, vel præter quod in sanctis Scripturis evidenter præcipitur, vel dicit aliquid, vel imperat tanquam falsus testis Dei, aut sacrilegus habeatur.* In regulis brevius disputatis S. Basilii cap. 114 & 303. simillima leguntur hisce omnibus, quæ in hoc capite 101. continentur. Vide sis & ejusdem Basilii lib. de institutis Monachorum cap. 14 & 16.

20. *Non enim possumus*, &c. Hoc est, nullo modo nobis licet, seu non possumus per conscientiam, sive conscientia nobis nullâ ratione permittit contra voluntatem Dei nobis revelatam reticere quæ vidimus & audivimus. Sic *posse* pro *licere* passim accipitur in Scripturis, ut videre est Gen. 43. v. 32. & 1 Cor. 10. v. 21. &c. *Animadvertendum est* inquit Curcellæus noster, *hanc locutionem* non posse *non semper veram & propriè dictam ἀδυνατίαν designari, sed interdum pro vehemente*

ab

ab aliqua re animi aversione accipi; ut cùm Petrus & Joannes dicunt, Non possumus quin dicamus ea quæ vidimus & audivimus, *Act.* 4. *v.* 20. *Et Joannes,* Quicunque ex Deo est natus, non potest peccare, 1 *Jo.* 3. *v.* 9. *Item ubi Dominus Jesus hoc testimonium perhibet Angelo Ecclesiæ Ephesinæ quòd non posset ferre malos, Apoc.* 2. *v.* 2. *Non quod omnes isti nullatenùs ea possent facere, de quibus illis in locis agitur, sed quia valdeàb illis abhorrebant. Quæ etiam causa fuit cur Christi doctrinæ Judæi credere non possent, Jo.* 12 *v.* 39. *Videntes enim tam carnalibus suis cupiditatibus repugnare, tam alieno ab ea erant animo, ut admittere nollent, etiamsi facilè potuissent, si modò libuisset. Quod etiam apertè ipsis exprobrat dicens Jo.* 5. *v.* 44. Quomodo potestis credere, qui gloriam abinvicem accipitis, & gloriam quæ à solo Deo est non quæritis? Vide quæ adnotavimus ad Amos 3. v. 8.

21. *At illi comminantes.* Id est, interminati ne facerent.

Quomodo. Id est, quo specioso prætextu.

Glorificabant id quod factum fuerat. Gr. Ἐδόξαζον τὸν Θεὸν, *Deo gloriam dabant.* Videmus hìc incorruptiùs populum de rebus divinis judicare, quàm eos, qui sibi primatum in rebus sacris vindicabant. Populus enim agnoscit miraculum, & Deum hoc nomine celebrat: Seniores, Pontifices, & Legis doctores non modò non agnoscunt, laudéque meritâ privant, sed etiam supplicio dignum perperàm judicant.

22. *Annorum,* &c. Indicat Lucas omnes, quos affectus aliquis non occæcasset, non potuisse non mirificissimam hanc claudi sanationem judicare, quòd nimirùm claudicatio illius ab ipso matris utero per quadraginta amplius annos durarit. Diuturna enim vitia difficulter tolluntur, & tandem, etiamsi naturalia non fuerint, in naturam tamen migrant, & cum ætate crescunt atque indurantur.

23. *Venerunt ad suos.* Gr. ἰδίους, *proprios.* Hoc est, ceteros Christianos; nulli enim homines magis sunt proprii Christianis, quàm Christiani, Christianus Christiano domesticus est, propinquus est, frater est.

24. *Qui cùm audîssent.* Synedrii videlicet, seu Concilii Judæorum summatum comminationem, non lachrymis se dederunt, neque conciderunt animis, & de bona causa desperantes eam prodere cogitarunt, sed humanâ ope destituti, ad divinam confugerunt, hanc persuasi tum potissimùm incipere, dùm illa desinit.

Unanimiter. Multùm roboris habet in precibus ad permovendum Deum piorum consensus & animorum conspiratio. Vide Mat. 18. v. 19 & 20.

Levaverunt vocem. Ferventi Zelo, generosóque animi ardore.

Ad Deum. Nulla sunt Christianis arma adversus Magistratum, cùm ipse autoritate viribúsque suis opprimere veritatem ejúsque professores nititur, præter preces ad Deum pro Magistratu illiúsque salute: nempe ut Dei vi flexanimâ & vorticordiâ mutatus veritati reluctari desinat, & siquid ejus professoribus fuerit interminatus, id ad exitum non perducat.

Domine. Cujus Divino numini parent omnes naturæ.

Tu. Ad cujus clementiam auxilii gratiâ supplices confugimus.

Es. Gr. additur, ὁ θεὸς, *Deus ille.*

Qui. &c. Q. d. Quem immensâ potentiâ viribúsque infinitis pollere rerum omnium creatio demonstrat.

25. *Qui.* Tuæ auxiliandi virtutis demonstrationi adjunxisti auxilii promissionem, ut tuæ promissioni & simul virtuti innixi cum certa spe impetrandi tuum imploraremus auxilium.

Spiritu-sancto. Id est, divino tuo instinctu afflatúque futura prænuntians.

Pueri tui. Hoc est, servi tui.

Quare, &c. Q. d. Inaniter furit sceleratus impetus delendi imperii à Deo constituti; nihil enim plus efficiet, quàm si musca se opponat elephanto, aut siquis solem de cœlo dejicere conetur. Sensu literali hoc de Davidis regno regnum Christi adumbrante intelligitur. Videbat David se undique cinctum hostibus potentissimis, Philistinis, Moabitis, Sabæis, Damascenis, Ammonitis & Idumæis, & undiqueversùm magnis viribus oppugnatum, 2 Sam. 5. v. 15. 8. v 1. & seqq. 10. v. 6 & seqq. Horum utut viribus numeróque pollentium captos frustrà conatus contra regnum sibi divinitùs mandatum David irridet. Mystico sensu Spiritus-sanctus per os Davidis locutus ridiculam mundi insaniam exagitavit, quòd audeat Christum ejúsque Ecclesiam invadere, cùm Deus inviolabili decreto statuerit, utcunque omnes homines, summi & infimi, impiâ & nefariâ conspiratione Christum ejúsque Ecclesiam oppugnent, nihil tamen profecturos. Ad Messiam pertinere mysticum Psalmi secundi sensum agnoscunt Rabbini David Kimchi, Saadias Gaon, Jarchi, &c.

26. *Astiterunt*, &c. Q. d. Principes nominati locis mox citatis, 2 Sam. 8 & 10, adversus ineluctabile omnipotentis Dei consilium & Davidem solemniter unctum Dei jussu, 1 Sam. 16. v. 13. 2 Sam. 2. v. 4. 5. v. 3. scelerate conspirârunt. Hi Principes typum gerebant eorum omnium, qui Christo Domino subjici recusantes, adversus Deum in ipsius persona regnare volentem in pr[illegible]riam sui perniciem efferuntur. David verò Dei jussu in Regem unctus referebat Filium Dei Jesum Messiam, seu Christum, id est, unctum ab æterno Patre in Sacerdotalem, Prophe-

pheticam, regiámque dignitatem, non oleo quidem terreno, ſed cœleſtibus Spiritus-ſancti donis, ut dicitur Eſ. 61. v. 1.

Regis terræ. Sic inſenſos Davidi & Jeſu Chriſto per Davidem adumbrato Principes vocat per extenuationem, eſſque opponit Deum, *qui habitat in cœlis*, cujus nimirum potentia non includitur anguſtiis iſtis, quibus humana definita eſt, terminis.

27. *Convenerunt*, &c. Q. d. Iſti enim Davidis hoſtes referebant Herodem Antipam Galilææ Tetrarcham & Pontium Pilatum Judææ Procuratorem, qui, licèt parùm inter eos conveniret, in hoc tamen unum convenerunt unà cum Ethnicis & Judæis, ut in Jeſu necem conſentirent, Luc. 23.

Puerum. Græcum παῖδα, cùm de Jeſu dicitur, *Filium* reddunt Hilarius & Ambroſius, utì hîc adnotat Eraſmus.

Quem unxiſti. Hoc eſt, unctione Spiritus-ſancti Regem, Sacerdotem & Prophetam inauguraſti.

Herodes & Pontius Pilatus. Hebraiſmo Scripturæ familiari etiam qui vicariam aut mandatam habent poteſtatem, *Reges* nuncupantur.

Cum gentibus. Id eſt, ethnicis qui in conſilio aut miniſterio erant Pilati Romani Procuratoris.

Et Populis Iſrael. Judæi numero multitudinis vocantur *populi Iſrael*, non modò quòd conſtarent duodecim tribubus, quarum ſingulæ veluti populum quendam diſtinctum conſtituebant, ut precatus eſt Iſaac Jacobo Gen. 28. v. 3. Deúſque ipſe dicitur pollicitus Gen. 48. v. 4. Sed etiam quòd æquè numeroſa eſſet eorum multitudo, ac ſi gentes multæ ſimul coiſſent, Judic. 5. v. 14.

28. *Facere*, &c. Q. d. Ut ipſis animo morem gerere permiſſis ad exitum perveniret quod omnipotenti ſapientiâ conſtitueras, Filium ſcilicet tuum pro humani generis ſalute per manus iniquorum turpi crucis morti addictum iri. *Scelerati*, inquit Junius, *conſilium Dei exequuntur, nihil tale cogitantes, Dei conſilium exequuntur, non tamen culpæ eximuntur.* Deus enim nihil ad impiorum malitiam confert, etſi ipſorum malitiæ habenas laxet, ſuóque ſapienti conſilio eam in unum potiùs, quam in alium quempiam dirigat, détque exequendi facultatem.

Manus tua. Id eſt, potentia tua. Deus quia omnipotens eſt nihil vult quod non poteſt, ipſóque tueri volente, nequicquam oſores veritatis ejuſdem cultoribus inſidias moliuntur. *Non ergo fit aliquid, niſi omnipotens fieri velit, vel ſinendo ut fiat, vel ipſe faciendo*, inquit Aug. Enchiridii cap. 95.

Et conſilium. Hominum conſilia ſæpè fallunt, quia non poſſunt efficere quicquid voluerint, at Dei non item; *quia*, ut ait Aug. Enchiridii cap. 96. *Omnipotenti enim facile eſt quod vult facere, tam facile eſt quod non vult eſſe non fieri.*

Decreverunt fieri. Gr. προώρισε γενέσθαι, *præfinivit fieri.* Προορίζειν significat *prius definire, & veluti centro spatia quæ circumscribere,* inquit Simon Grynæus, vir Latinè & Græcè excellenter doctus. Observandum porrò totum hunc versum vicesimum octavum commodè posse jungi cum istis mox præcedentis versiculi verbis, *quem unxisti,* hac ratione: *Convenerunt enim verè in civitate ista adversus sanctum puerum tuum Jesum, quem unxisti facere quæ manus tua & consilium tuum decreverunt fieri, Herodes & Pontius Pilatus cum gentibus & populis Israel.* Qui egregius omninò est sensus, & apprimè congruit & cohæret cum serie contextus: *Sic enim,* inquit egregius noster seculi Theologus Stephanus Curcellæus, *Apostoli suam in Deum fiduciam ostendere voluerint, apertè profitendo, omnes inimicorum Christi conatus ad Evangelii propagationem disturbandam esse irritos, & impedire non posse, quominus id, quod Deus per Christum & ejus servos pro mundi salute decrevisset fieri, executioni mandetur.* Nec ista verborum trajectio quemquam offendere aut insolens videri debet, cùm similia multa exempla in Scripturis occurrant. Duo aut tria in specimen afferre sufficiat. *Apoc.* 13. *v.* 8. *legimus*: Et adoraverunt *bestiam* omnes, quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ agni, qui occisus est ab origine mundi: *ubi ultima verba,* Ab origine mundi, *non debent connecti cum præcedentibus,* agni, qui Occisus est, *sed cum remotioribus, hac ratione*: Quorum nomina non sunt scripta ab origine mundi in libro vitæ agni, qui occisus est. *Vide etiam Luc. 2. v. 34 & 35. ubi durior adhuc reperitur trajectio. Verba enim ultima*: Ut revelentur ex multis cordibus cogitationes, *connecti debent cum illis,* Et in signum cui contradicetur, *licèt in medio interjecta sint ista*: Et tuam ipsius animam pertransibit gladius. *Et ejusdem lib. cap. 4. v. 5. ubi legendum est*: Cùm subduxisset Jesum diabolus in montem sublimem in puncto temporis, ostendit ei omnia regna orbis terrarum: *non, ut vulgò fit,* Ostendit ei omnia regna orbis terrarum in puncto temporis: *id enim fieri non poterat, & diaboli consilio adversabatur, quod erat Dominum Jesum in contemplatione gloriæ & splendoris regnorum istorum aliquantulùm saltem, ad concupiscentiam ejus irritandam, detinere, non in momento ut fulgur aliquod ostendere. Denique ubicunque parentheseos notæ textui sacro inseruntur, ejusmodi trajectiones locum habent. Quod adeo frequens est in epistolis Paulinis, ut in septem primis commatibus epistolæ ad Romanos tres aut quatuor inveniantur. Quæ de re consuli possunt interpretes, & inter eos Beza & Piscator in indicibus sub voce,* Trajectio.

29. *Et nunc.* Adverbium temporis ועתה, *& nunc* est collectiva vel rationalis conjunctio ex præcedentibus conclusionem inferens ponitúrque hîc pro *igitur, ergo, itaque,* ut Gen. 4, *v.* 11. 21. *v.* 23 & alibi passim.

Do-

Domine reſpice in minas eorum, &c. Q. d. Magiſtratuum minas compeſce, ne in veritatis oppreſſionem erumpant, atque ut ſervi tui contemtis illis minis audacter atque intrepidè Chriſti doctrinam annuncient, vimac potentiam tuam ad miracula edenda exere, quoties te, ut miraculum edas, per ſancti Filii tui Jeſu nomen obteſtabuntur. Hic modus animi fortitudinem inſpirandi Chriſti miniſtris hodie ceſſat, cùm vis miraculorum olim per Apoſtolos editorum adhuc duret & vigeat.

31. *Et cùm oraſſent.* Gr. ἐν δεηθέντων αὐτῶν, *dum adhuc orarent.* Id eſt, vix hæc erant precati.

Motus eſt locus. Ut nempe Deum adeſſe ſibi hoc divinæ præſentiæ ſymbolo ſcirent diſcipuli, ſuáque vota certò cognoſcerent eſſe exaudita juxta Chriſti promiſſum Jo. 14. v. 13. *Quodcunque petieritis Patrem in nomine meo*, id eſt, promiſſis & meritis meis fidentes, *hoc faciam*, id eſt, efficiam ego ut id conſequamini. Et Jo. 16. v. 23. *Amen, amen dico vobis, ſiquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Virgilius Æn. 3. v. 89. & ſeqq.

Da, pater, augurium, atque animis illabere noſtris.
Vix ea fatus eram, tremere omnia viſa repentè,
Limináque, lauriſque Dei; totuſque moveri
Mons circùm.

Et repleti ſunt omnes Spiritu-ſancto. Id eſt, vim Spiritus-ſancti magis quàm anteà in ipſorum animis ſeſe exerentem ſenſerunt, & compotes facti ſunt iſtorum Chriſti promiſſorum, *Qui habet, dabitur ei, & abundabit*, Mat. 13. v. 12. *Omnem palmitem in me, qui fert fructum, purgabit Pater meus, ut fructum plus afferat*, Jo. 15. v. 2.

Et loquebantur verbum Dei cum fiducia. Q. d. Nullóque metu abſterriti aut præpediti liberiùs doctrinam Chriſti diſſeminarunt.

32. *Multitudinis*, &c. Q. d. Tot autem millium hominum, qui Chriſtum fide erant amplexi, ea erat concordia atque animorum conjunctio, ut nullum inter eos diſſenſionis veſtigium extaret. Felicem hanc concordiam ſuorum Diſcipulorum teſſeram ac notam fore Chriſtus ipſe indicat Jo. 13. v. 15. & Patrem rogat ut eam in illis efficiat, quò cognoſcat mundus ſe ab ipſo eſſe miſſum, Jo. 17. v. 21 & 23.

Cor unum & anima una. Proverbialis locutio ſummum ſignificans animorum conſenſum, 1 Par. 12. v. 38. *Uno corde erant ut Rex fieret Davíd.* 2 Par. 30. v. 12. *In Juda verò facta eſt manus Domini ut daret eis cor unum ut facerent juxta præceptum Regis & Principum, verbum Domini.* Jer. 32. v. 39. *Dabo eis cor unum & viam unam ut timeant me.* Id eſt, faciam ut concorditer unam religionem profiteantur. Ariſtoteles apud Diogenem Laertium

rogatus quid sit amicitia, respondit, μία ψυχὴ δυοῖν σώμασιν ἐνοικοῦσα, *anima una in duobus corporibus habitans.* Atque ita, ut ait Cicero in Oratione pro Plancio, *Vetus est lex illa justæ veræque amicitiæ, ut idem amici semper velint, neque est ullum certius amicitiæ vinculum, quàm consensus & societas consiliorum & voluntatum.*

Nec quisquam, &c. Q. d. Quin & sancta hæc & laudabilis inter credentes concordia in externam liberalitatem prorupit, ita ut nullus eorum solus suis facultatibus seu rebus, quæ nummo æstimari solent, privatim frueretur, aliis neglectis: sed prout necesse erat, earum usum aliis quoque liberaliter indulgeret. *Hoc est nativitate spirituali verè Dei filios fieri, hoc est lege cœlesti æquitatem Dei Patris imitari. Quodcunque enim Dei est, in nostra usurpatione commune est, nec quisquam à beneficiis ejus & muneribus arceatur, quominùs omne humanum genus bonitate ac largitate divinâ æqualiter perfruatur. Sic æqualiter dies illuminat, sol radiat, imber rigat, ventus aspirat, & dormientibus somnus unus est, & stellarum splendor ac lunæ communis est. Quo æqualitatis exemplo, qui possessor in terris reditus ac fructus suos cum fraternitate partitur, dum largitionibus gratuitis communis ac justus est, Dei imitator est.* Cyprianus sub finem libri de opere & eleemosynis.

33. *Et virtute*, &c. Q. d. Christi autem Resurrectionem, universæ religionis Christianæ, & spei nostræ in ea comprehensæ fundamentum, Apostoli non verbis modò fortiter ac constanter asserebant, sed etiam, ut anteà rogaverant, confirmabant insignibus ac stupendis miraculis, invocati ab ipsis Jesu Christi virtute perfectis?

Et gratia magna erat omnibus illis. Id est, omnibus placebant gratíque erant Apostoli. Vide infrà cap. 5. v. 13.

34. *Neque enim*, &c. Redditur causa cur Apostoli apud omnes essent gratiosi, quòd nimirùm omnibus benignè facerent.

Egens Id est, rebus ad vitam sustentandam necessariis destitutus.

Quotquot, &c. Vide adnotata suprà cap. 2. v. 45.

Vendentes. Scilicet agros aut prædia.

35. *Et ponebant ante pedes Apostolorum.* Ex more videlicet alieno arbitrio ac nutui aliquid subjicientium. Ab hoc more sumta est locutio Ps. 8. v. 7. Cicero de pretio loquens Orat. pro Flacco, *Ante pedes Prætoris in foro expensum est auri pondo centum.* Idem 3 Offic. *Ante pedes Pythii pisces abjiciebantur.*

Dividebantur, &c. Q. d. Distribuebatur autem singulis quid cuique opus erat ad alimenta, vestimenta, & medicamenta, ut in universo credentium cœtu nemo aut ob inopiam abjectus & neglectus, aut ob divitias elatus & inflatus appareret.

36. *Joseph.* Gr. Ἰωσῆς. Joses, Josetus, Josephus & Joseph unum idémque nomen est variè terminatum, uti Drusius, Grotius, & alii adnotarunt.

Qui

Qui cognominatus eſt Barnabas Compoſitio hujus cognomenti Syriaca eſt ex nomine בַּר & נְבִיא futuro tertiæ perſonæ verbi נָבִיא *conſolatus eſt*. Ut enim apud Arabes plerunque, *ita*, inquit Ludovicus De Dieu, *& non ràrò apud Hebræos & Syros futurum habet vim participii præſentis. Hinc ergo* בַּר נְבִיא, *& compendii cauſâ* בַּר נָבָא, filius conſolans. Neque verò vulgarium hominum, ſed ipſorum Apoſtolorum judicio cognomen hoc accepit: quod ad majorem ipſius laudem facit. Non caruerunt omine nomina Apoſtolis à Chriſto impoſita: non caruerunt proculdubio etiam ea, quæ ab Apoſtolis Spiritu-ſancto plenis fuerunt aliis impoſitæ. Non exigua laus eſt, probari viris in Eccleſia & divinis muneribus & pietate inſignibus. Quare omnes operam dare debent, ut ab illis tanquam laudatiſſimis viris, non tam reipſà laudentur, (ne forté ambitioni hîc quicquam detur) quàm laudari mereantur: atque imprimis, ut pios omnes ſuâ pietate factíſque præclaris conſolentur, iſíque gaudium afferant.

Levites. Scimus nihil proprium fuiſſe Levitis, & decimas illis datas fuiſſe in hereditatem Num. 18. v. 21. prædiáque ſuburbana ipſis in poſſeſſionem conceſſa dari venum non potuiſſe novimus ex Levit. 25. v. 34. Ergo fundus, quem Barnabas venundedit, fuit dotalis, quem alterius ſtirpis puella ipſi vel parenti nubens in dotem attulerat. *Nam*, ut advertit Grotius ad Jerem 32. v. 7. *mulieres, ſi fratres non haberent, heredes erant parentum, & ſi propinquus eas ducere nollet, nubebant aliis.*

Cyprus genere. Id eſt, natione. *Cyprus*, Heb. כּוֹפַר, inſula tot nominibus inclyta, magnitudine, fertilitate, ſitu, opibus, coloniis, urbibus, admiſſione Chriſtianiſmi, ab Occaſu quidem terminabatur Pamphylio pelago; à Meridie, Ægyptio & Syriaco; ab Oriente, Syriaco; à Septentrionibus verò, angúſto Ciliciæ freto Juxta Ptolemæum lib. 5. cap. 14. quà vero ſimilius eſt Naturâ eam Ciliciæ avelli, quàm Syriæ, ut tradit Plinius lib. 2. cap. 88. Antiquitùs novem regnorum ſedem fuiſſe autor eſt idem Plinius lib. 5. cap. 31. ſed ab eo tempore, quo Ptolemæi Reges Ægyptum obtinuerunt, Cyprus quoque in eorum venit poteſtatem, adjuvantibus ſæpè etiam Romanis. Cùm autem ultimus Rex Ptolemæus, patruus Cleopatræ, quæ Strabonis ætate regnabat, videretur iniquè agere, neque bonam gratiam referre, eo dejecto Romani inſulam occupaverunt, ac in Prætoriam provinciam redegerunt. Perniciei cauſa præcipua fuit Publius Claudius Pulcher: is enim cùm incidiſſet in Cilices piratas, tum maximè viribus vigentes, & redimendi ſui pretium poſceretur, ad Regem miſit petitum, ut miſſo redemtionis

pretio

pretio se liberaret. Misit ille, sed ita exiguum, ut piratas id accipere puderet, ac pretio ad Regem remisso, Claudium liberum sine pretio dimiserunt. Ita servatus utrisque referendæ gratiæ memor fuit, factúsque Tribunus plebis obtinuit, ut Porcius Cato mitteretur, qui Regi Cyprum possidenti adimeret. Atque is quidem adventum Catonis se occidens prævertit. Cato superveniens Cyprum occupavit, Regis res familiares divendidit, & pecuniam in ærarium populi Romani asportavit. *Quæ res latiùs ærarium populi Romani, quàm ullus triumphus implevit*, inquit Lucius Annæus Florus lib. 3. cap. 9. Exinde insula hæc fuit provincia prætoria. Paulo interjecto tempore Antonius eam Cleopatræ & sorori ejus Arsinoæ tradidit, verùm Antonio everso, omner etiam ejus constitutiones sunt eversæ, quorum locuples est testis Strabo lib. 14.

37. *Cum haberet agrum.* Nempe dotalem; neque enim Levitæ præter agros dotales suo nomine, privatos habebant, utì ad versum mox præcedentem adnotavimus. Memorabile præ aliis exemplum est hæc prædii dotalis alienatio à Barnaba facta, non ad suam, sed aliorum inopiam sublevandam. Solet namque prædiolum hujusmodi possessoribus esse admodum charum, ita ut inviti eo nudentur, & vitam ei vendere videantur, cui hoc vendiderint. Itaque magnæ est charitatis atque liberalitatis istud emancipare, ut aliis tantùm gratificeris.

CAP.

CAP. V.

1. VIr autem, &c. Particula *autem* oppoſitionem denotat, & primam hujus capitis partem cum fine præcedentis capitis connectit. Poſtquam enim liberalitatem Fidelium Eccleſiæ Hieroſolymitanæ exemplo ſpeciali eóque inſigni, Barnabæ nimirùm, qui dotale prædiolum divendiderat, pretiúmque in commune contulerat, declaraſſet, eandem nunc diverſo atque aliquatenus contrario exemplo, & pœnâ divinâ iſtud conſecutâ illuſtrat: q. d. Alio verò animo præditus erat Ananias cum uxore ſua Sapphira, qui vendito agro interverterunt aliquid de pretio, &c.

Vendidit agrum. Gr. κτῆμα *poſſeſſionem.* Æthiopicus vertit *vinum*, ſicque reddit infrà v. 8, χωρίον, & ſuprà cap. 1. v. 18. ἀγρόν; quia nimirùm prædia terræ Canaan ferè erant vineta. Hinc pro כרמים, *vineis*, LXX dixerunt κτήματα Prov. 31. v. 16. Oſ. 2. v. 15. Joel 1. v. 11. & χωρία 1 Par. 27. v. 27.

2. *Fraudavit.* Hoc eſt, malâ fraude clàm ſubduxit aliquid.

Conſciâ uxore ſuâ. Supple, libentérque comprobante.

Et afferens. Ananias ſolus, abſente uxore Sapphirâ.

Partem quandam. Pretii, quo prædium ipſius venierat.

Ad pedes Apoſtolorum poſuit. Diſſimulans ſe integram pecuniam afferre, quâ prædium ſuum venum dederat, ſperánſque fraudulentam ſuam diſſimulationem fore clàm.

3. *Cur tentavit* (Gr. *implevit*) *Satanas cor tuum?* Q. d. Quî potuiſti in animum inducere, ut inconſideratiſſimæ ac dementiſſimæ temeritati à Satana ſuggeſtæ locum in corde tuo permitteres? Implere cor Scripturæ phraſi eſt facere audacem, ut ex Eſther 7. v. 5. & Eccleſiaſtæ 8. v. 11. Ludovicus de Dieu demonſtravit. *Audacia*, inquit idem, *implet cor turgidiumque reddit fervidis ſpiritibus, qui extrorſum prorumpentes, membra exteriora, præſertim linguam & manus, ad quævis audenda impellunt, nihil enim metuit cor ſpiritibus plenum.* Idem hauc multo pòſt: *Duplex eſt plenitudo; una fidei, quâ cor Fidelium ſanctis ſpiritibus ex firmiſſimis Dei promiſſionibus repletum, fidenter atque intrepidè quævis adverſa contemnit; altera audaciæ, quâ cor prophanorum temerariis ſpiritibus ex vana incolumitatis ſpe repletum, ſine metu mala audet. Eo in loco hîc erat Ananias, cujus cor Diabolus temerariis iſtis audaci-*

æ

pretio se liberaret. Misit ille, sed ita exiguum, ut piratas id accipere puderet, ac pretio ad Regem remisso, Claudium liberum sine pretio dimiserunt. Ita servatus utrisque referendæ gratiæ memor fuit, factúsque Tribunus plebis obtinuit, ut Porcius Cato mitteretur, qui Regi Cyprum possidenti adimeret. Atque is quidem adventum Catonis se occidens prævertit. Cato superveniens Cyprum occupavit, Regis res familiares divendidit, & pecuniam in ærarium populi Romani asportavit. *Quæ res latiùs ærarium populi Romani, quàm ullus triumphus implevit*, inquit Lucius Annæus Florus lib. 3. cap. 9. Exinde insula hæc fuit provincia prætoria. Paulo interjecto tempore Antonius eam Cleopatræ & sorori ejus Arsinoæ tradidit, verùm Antonio everso, omner etiam ejus constitutiones sunt everſæ, quorum locuples est testis Strabo lib. 14.

37. *Cum haberet agrum.* Nempe dotalem; neque enim Leviræ præter agros dotales suo nomine, privatos habebant, utì ad versum mox præcedentem adnotavimus. Memorabile præ aliis exemplum est hæc prædii dotalis alienatio à Barnaba facta, non ad suam, sed aliorum inopiam sublevandam. Solet namque prædiolum hujusmodi possessoribus esse admodum charum, ita ut inviti eo nudentur, & vitam ei vendere videantur, cui hoc vendiderint. Itaque magnæ est charitatis atque liberalitatis istud emancipare, ut alius tantùm gratificeris.

CAP.

CAP. V.

1. *VIr autem*, &c. Particula *autem* oppoſitionem denotat, & primam hujus capitis partem cum fine præcedentis capitis connectit. Poſtquam enim liberalitatem Fidelium Eccleſiæ Hieroſolymitanæ exemplo ſpeciali eóque inſigni, Barnabæ nimirùm, qui dotale prædiolum divendiderat, pretiúmque in commune contulerat, declaraſſet, eandem nunc diverſo atque aliquatenus contrario exemplo, & pœnâ divinâ iſtud conſecutâ illuſtrat: q. d. Alio verò animo præditus erat Ananias cum uxore ſua Sapphira, qui vendito agro interverterunt aliquid de pretio, &c.

Vendidit agrum. Gr. κτῆμα *poſſeſſionem.* Æthiopicus vertit *vineam*, ſicque reddit infrà v. 8, χωρίον, & ſuprà cap. 1. v. 18. ἀγρόν; quia nimirùm prædia terræ Canaan ferè erant vinea. Hinc pro כרמים, *vineis*, LXX dixerunt κτήμασι Prov. 31. v. 16. Oſ. 2. v. 15. Joel 1. v. 11. & χωρίοις 1 Par. 27. v. 27.

2. *Fraudavit.* Hoc eſt, malâ fraude clàm ſubduxit aliquid.

Conſciâ uxore ſuâ. Supple, libentérque comprobante.

Et afferens. Ananias ſolus, abſente uxore Sapphirâ.

Partem quandam. Pretii, quo prædium ipſius venierat.

Ad pedes Apoſtolorum poſuit. Diſſimulans ſe integram pecuniam afferre, quâ prædium ſuum venum dederat, ſperánſque fraudulentam ſuam diſſimulationem fore clàm.

3. *Cur tentavit* (Gr. *implevit*) *Satanas cor tuum?* Q. d. Quî potuiſti in animum inducere, ut inconſideratiſſimæ ac dementiſſimæ temeritati à Satana ſuggeſtæ locum in corde tuo permitteres? Implere cor Scripturæ phraſi eſt facere audacem, ut ex Eſther 7. v. 5. & Eccleſiaſtæ 8. v. 11. Ludovicus de Dieu demonſtravit. *Audacia*, inquit idem, *implet cor turgidúmque reddit fervidis ſpiritibus, qui extrorſum prorumpentes, membra exteriora, præſertim linguam & manus, ad quævis audenda impellunt, nihil enim metuit cor ſpiritibus plenum.* Idem hauc multo pòſt: *Duplex eſt plenitudo; una fidei, quâ cor Fidelium ſanctis ſpiritibus ex ſi miſſimis Dei promiſſionibus repletum, fidenter atque intrepidè quævis adverſa contemnit; altera audaciæ, quâ cor prophanorum temerariis ſpiritibus ex vana incolumitatis ſpe repletum, ſine metu mala audet. Eo in loco hîc erat Ananias, cujus cor Diabolus temerariis iſtis audaci-*

æ

cia spiritibus ita repleverat, ut fidenter admodum & sine metu vel Spiritui sancto mentiri auderet.

Mentiri te Spiritui-sancto. Id est, ut fallere conareris Spiritum-sanctum, sive, ut doctissimus Johannes Piscator explicat, *nos Apostolos, in quibus agit Spiritus, & quibus revelat quæ opus est ad ædificationem Ecclesiæ. Metonymia adjuncti.* Sic & Grotius, *Mentiri*, ait, *Deo aut Spiritui-Sancto dicitur is, qui sperat se Apostolos fallere posse Spiritu-sancto instructos.*

Et fraudare de pretio agri. Hoc est, & partem de pretio possessionis à te venditæ deponens ad pedes Apostolorum, interim præ te ferres, te deponere totum, existimans hypocrisin tuam latere posse, nec quicquam Apostolos, licèt in festo Pentecostes Spiritu-sancto repletos, fraudis subesse deprehensuros.

4. *Nonne manens*, &c. Q. d. Nunquid erat in potestate tua vel prædium non vendere, vel venditi pretium totum aut ex parte retinere? Quid igitur te impulit, ut Satanæ suasionibus obsequi velles, atque partem pretii clàm surripiens ac seponens, partémque deponens, hypocrisi & mendacio te totum ad pedes Apostolorum deponere simulares? Ne existimes fraudulentà hypocrisi tuà nos homines tantùm ludificatos, cùm ludificatio ista perinde in Spiritus-sancti contumeliam cedat, ac si ipsum Spiritum-sanctum qui Deus est, fraude tuà ludificari voluisses, cùm nos Spiritus-sancti afflatu arcana cordium deregamus. Similiter Paulus cùm dixisset quæ præcepta Thessalonicensibus dederit per Domi um Jesum, & quà conditione illos vocârit Deus, addit 1 Thes. 4. v. 8. *Itaque qui hæc spernit, non hominem spernit, sed Deum, qui etiam dedit Spiritum suum sanctum in nobis.* Q. d. Ut pote qui Spiritum suum sanctum nobis dedit, quo nos regi, & cujus impulsu nos loqui conspicuum est. *Opponuntur ergo homines Spiritui-sancto, opponuntur etiam Deo, adeóque Spiritus-sanctus est Deus. Cui enim primariò mentitus fuit Ananias, sive quem primariò conatus est fallere Ananias, ille est Deus, v. 4. Atqui Spiritus-sanctus est is, quem primariò voluit fallere Ananias, sive cui mentitus est, v. 3. sequitur ergo Spiritum-sanctum esse Deum*, inquit doctissimus Christophorus Wittichius in erudito libro suo inscripto, *Causa Spiritus-sancti.*

Non es mentitus hominibus, sed Deo. Hoc est, non homines tantùm ludificari conatus es, sed & cum primis Spiritum-sanctum, qui Deus est, nobisque ignota revelat. Similes locutiones vide Exod. 16. v. 8. 1 Sam. 8. v. 7. Luc. 10. v. 16. & 1 Thes. 4. v. 8.

5. *Audiens autem Ananias hæc verba.* Nec valens eorum sustinere acrimoniam, ut optimè advertit Origenes Tract. 8. in Mat.

Cecidit & expiravit. Ananias & Sapphira ad Petri pedes mortui ceciderunt, quia Apostolis Spiritu-sancto afflatis illudentes,

tes, ipsi Spiritui-sancto seu Deo illuserant. Sic Num. 16. Core, Dathan & Abiron à terra absorpti sunt, quia in Mosen insurrexerant. Et 4 Reg. 2. è pueris illis, qui Elisæum non tam ut calvum, quàm ut Prophetam Dei veri sannis exceperant, quadraginta duos ursæ duæ ex sylva egressæ dilaceraverunt. Et infrà cap. 13. v. 11. Elymas Paulo obsistens cœcitate percussus est. An verò Ananias & Sapphira ad supplicium æternum fuerint justo Dei judicio damnati, Scripturâ penitùs tacente, definire non possumus. Affirmant Tertullianus & Ambrosius; negant Origenes & alii quidam patres. At nos piam judicamus ignorantiam, velle nescire quod Deus noluit revelare.

Et factus est timor, &c. Q. d. Et quotquot audierunt hypocrisin & mendacium Ananiæ subitâ morte Deum animadvertisse, eos omnes magna divini numinis reverentia incessit, ut animadversa flagitia sibi maximoperè caverent.

6. *Surgentes autem juvenes.* Supple, *vegetis corporibus*, ut loquitur Apuleius.

Amoverunt eum. Gr. συνέστειλαν αὐτὸν *eum contraxerunt.* Nempe, ut ait Cl. Lightfoot, *non habentes* בתריכין, *vestimenta sepulchralia in promtu, mortuum contrahunt eo, quo possunt modo, atque è loco isto elatum terræ mandant.*

7. *Uxor ipsius nesciens quod factum fuerat.* Hinc colligit Lightfoot cur versu mox præcedenti vox συνέστειλαν usurpetur. *Si enim*, inquit, *ad defuncti domum aut hospitium se contulerant illi, qui eum extulerunt è conclavi, ubi cecidit mortuus, petituri inde involucra sepulchralia, de re, quæ eventerat, non potuit ignorare ejus uxor; at συνέστειλαν αὐτὸν, collegerunt & colligarunt eum, sicut erat in vestimentis ejus, & sic elatum tumularunt.*

Introivit. Nimirùm in locum illum, ubi Petrus aliique Fideles erant congregati.

8. *Si tanti agrum vendidistis?* Q. d. Nunquid non pluris prædium vestrum vendidistis, quàm donatâ nobis à marito tuo pecuniæ summâ?

Etiam tanti. Hoc est, non pluris.

9. *Quid*, &c. Q. d. Quorsum fraudem composuistis, ac si explorare velletis utrum Spiritus-sanctus in nobis habitans, quique per nos regit Ecclesiam, esset omnium cognitor? Tentari Deum Scriptura dicit, quoties malâ conscientiâ fit aliquid; tunc enim etsi non consilio atque intentione, vi tamen facti videtur quasi de industria periculum fieri an Deus sit justus, omniáque sciens ac potens.

Ecce, &c. His verbis Apostolus Petrus Sapphiræ mortem non imprecatur, uti calumniatur Porphyrius, sed Dei judicium prophetiæ dono prænuntiat.

10 *Con-*

10. *Confestim cecidit.* Ut nempe ejus & mariti ipsius præsens vindicta esset doctrina multorum.

Ad virum. Id est, juxta virum.

11. *Et factus est*, &c. Q. d. Et summa Dei reverentia incessit totam Ecclesiam, universósque qui præsentem hanc Ananiæ & Sapphiræ vindictam famâ & auditione acceperunt. Vide suprà v. 5.

12. *Per manus autem Apostolorum.* Hebraismus Scripturæ familiaris, id est, per Apostolos, vel Apostolorum operâ ac ministerio interveniente.

In plebe Id est, publicè ac palàm, ipso populo præsente ac spectante, & in multis ex populo, ut alii ad fidem allicerentur, alii in fide confirmarentur.

Et erant, &c. Hæc parenthesi includenda sunt usque ad versum decimum quintum, ubi quod mox dictum est de miraculis Apostolorum ministerio patratis continuatur.

Unanimiter. Hoc est, *fraternâ unanimitate*, ut loquitur Livius.

Omnes. Nimirùm qui Ecclesiæ erant ascripti.

In porticu Salomonis. De qua suprà cap. 3. v. 11.

13. *Cæterorum autem.* Qui nempe Apostolos audiebant concionantes, necdum tamen fidem Christi erant amplexi.

Nemo audebat se conjungere illis. Gr. κολλᾶσθαι αὐτοῖς, *ipsis se agglutinare.* Q. d. Nemo horum auditorum cum Apostolis familiariùs conversari est ausus, ob recentem adhuc ex prodigioso Ananiæ & Sapphiræ interitu metum.

Sed magnificabat eos populus. Q. d. Id tamen progressui Evangelii non obstitit; sed enim Apostolos plebs majori in pretio habebat.

14. *Magis*, &c. Q. d. Quin & plures ex utrovis sexu magis magísque addebantur credentium numero, quamvis additorum nemo id temporis præ metu ad arctam Apostolorum familiaritatem sese applicare auderet.

15. *Ejicerent.* Id est, exportarent.

In lectulis ac grabbatis. Grabbatos notum est fuisse lectulos, in quibus meridiari solebant veteres; Quia verò facilior erat grabbatorum exportatio, in iis ægroti locabantur, dum in publicum erant apportandi, ut miraculo sanitatem reciperent.

Ut veniente Petro. Qui licèt non majori ceteris Apostolis miraculorum dono esset donatus, factus tamen erat reliquis notior, quòd actitare & loqui visus esset, cùm alii silerent, nihilque agere viderentur.

Saltem umbra, &c. Baronius A. D. 34. num. 275. *Quid*, inquit, *umbra Petri, nisi imago expressa corporis Petri? Certè quidem non aliunde, quàm ex ejusmodi imaginibus umbrâ formatis pictu-*

ram

ram duxisse originem ferunt. Ut ex his videas, imaginum pium cultum in umbra Petri à Deo primitùs in priori illa Ecclesia tot tantisque miraculis divinitùs esse consecratum. Sed umbratilis hæc Baronii ratiocinatio evanescit statim atque observamus ipsam Petri umbram nusquam legi cultam ab iis, quos ipsius contactu Petrus incolumitati restituebat. *Est perversum & incongruens, ut simulachrum hominis à simulachro Dei colatur: colit enim quod est deterius & imbecillius,* inquit egregiè Lactantius lib. 2. divinarum institutionum cap. 18. S. Agobardus Lugdunensis Episcopus initio libri de imaginibus. *Si,* inquit, *opera manuum Dei non sunt adoranda & colenda, nec in honore Dei, quantò magis operamanuum hominum non sunt adoranda & colenda, nec in honore eorum, quorum similitudines esse dicuntur.*

Et liberarentur omnes ab infirmitatibus suis. Hæc absunt à vulgatis Græcis codicibus, nec Syrus interpres ea legit.

16. *Multitudo vicinarum civitatum Jerusalem.* Hoc est, frequens populus ex urbibus Hierosolymæ circumjacentibus.

Vexatos à Spiritibus immundis. Hoc est, obsessos, mirísque modis excarnificatos à cacodæmonibus.

17. *Exurgens autem Princeps Sacerdotum.* Q. d. Exiens autem è Synedrio ejusdem Synedrii Princeps, ut videret quid ageretur.

Et omnes qui cum illo erant. Id est, & reliqui qui eidem cum Synedrii Principe in religione sectæ erant addicti.

Quæ est hæresis Sadducæorum. Id est, qui Sadducæorum placitis adhærebant. Αἵρεσις ut & Latinè *secta* vox est media. Penes Sadducæos tunc rerum summa erat potestas. Vide quæ de eorum in religione dogmatis adnotavimus ad Mat. 3. v. 7.

Repleti sunt zelo. Hoc est, effrænato, præcipitíque furore perciti sunt, quòd Apostoli Resurrectionem Christi ex mortuis populo annunciantes, velut jugulum hæreseos ipsorum peterent. Existimabant igitur Sadducæi se suæ causæ quàm optimè consulturos, si Apostolos eorúmque doctrinam vi opprimerent, ne ita eorum autoritas vilesceret & hæresis tota exolesceret, populo doctrinam Apostolorum amplectente.

18. *Et injecerunt manus in Apostolos.* Id est, comprehenderunt.

20. *Stantes loquimini in Templo.* Id est, constanter & liberè in publico ac celeberrimo Urbis loco prædicate toti populi turbæ omnibúsque promiscué.

Verba vitæ hujus. Quam videlicet Christus à morte iteravit. *Non opus est,* inquit Lightfoot, *ut difficultatem cuiquam hæc verba pariant, si observet illa in v.* 17. Quæ est hæresis Sadducæorum. *Nam* verba vitæ hujus, *sunt verba, quæ astruant hanc vitam (Resurrectionem scilicet) quam Sudducæi negant, De Resurrectione enim Jesu erat controversia.* Heinsius putat in his verbis esse He-Hebraismum. τὸ חיה, inquit, *inter cetera conventum notat sive*

cætum.

cœtum. Agi autem hîc de omnibus Apostolis, aut plerisque, aut certè de conventibus eorum, è superioribus patebit. Notum illud Ps. 74. Cœtum pauperum tuorum ne oblivioni tradas. *Et præcessit,* Ne tradas cœtui animam turturis tui. *Ubi bis* τὸ חיה *habes; quod non uno modo variis in locis expresserunt Hellenistæ. Vocem si spectes,* ζωὴν *denotat, Ps.* 68. cœtus tuus habitant in ea: *ad verbum* ἡ ζωή σου, cœtus tuorum *aut* conventus. *Verba igitur* τῆς ζωῆς ταυτῆς, *quæ in cœtu vestro habentur; verba congregationis vestræ, vel conversationis:* τὰ λόγια τῆς ὁμιλίας ταυτῆς, *Græci dicerent. Nam alia sunt* λόγια ζῶντα *quæ Moses accepisse dicitur infra cap.* 7. *v.* 38.

21. *Qui cùm audîssent.* Mandatum divinum sibi Angeli ministerio traditum.

Convocaverunt Concilium. Id est, Senatum populi, seu magnum Synedrium.

Et omnes Seniores filiorum Israel. Id est, & universum Senatum urbis Hierosolymitanæ. Vide dicta suprà cap. 4. v. 5. Idem est γερουσία *Senatus* & זקנים *Senes* seu *Seniores.* Et Hesychius disertè γερουσίαν & πρεσβυτέριον unum & idem facit.

24. *Ut autem audierunt hos sermones.* Ministrorum videlicet, quos ad Apostolos ex carcere educendos ablegarant.

Magistratus Templi. Gr. ὁ τε ἱερεὺς, καὶ ὁ στρατηγὸς τοῦ ἱεροῦ, *& Sacerdos,* id est, Synedrii Princeps, *& Magistratus Templi.* Vide adnotata suprà cap. 4. v. 1 & 6.

Principes Sacerdotum. Id est, Sacerdotalium familiarum. Vide explicationem nostram literalem Mat. 2. v. 4.

Quidnam fieret. Id est, quorsum res evasura esset vel, quid hoc sibi vellet.

Adduxit illos sine vi. Id est, non adhibitâ violentiâ, quâ facinorosi coram judicio comparere nolentes adduci solent, sed eâ ratione, quâ interdum etiam viri honesti in judicium vocantur.

Timebant enim. Magistratus & ministri illius.

Populum. Qui nimirùm Apostolos ob tam multa támque egregia miracula, totidémque beneficia iis, quos sanarant, exhibita, & ob singularem vitæ innocentiam magni faciebat.

Ne lapidarentur. A populo indignè ferente viris tam sanctis, támque divinâ virtute præditis violentas manus inferri.

28. *Præcipiendo præcepimus.* Id est, severissimè additísque minis gravissimis interdiximus.

Ne doceretis in nomine isto. Id est, autoritate Jesu Nazareni, quem præ odio, quo ipsum prosequebatur Synedrii Princeps, & contemtu ne nominare quidem vult.

Et ecce. Minis omnibus posthabitis.

Et vultis, &c. Q. d. Quin & nomen nostrum maculare vultis crimine impiæ cædis, quasi injustè istum Jesum Nazarenum

num ſupplicio crucis addixerimus. *Sanguis*, inquit Grotius, *Hebræis cædes, & crimen cædis, & pœna cædis.*

29. *Et Apoſtoli.* Ceteri ſcilicet, qui cum Petro ut ejus ſocii idem loquebantur.

Obedire &c. Congruit huic ſententiæ decretum illud Platonis in Phædro: *Nulli hominum fas eſt diſcedere ab eo munere, quod ei Deus imperavit.* Ex eo verò quod dicitur Deo magis obediendum eſſe, quàm hominibus, bene infert Lorinus, hominibus obediendum eſſe, quando Deo non repugnant, à quo imperandi autoritatem receperunt. Unde appoſitè Bernardus lib. de præcep. & diſpenſ. cap. 12. *Sive Deus, ſive homo vicarius Dei, mandatum quodcunque tradiderit, pari profectò obſequendum eſt curâ, pari reverentiâ deferendum: ubi tamen Deo contraria non præcipit homo.* Vide quæ adnotavimus ſuprà cap. 4. v. 19.

Magis, Id eſt, potius.

30. *Deus patrum noſtrorum.* Id eſt, Deus qui cum patribus noſtris fœdus ſuum pepigerat.

Suſcitavit Jeſum. Paſſim occurrit hæc locutio, ſuſcitatos fuiſſe à Deo Prophetas, Judices, vel alios miniſtros, quibus ad magnum aliquod opus uti decrevit: *quod tantundem valet*, inquit Calvinus, *atque imbecillam eſſe quamlibet naturæ præſtantiam, niſi peculiaribus donis eos Deus inſtruat, quibus eximium aliquod vel præclarum munus injungit. Fortè etiam alludunt ad celebrem illum Moſis locum Deut. 18. v. 15. quam in prima ſua concione citavit Petrus ſuprà, cap. 3. v. 22.*

Quem vos interemiſtis ſuſpendentes in ligno. Id eſt, ignominioſæ in cruce morti addixiſtis. Alluditur ad locum Deut. 21. v. 22 & 23.

31. *Hunc Principem & Salvatorem Deus exaltavit.* Ellipſis eſt hîc Præpoſitionis *in*, ut ſenſus ſit, hunc Chriſtum à vobis turpi ſuſpendio addictum Deus evexit in Principem & Servatorem, ſeu in ſummo honoris gradu collocavit, ut plenius & perfectius ſit dux vitæ nempe æternæ, & ſalutis. Vide ſuprà cap. 3. v. 15. Heb. 2. v. 10. 5. v. 9.

Dexterâ ſuâ. Hîc per dextram Dei metaphoricâ locutione potentiam & virtutem ejus magnificam eſſe intelligendam omnibus conſtat. *Si uſpiam enim illam à mundi creatione exeruit, certè in opere hoc exaltationis Chriſti. Unde Paulus meritò illam celebrat his verbis Epheſ. 1. v. 19 & 20.* Secundum operationem potentiæ virtutis ejus, quam operatus eſt in Chriſto, ſuſcitans illum à mortuis, & conſtituens ad dexteram ſuam in cœleſtibus. *Quid enim magnificentius concipi poteſt, quàm hominem naturæ reliquis ſimilem & iiſdem infirmitatibus obnoxium, excepto tantùm peccato, immortalitate donatum ſupra omnes cœlos attollere, & omnia pedibus ejus ſubjicere, tam quæ in cœlis ſunt, quàm quæ in terra, ut ea pro*

arbitrio suo regat & administret? Hæc enim cuncta sub Ascensionis Christi & exaltatione in cœlum comprehendenda esse circumstantiæ evincunt, non tantùm evectionem in cœlum, qualis fuit olim ante Legem Enochi, & sub Lege Eliæ, morte non præcedente, & nullo in imperio attributo. Hæc enim etsi fuerint Ascensionis Christi, sicut & nostræ, præludia & figuræ, immensum tamen ab ea distant. Curcell. Institut. lib. 5. cap. 15. Num. 16.

Addandam, &c. Q. d. Ut ex misericordia singulari populum suum ad pœnitentiam adducat, & remissione peccatorum, quæ pœnitentiam fide animatam sequitur, ipsi reconciliet. Præclarè pro more Calvinus: *Est quidem pœnitentia, voluntaria conversio. Sed unde hæc voluntas, nisi quia Deus cor nostrum mutat, ut ex lapideo fiat carneum: ex duro & præfracto flexibile: ac denique ex prævo rectum? Id autem fit, quum nos Christus suo spiritu regenerat. Nec verò hæc unius momenti donum est, sed quotidie tota vitâ augeri oportet, donec plenè adhæreamus Deo: quod tunc fiet demùm, ubi carnem nostram exuerimus. Est quidem hoc pœnitentiæ initium quum homo, qui prius à Deo aversus erat, sibi & mundo renuncians, novam vitam instituit. Sed quia viam ingressi, procul à meta distamus, assiduè progredi necesse est. Utrumque consequimur Christi beneficio. Nam sicut pœnitentiam in nobis incipit, ita & perseverantiam donat. Hæc quidem inæstimabilis est gratia: sed parùm prodesset nisi conjuncta cum peccatorum remissione. Nam & hostes Dei nos primùm invenit Christus, & semper hærent in nobis vitia, quæ dissidium inter nos & illum faciant: ut meritò nobis infensus sit magis, quàm propitius. In eo autem justitia consistit, si peccata nobis Deus non imputat. Ergo hæc posterior gratia à priori disjungi nunquam debet. Quin potiùs mutilum erit & corruptum Evangelium, nisi duobus his membris constet: hoc est, nisi doceantur homines gratuitâ justitiæ imputatione se Deo reconciliari per Christum, & regenerationis Spiritu refingi in novam vitam. Ita breviter tenemus, quomodo obtinenda sit in Christo salus.*

32. *Et nos sumus testes horum verborum.* Q. d. Jam verò ea quæ dixi, non decet nos ullâ ratione supprimere, cum testes eorum constituti simus, atque ita officii ratione nobis incumbat, ea divulgare palámque omnibus annunciare. Vide suprà cap. 1. v. 8. Luc. 24. v. 48. & Jo. 15. v. 27. *Verborum* nomine Petrus hîc intelligit ex usitata apud Hebræos loquendi consuetudine res ipsas, res nimirùm illas, de quibus jam antèà summatim dixerat, quæcunque nimirùm ad dignitatem munúsque Christi atque exinde pendentem hominum salutem spectant.

Et Spiritus, &c. Q. d. Neque verò nos tantùm Apostoli his de rebus testamur, verùm etiam ipse Spiritus-sanctus, testis omni exceptione major cui utut nobis fidem habere detrectetis, jure tenemini adstipulari. Digni quidem erant fide soli Apostoli ob vitæ innocentiam atque integritatem: verùm ne quid haberet, quod suæ infidelitati prætexere posset hominum

num contumacia, Deus huic teſtimonio majus quoddam, ſui nimirùm Spiritûs teſtimonium addere voluit, Hoc ipſum Spiritus-ſancti teſtimonium cum teſtimonio Apoſtolorum conjungitur Jo. 15. v. 26 & 27. Heb. 2. v. 3 & 4. Non eſt autem exiſtimandum Spiritum-ſanctum ſeparatim ab Apoſtolis teſtatum fuiſſe, ſed per Apoſtolos, nimirùm per eorum miracula, divinóſque ex illius afflatu profectos ſermones. Qualis afflatus etiam tum temporis ſeſe in Apoſtolis ſatis ſupérque exerebat, tanta cum animi præſentia de rebus tam ſublimibus diſſerentibus, & primorum vel autoritatem, vel minas haud quicquam verentibus. Simili ratione dicitur Apoc. 22. v. 17. *Et Spiritus & ſponſa dicunt, Veni.* Hoc eſt, ſponſa afflatu Spiritûs percita dicit, Veni.

Quem dedit Deus. Id eſt, cujus divini Spiritûs munera Deus largè & effuſè donavit.

Omnibus obedientibus ſibi. Gr. αὐτῷ, *ipſi*, ſcilicet Chriſto. Id eſt, omnibus in Chriſtum credentibus, & ad doctrinæ ejus præſcriptum vitam ſuam in poſterum componere nitentibus.

33. *Diſſecabantur.* Hoc eſt, furenter iraſcebantur. Gr. hîc & infrà cap. 7. v. 54. διεπρίοντο, id eſt, Heſychio interprete, ὠργίζοντο, ἐθυμοῦντο, *irà efferabantur, excandeſcebant.*

Et cogitabant interficere illos. Id eſt, conſilia inter ſe, præſentibus & animadvertentibus ipſis Apoſtolis, inibant de iiſdem interimendis.

34. *Phariſæus.* Phariſæorum ſecta erat in præcipua æſtimatione inter Judæos, & lenior in pœnis exigendis.

Gamaliel Legiſdoctor. Seu profeſſor publicus. De hoc aſſeſſore magni Synedrii ſic cl. Lightfoot: *Rabban Gamaliel primus diſtinctivè & vulgariter vocatus* רבן גמליאל הזקן, *Raban Gamaliel Senex. Erat ille Præſes Synedrii poſt patrem ſuum Rabban Simeonem filium Hillelis; præceptor Pauli, & receptor Traditionum triceſimus quintus. Atque ob hoc nominavi non immeritò poſſit* Νομοδιδάσκαλος, *ideo quòd cuſtos & traductor Cabalæ acceptæ è Sinai eſſet, niſi quòd & Rabbini inferioris ordinis eodem titulo gauderent. Obiit annis octodecim ante excidium Urbis, atque cathedram ejus occupavit R. Simeon filius ejus, qui periit cum Urbe.*

Honorabilis univerſæ plebi. Hoc eſt, in magno apud totum populum pretio.

Juſſit foràs ad breve homines fieri. Hoc eſt, juſſit Apoſtolos pauliſper ſecedere à Concilio, ne majorem ex ipſius verbis conciperent audaciam.

35. *Attendite,* &c. Q. d. Ne ita ſervidè agatis, quin potius ſedulò cavete ne quid ex præpropero zelo in hoc cum hominibus iſtis negotio faciatis, cujus vos poſteà pœniteat. Mihi quidem non fit veriſimile Gamalielem ſic locutum quòd

probaret Evangelii doctrinam, vel ejus patrocinium suscip vellet: sed quia alios omnes videt rabie accensos, vir humanus & moderatus medio sermone excessum illum temperat. *Interim*, inquit Capellus, *discipulus ejus Paulus mox acerbissimè sæviit in Ecclesiam Christi, eámque depopulatus est, & Maimonides* יד חזקה *p. 1. lib. 2. tract. de Oratione & benedictione Sacerdotum cap. 2. num. 1. Gamalieli tribuit factum ab hoc ejus consilio satis, uti videtur, alienum; dicit enim quod cùm videret multiplicari in diebus suis* מינים, *Hæreticos* (*Christianos autem hoc nomine intelligit, neque enim alii tum erant inter Judæos qui eo nomine censeri possent præter Christianos*) *composuisse formulam precationis, quâ à Deo exterminium Hæreticorum petebatur, quam precationem reliquis precum formulis in Liturgia Judaica tum temporis usurpatis, adjunxit, ut ea esset præstò in omnium ore. Hoc factum, si verum est, infensum in Christianos animum Christianæque religionis odium in eo homine arguere videtur, quod non satis quadrat cum hoc ejus consilio, quod à Luca hîc narratur. Nisi forte quis Lucam cum Maimonide hac ratione velit conciliare, ut dicat Gamalielis hanc fuisse mentem & animi sententiam, Apostolos, eorúmque sectatores, etsi hæreticos, & quidem pernicioſos, non vi tamen humana & consiliis prudentiæ humanæ esse opprimendos, sed Dei consilio, & providentiæ ejus arcanoreximini rem totam esse permittendam, à Deóque eorum exterminium esse expectandum, non humanis consiliis præcipitandum. Ideóque in hunc finem precationem illam composuisse, ceteri sque in Liturgia quotidiana adjunxisse, quâ à Deo hominum illorum, si modò impii & hæretici essent, exterminium petebatur, ut si à Deo non essent, ipse viâ & ratione convenientissimâ quàm Dei providentiæ & sapientiæ permittebant, conatus eorum dissiparet, everteréque. Ad Paulum autem Gamalielis discipulum acrem Ecclesiæ Christi persecutorem quod attinet, duo responderi possunt, nempe vel Gamalielem quidem ipsum initio fuisse eodem cum Paulo animo, in Apostolos, Apostolorúmque Sectatores, acri nimirum & infenso, sed tum mutavisse sententiam, Deo sic animum ejus flectente, quod non raro accidit; vel Paulum à Magistro suo dissensisse postea, quòd ingenio esset fervidiore, ac proinde animo infensiore, magisque hostili adversus eos, à quibus πατροπαράδοτον Judæorum religionem everti existimabat, cujus ipse erat maximus zelotes.*

36. *Ante hos enim dies extitit Theudas.* Gr. Θευδᾶς, *Theudas.* Est nomen non Græcum, sed Hebræum תורה, quod Syri enuntiant per diphthongum *Theuda*, quomodo Thomam *Thaumam* vocant & Iosephum *Jausephum*, utì Grotius adnotavit. *Lucas*, inquit Henricus Valesius ad Eusebii Hist. lib. 2. cap. 11. *seu potius Gamaliel apud Lucam diserte tenatur Theudam nuper admodum & his ipsis, quibus hæc loquebatur, diebus extitisse.* Ante hos enim dies extitit Theudas. Πρὸ γὰρ τουτῶν τῶν ἡμερῶν ἀνέστη Θευδᾶς. *Quæ verba rem nuper ac novissimè factam demonstrant. Sic enim*

enim loqui solent tam Græci quàm Latini de re adhuc recenti, ut plurimis exemplis probari potest. Ante hos igitur dies *idem valet ac his diebus: ut ante diem tertium Calendarum Latini & Græci dicunt pro eo quod est die tertio Calendarum. Quare cùm subjicit Lucas hæc verba,* post hunc extitit Judas, *his verbis nihil aliud significatur, quàm Theudà vetustiorem fuisse Judam Galilæum. Quæ quidem expositio licèt primà fronte durior videatur, tamen prorsus necessaria est, ac verissima, nec exemplis destituitur. Nam quoties ab ultimo, ut nobis propiore, numerare instituimus, tunc ex ultimo primus & ex primo ultimus fiat necesse est. Quam ob causam* retrò *fuisse dixit Tertullianus in Apologetico pro olim & anteà fuisse, &* retrosiorem *usurpat pro antiquiore. Et tamen* retrò *idem est Latinis quod pòst. Sed quoniam Casaubonus negat Græcos unquam ita locutos fuisse, producendus est testis omni exceptione major. Is est Clemens Alexandrinus, qui in lib. 7. Stromatum sub finem, eodem prorsus modo locutus est quo B. Lucas. Postquam enim observavit Hæreticos ferè omnes circa tempora Hadriani erupisse, & usque ad principatum Antonini Pii pervenisse, ut Basilidem & Valentinum, hæc subjungit:* Nam Marcion iisdem quidem temporibus vixit, quibus Basilides & Valentinus. Verùm tanquam senior cum illis adhuc junioribus est versatus. *Addit deinde,* μεθ' ὃν Σίμων ἐπ' ὀλίγον κηρύσσοντος τοῦ Πέτρου ὑπήκουσεν: post quem Simon prædicantem Petrum audivit aliquandiu. *Quis non videt in hoc Clementis loco* post quem *idem valere atque ante quem. Neque enim Simon Magus posterior fuit Marcione. Immò diu ante Marcionem vixit, ut inter omnes constat. Sed nimirùm Clemens cùm à propinquioribus incipiens, hæreticorum indicem texeret, primos numeravit, qui erant ultimi, & postremum omnium posuit Simonem, qui reverà erat omnium primus. Sed & Geographiæ scriptores, quoties terrarum situm & populorum nomina describunt, eodem loquuntur modo. Dicunt enim,* μετὰ τούτους εἰσὶν ἐκεῖνοι. *Quod idem valet ac supra hos siti sunt isti. Et hæc quidem adversus opinionem Casauboni, qui Theudam illam cujus in Actibus fit mentio Juda antiquiorem esse existimavit in exercitat. 2 cap. 18. Sed dicet fortasse quispiam; Ex iis quæ à nobis disputata sunt, abundè demonstratum videri, Theudam non fuisse antiquiorem Juda Galilæo: nihilo tamen minùs Theudam illum cujus meminit Lucas, distinguendum esse ab eo Theuda, cujus meminit Josephus Antiq. lib. 20. sub finem cap. 2. Prior enim Theudas, de quo loquitur Gamaliel in oratione illa quam habuit in Concilio Judæorum, circa tempus passionis Christi tumultum in Judæa concitavit. Alter verò, de quo loquitur Josephus, post mortem Agrippæ Regis Cuspio Fado Judæam administrante seditionem commovit, quarto circiter anno principatûs Claudii Augusti. Cùm ergo Gamaliel orationem illam habuerit paulò post Resurrectionem Christi, & ante martyrium B. Stephani, id est, circa extrema Tiberii tempora; de motu illo Theudæ qui regnante Claudio factus est, tunc*

om iinò loqui non potuit. Huic objectioni aliter occurrere non possumus, nisi Josephum hallucinatum esse dicamus, qui Theudæ tumultum tardiùs quàm debebat retulerit. Duos enim Theudas fuisse, qui se Prophetas esse mentiti, alter post alterum Judæos ad spem rerum novarum concitaverint, nunquam adduci possum ut credam. Conferantur Lucæ ac Josephi loca, in quibus uterque illorum de Totuda locutus est: & utrum eundémque Theudam ab illis esse memoratum manifestissimè deprehendemus. Certè in utriusque narratione cuncta ad amussim ita conveniunt, ut Josephus Lucam interpretatus esse videatur. Unum discrimen est in tempore: quod tamen tanti momenti non est, ut idcirco duos Theudas comminisci debeamus. Nam quotiescunque hujusmodi narrationis discrepantia apud veteres scriptores occurrit, si ob hanc causam statim negotia ac personas distinguere necesse est, cavendum nobis erit ne ex uno eódemque homine duos inconsultè faciamus. Quantò satius est, ubi duos scriptores inter se dissentire viderimus, alterum illorum falli affirmare. Quod cùm de sacris literis nefas sit dicere, in Josephum culpa omnis conferenda est. Lightfoot in horis Hebraicis, *Concede tantùm*, ait, *Josephum hîc errare in computatione temporum, & tollitur omnis difficultas. Et non video quidem ego, quâ ratione tam reverentiam & modestiam debeamus Josepho, ut tanto sudore famæ ejus consulamus. Inveniendus est alter Theudas, vel mutanda est punctatio commatum, vel nescio quid aliud absurdi emplastri applicandum potiùs, quàm Josephus postulandus falsi, cui tamen & in historia, & in chronologia titubare & vagari non insuetum. Autumavim igitur ego Theudam Josephi esse Theudam Gamalielis, sed Josephum circa tempora erasse, & historiam veram decoloraſſe chronologiâ falsâ.*

Dicensse esse aliquem. Hoc est, jactitans se esse magnum quendam & eximium populi Judaici vindicem à servitute, quâ à Romanis opprimebantur. Hanc historiam sic refert Josephus 20 Antiq. 2. & ex eo Eusebius 2 Hist. 11. Cuspio Fado Judæam procurante, prætigiator quidam nomine Theudas, collectâ ingenti hominum multitudine, persuasit illis ut asportatis opibus ducem se ad Jordanem usque fluvium sequerentur. Quippe se Prophetam esse aiebat, diremtísque imperio suo aquis fluminis, facilem se transitum ipsis præstiturum. Hujusmodi sermonibus plurimos decepit. Sed Fadus vesaniam illorum brevi compressit, immissis adversus eos equitum turmis: qui ex improviso illos adorti, partim occiderunt, partim vivos comprehenderunt. Ipse etiam Theudas ab iisdem captus est, cujus caput præcisum Hierosolymam reportarunt.

Et redacti ad nihilum. Id est, omnes illorum conatus evanuere.

37. *Post hunc.* Hæc verba idem valent hîc atque ante hunc, uti versu mox præcedenti ex Valesii ad Eusebium notis comprobavimus.

Ex-

Extitit Judas Galilæus De hoc hic Josephus 18 Antiq. 1. & ex eo Eusebius 1 Hist. 5. Judas Gaulanites ortus ex oppido Gamala, Saddoco quodam Pharisæo in societatem adjuncto, populum ad defectionem concitabat. Cùm ambo dicerent censum nihil aliud esse quàm manifestum servitutis indicium, & universam gentem ad defensionem libertatis cohortarentur. Idem 2 Belli Judaici 7. Eà tempestate quidam Galilæus nomine Judas ad defectionem incolas excitabat, palàm exprobrans quòd Romanis tributum pendere sustinerent. & post Deum mortales dominos agnoscerent. Idem eundem Judam Gaulanitem vocat Galilæum 18 Antiq. 2. fortè quòd vulgò sic crederetur, quia tumultus suos in Galilæa potissimùm excitaverat, etsi Gaulan & Gamala non ad Galilæam. sed ad Peræam, seu Trans-Jordanicam regionem pertinerent.

In diebus professionis. Id est, agente Judææ censum Publio Sulpicio Quirinio, seu Cyrenio. *Scaliger*, inquit mox laudatus Valesius, *in lib. 6. de emendatione temporum & in animadversionibus Eusebianis ait Lucam hic non de prima professione loqui, sub qua natus est Christus, sed de secunda, quæ facta est post relegationem Archelai: & Eusebium graviter reprehendit, qui has duas professiones inter se confuderit. Sed Scaliger ipse gravissimè fallitur, qui nullo autore fultus, duas descriptiones nobis obtrusit, cùm unam tantùm fuisse & Josephus & Lucas ipse confirmet. Non enim ait Lucas τῆς δευτέρας ἀπογραφῆς, sed tantùm dixit τῆς ἀπογραφῆς, unicam fuisse innuens descriptionem. Origenes quoque in lib. 1. contra Celsum cum Eusebio consentit his verbis, ᾗ μετ' ἐκεῖνον, ἐν ταῖς τῆς ἀπογραφῆς ἡμέραις, ὅτε ἔοικε γεγεννῆσθαι ὁ Ἰησοῦς, Ἰούδας τὶς Γαλιλαῖος πολλὸς ἑαυτῷ συνεπέσπασεν ἀπὸ τοῦ λαοῦ.* Post illum, in diebus censûs, quo tempore Jesus natus est, Judas quidam Galilæus fecit multos è populo ad se deficere. *Eòdem igitur operâ Origenem reprehendet Scaliger, quippe qui eadem dixerit quæ Eusebius. Neque enim Origenes duas Judææ descriptiones distinxit. Porrò Eusebius secum ipse optimè consentit. Nam cùm Evangelicam secutus autoritatem, censum illum Quirinii in exordia Natalis Dominici conjecerit, consequens fuit ut motum Jud. Galilei in idem tempus conferret. In quo dissentit quidem à Josepho, sed cum B. Luca, & secum ipse egregiè concordat. Quod siquis nostram sententiam amplecti malverit, nulla inter Lucam ac Josephum reperietur dissensio. Nos enim descriptionem illam cujus tempore natus est Christus, cæptam esse dicimus Herode in Judæa regnante; tandem verò decem circiter post annis, Archelao Herodis filio in exilium misso, à Quirinio absolutam ac terminatam fuisse. Quo quidem tempore tumultum Judæ Galilei extitisse asserimus, post relegationem scilicet Archelai. Certè ante exautorationem Archelai nulla subesse potuit causa, cur Judas populum Judæorum ad defectionem concitaret. Siquidem nec census illic agi potuit à magistratu*

Romano, ubi Rex imperabat socius & amicus populi Romani; nec ullum imminebat Judæis periculum ne alienigenis servirent, cùm Judæo id est, gentis suæ Regi parerent. Ex quo apparet & censum & motum Judæ Galilæi nonnisi post exilium Archelai contigere potuisse. Hæc Valesius ad Euseb Hist. lib. 1. cap. 5. Idem inibi paulò antè: *Josephus quidem mentionem facit descriptionis illius quæ à Quirinio facta est in Syria ac Judæa statim post relegationem Archelai. Sed hujus descriptionis quam Lucas Evangelii sui cap. 2. v. 1 & 2. Herode adhuc regnante factam esse ait, non meminit. Ac mihi quidem videtur error in textum Lucæ irrepsisse in Quirinii nomine, & pro Quirinio restituendum esse nomen Sentii Saturnini. Hic enim præses fuit sub finem regni Herodis, teste Josepho. Certè Tertullianus lib. 4. adv. Marcion. cap. 19. census in Judæa actos scribit per Sentium Saturninum. Ex quo apparet Tertulliani tempore quosdam in Evangelio Lucæ pro Quirinio Saturninum legisse. Citerùm mirum est hanc primam descriptionem à Josepho prætermissam fuisse, qui tamen patriæ suæ historiam tantà diligentiâ prosecutus est, ut & præsides Syriæ omnes recensuerit. Nam & Sentium Saturninum commemorat, ejusque successorem Quintilium Varum. Hæc cùm intelligeret Eusebius, sic censuit: unam eandémque esse descriptionem, cujus Lucas & Josephus meminissent; sed Josephum falli qui eam descriptionem post relegationem Archelai contigisse scriberet. Itaque idem Eusebius in Chronico, tumultum illum Judæ Galilæi, qui descriptionem illam à Quirinio factam subsecutus est, sub ortum Christi & extrema Herodis tempora collocat. Neque enim adeo stupidus fuit Eusebius, ut non videret Lucam & Josephum in adsignando descriptionis tempore inter se dissentire. Quippe id patebat, etiam cæco. Sed in hac dissonantia ob Evangelii reverentiam Lucam sequi maluit, & Josepho fidem abrogavit. Quæ quidem sententia longè commodior est & expeditior, quàm illa Scaligeri, qui duas fuisse censet Judææ descriptiones; utramque à Quirinio factam. Sed in hac Scaligeri sententia multa occurrunt parùm verisimilia. Primò enim Quirinium bis missum fuisse oportet Legatum in Syriam, bis ad tandem rem, videlicet ad census agendos: primùm quidem circa ortum Christi; deinde vero decem circiter post annis, cùm relegatus fuisset Archelaus. Atqui non est probabile eundem hominem bis missum fuisse ad regendam Provinciam. Certè Josephus diligentissimus Scriptor, cùm Quirinii adventum in Syriam ac Judæam narrat, tum jam antea in Syriam venisse non dicit, nec descriptionem aut ab illo, aut ab alio quopiam Romano Judice jam antea factam fuisse. Quod si jam facta fuerat descriptio, cur iterum fit per eundem virum? Nam si rectè & sine fraude facta fuerat, novam facere nihil necesse erat. Sin malè & iniquè facta, alium mitti oportebat, qui æquiorem faceret descriptionem. Præterea, prior illa descriptio quomodo fieri potuit à Magistratu Romano, regnante Herode; cùm Herodes optimo jure rex esset Judææ*

a Se-

à Senatu appellatus, nec jus esset Magistratui Romano quicquid in Judæa pro imperio agere, quamdiu Rex Herodes vixit? Mitto quod circa extrema illa Herodis tempora quibus natus est Christus, Saturninus & Varus Legati Cæsaris in Syria fuerunt, non autem Quirinius. Hæc sunt argumenta quibus potissimùm impulsus, Scaligeri sententiam minùs probabilem duco, qui duas descriptiones fuisse contendit. Nec obstat quod ait Lucas, descriptionem quæ facta est paulò antequam Christus nasceretur, primam fuisse. Hoc enim vocabulo id tantùm significatur, tunc primùm in Judæa census a Romanis actos fuisse, nec ullam anteà factam descriptionem. Falsum item est quod ait Scaliger, posteriorem descriptionem ad Tetrarchiam Archelai, & ejus bona duntaxat pertinuisse. Immo Josephus in fine lib. 17. & initio 18. disertè scribit Quirinium à Cæsare missum ad census agendos per Syriam ac Judæam. Scaligeri sententiam secutus est Petavius, cui hoc unum adjecit in Rationario Temporum; utramque hanc descriptionem a Quirinio cum extraordinaria potestate in Syriam misso factam esse. Verum Lucæ ac Josephi verba id refellunt. Nam Lucas quidem ait ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίου: Et Josephus habet, δικαιοδότης τοῦ ἔθνες ἐσόμενος, quod non nisi de ordinario rectore dici potest. Eandem viam in conciliandis Lucæ ac Josephi locis secutus est Casaubonus in Exercitationibus. Sed omnes, meo quidem judicio, oleum atque operam perdiderunt. Nam ex duobus alterutrum falli necesse est. Quod cum de Evangelista dicere nefas sit, satius est in Judaicum scriptorem causam erroris conjicere. Quod sicui durius videbitur una hæc restat conciliandi ratio, quam suprà indicavimus, ut in textu Lucæ pro Quirinio Saturninum restituamus, ejusque tempore descriptionem non à Magistratu Romano, sed ab ipso Herode Rege factam esse dicamus. Hac ratione optimè inter se consentient Lucas ac Josephus. Posset etiam dici, descriptionem illam absolutam quidem ac terminatam fuisse sub Quirinio Præside post exilium Archelai; diu tamen anteà cœptam esse sub finem Herodis, quo tempore natus est Christus. Hac ratione omnis inter Lucam ac Josephum dissensio tollitur. Nam Evangelista descriptionem illam, quæ sub ortum Christi superstite adhuc Herode, fieri cœpta est, vocat descriptionem Præsidis Quirinii, eò quòd sub Quirinio tandem terminata est. Hæc, meo quidem judicio, commodissima est interpretatio loci illius ex Evangelio Lucæ, quippe quæ unam duntaxat descriptionem factam fuisse supponit, non autem duas, ut Scaliger, aliique ejus opinionem secuti, contra fidem historiæ confinxerunt. Hactenus Doctiss. Valesius.

Avertit populum. Gr. additur ἱκανὸν, multum. Id est, fecit multos è populo deficere à Romanis.

Post se. Id est, ad se.

Et ipse periit, &c. Q. d. Origene lib. 1. contra Celsum interprete, Qui ubi & ipse pœnas luit, doctrina quoque ejus è medio sublata est, exceptis parvis reliquiis.

38. *Et*

38. *Et nunc discedite ab hominibus istis.* Id est, Nunc ergo Nihil vobis sit negotii cum hominibus istis, ut Mat. 27. v. 19.

Et sinite illos. His verbis jungendum est hoc membrum versûs mox sequentis, ne fortè & Deo repugnare videamini, seu ut textus Græcus, & alia ipsius vulgatæ editionis exemplaria legunt, inveniamini.

Quoniam, &c. Hæc Parenthesi includenda sunt usque ad ista versus mox sequentis, ne fortè & Deo repugnare videamini, seu potiùs comperiamini, quæ, ut mox diximus his verbis, *Sinite illos*, secundùm Syntaxin jungenda sunt.

Ex hominibus. Id est, ex humano figmento.

Dissolvetur. Hoc est, minùs firmum est, quàm ut consistat.

39. *Non poteritis illud dissolvere.* Id est, frustrà conamini illud dissolvere siquidem quod ex Deo est, etiam toto mundo inviro, stare necesse est. Porro Gamalielis consilium summis laudibus extollit Bullingerus in commentariis in hunc locum. At ii Calvino credimus, *Gamaliel ex veris principiis perversam consequentiam deducit: quia quod fidei tantùm servire debet, ad externum officium & agendi rationem perperàm accommodat. Atque ita non omnem modo pessundat politicum ordinem, sed Ecclesiæ quoque disciplinam enervat.* Calvino ita respondet Castellio in Vaticano: *Cum de Religione ageretur, quæ tamen controversa tunc erat, & non de facinore aliquo in Lege disertis verbis prohibito, Gamaliel non potuisset, etiamsi Christianus fuisset, Judæis dare consilium melius. Primùm, ratio est vera, si à Deo non est, sponte pessum ibit, qualis est ista Christi,* Omnis planta, quam meus Pater cœlestis non plantavit extirpabitur: Sinite eos, *&c. Mat.* 13 *&* 15. *Item David, qui Saulem interficere cùm posset, nolebat. Item exempla quæ adducit Gamaliel vera sunt. Jam quod metuebat Gamaliel, ne cum Deo pugnarent, id illis posteà accidit. Quod si Gamalielis consilium semper secuti fuissent, nunquam cum Deo pugnassent.* Et paulò post: *Quod autem dicit Calvinus, Gamalielis dictum esse ejusmodi ut pessumdet omnem politicum ordinem, & Ecclesiæ disciplinam enervet, non verè dicit. nam nec Apostolorum disciplina fuit enervis, quæ tamen carnit hu Calvini nervis. & ordo politicus manet in peccatis certis & controversiâ carentibus. In Lege Mosis de facilioribus minoribúsque causis judicabant* LXX. *Seniores, difficiliorésque ad Mosen referebant, ipse super eis Deum consulebat. Sic etiam hodie fieri potest. De adulteriis, de homicidiis, de falsis testimoniis, & ceteris notis certísque criminibus judicari sine periculo potest: sed de hæreticis controversa res est (nam si controversa non esset, non magis de eis disputaretur, quàm de homicidiis) & ideo ad oraculum referenda. Quemadmodum igitur Moses tempus oraculi*

culi expectabat, neque tamen politicum ordinem interea pessumdabat, ita nobis tempus judicii Dei expectandum est, quod erit certum super hisce controversiis oraculum. Interea nihil minus utetur Deus suorum ministerio in rebus non controversis. Hæc Castellio, quibus certè consentanea sunt aurea ista verba concionis habitæ coram Angliæ proceribus Nonis Novembris anni M. DC. LXXX.

Of Societies of Men, Christians, of all other, are most averse from ways of violence and blood; especially from using any such ways upon the account of Religion: and among Christian Churches where they differ among themselves, if either of them use those ways upon the account of Religion, they give a strong presumption against themselves that they are not truly Christians: *Christiani præ ceteris omnibus hominum societatibus à vi & manibus cuipiam inferendis semper abhorrent, maximè verò ab iis viis religionis ergò tentandis; & ubi Christianorum Ecclesiæ inter se dissentiunt, siquæ ob dissidium & dissensionem in religione violentiæ impetu utuntur, fit verisimillimum ipsas neutiquam esse syncerè Christianas,* infit admodum reverendus Episcopus Asaphensis Gulielmus LLoyd, homo ingenio præstanti & eruditione perfectâ, magnus pietate & beneficentiâ, cui me magna debere beneficia profiteor, & quoad vixero profitebor. *Non incessimus,* inquit Gregorius Nazienzenus Orat. 32. *adversarios contumeliis sicut plerique faciunt, rationum & argumentorum infirmitatem maledictis obtegentes, non aliter ac sepias atramentum ante se vomere aiunt, ut piscatores effugiant. Verum nos pro Christo bellum gerere, hoc argumento palàm facimus, quòd secundùm Christum qui mitis & pacatus est, dimicamus.* Salvianus Massilienſis Presbyter lib. 5. de Providentia loquens de Arrianis, quorum hæresim omnis orthodoxus detestatur, *Hæretici sunt,* inquit, *sed nescientes. Apud nos sunt hæretici, apud se non sunt. Nam in tantum se Catholicos esse judicant, ut nos ipsos titulo hæreticæ pravitatis infament. Quod ergo illi nobis sunt, hoc nos illis. Veritas apud nos est: sed illi apud se esse præsumunt. Honor Dei apud nos est, sed illi hoc arbitrantur honorem divinitatis esse quod credunt. Impii sunt, sed hoc putant veram esse pietatem. Errant ergo, sed bono animo errant, non odio sed affectu Dei, honorare se Dominum*

minum atque amare credentes. Quamvis non habeant rectam fidem, illi tamen hoc perfectam Dei æstimant charitatem, & qualiter pro hac ipso falso opinionis errore in die judicii puniendi sunt, nemo potest scire nisi Judex. Interim, idcirco eis, ut reor, patientiam Deus commodat, quia videt eos etsi non recte credere, affectu tamen piæ opinionis errare.

Consenserunt autem illi. Nempe ne Apostolos interimerent, non autem ut intactos dimitterent. Quod tamen æquum fuerat & consentaneum iis quæ dixerat Gamaliel.

40. *Et convocantes*, &c. Q. d. Quum Apostolos, quos nimirùm anteà secedere aut abduci è Concilio jusserant, advocassent, ne videretur concilium coactum adversus immerentes, nullíque crimini obnoxios, multarunt eos pœna judiciali quadraginta plagarum indictâ Deut. 25. v. 2 & 3. quæ & inobsequentibus irrogabatur, & vulgò ab Hebræis vocatur מלקות, *percussio.* Judæi Romanorum permissu in Judæa & quibusdam locis vicinis jus in suos animadvertendi ad verbera usque habebant.

Denuntiaverunt, &c. Q. d. Severissimè prohibuerunt ne deinceps Christi Evangelium prædicarent, aut quicquam ad quemquam, quod ad laudem Jesu Nazareni pertineret, dicerent.

41. *Et illi.* Apostoli videlicet à Synedrio dimissi post inusta sibi turpiter flagella, ut Christus prædixerat Mat. 10. v. 17. 21. v. 35. 23. v. 34. Mar. 12. v. 5. 13. v. 9. Luc. 12. v. 11. & memores præcepti ipsius Mat. 5. v. 11 & 12. Luc. 6. v. 22 & 23.

Ibant gaudentes à conspectu Concilii. Significatur his verbis Apostolos persecutiones istas, tantâ animi constantiâ pertulisse, ut de iis non modò non conquesti, verùm etiam vehementer lætati, sibíque ipsis gratulati fuerint. Religiosissimus, omníque insignioris doctrinæ laude conspicuus Johannes Sharp Doctor Theologus, atque Decanus Ecclesiæ Norvicensis, qui & propriâ, & amplissimi ornatissimíque viri Heneagii Finch, summi Angliæ Cancellarii τῦ μακαρίτε beneficentiâ ac liberalitate inopiam meam insignitè frequentérque sublevavit, in celeberrima concione habita coram Prætore & Senatoribus Londinensibus tertio Kalendas Octobris A. M. DC. LXXX. de viro justo ait perquàm eleganter & vere: **Let what will happen to him, he is full of peace and joy. For he hath met with no disappointment of his designs. His great aim was to please God; and his conscience from Gods Word assures him that he hath**

hath done it; and he hath nothing to do farther, but to wait for the happy time, when the secrets of all hearts will be revealed, and every mans conscience and actions shall be made manifest, and then he doubts not to receive approbation and praise, and a great reward in that day of the Lord Jesus. And so much the rather, because this light affliction, wherewith he is now exercised, he is assured will work for him a far more exceeding and eternal weight of glory, 1 Cor. 2. v. 17.

Non contristabit justum quicquid ei acciderit; neque enim ullum ejus consilium ad irritum cecidit. Præcipuus ipsius scopus erat Deo placere, & ipsum id esse adeptum animi conscientia Scripturæ testimonio certiorem facit; felix supererit illi expectanda dies, quâ animi secreta detegentur, & cujusque conscientia ac opera patefient, tumque certus est se in illa die Domini Jesu insigni laude ac præmio remuneratum iri; eòque magis, quòd levem istam afflictionem, quâ modò exercetur, certò sciat longè excellentioris gloriæ pondus æternum ipsi esse comparaturam.

Quoniam, &c. Q. d. Quòd pro singulari divinæ gratiæ argumento habuerint gloriæ Christi & regni ipsius propagandi ergo affligi. Vide Philip. 1. v. 19. *Hic*, ait Calvinus, *causa respici debet, quæ nos Filio Dei associat, qui non modò suâ gloriâ dedecus mundi absorbet, sed contumelias, probra & ludibria in summum honorem convertit.*

Omni autem die, &c. Q. d. Apostoli verò freti patrocinio Christi, nequicquam adversariorum minas aut pœnas veriti, contra injustum Synedrii interdictum non interdum duntaxat, sed etiam quotidie, & quidem non *circa domos*, id est, privatim per singulas domos, seu domesticatim tantùm, sed etiam publicè, & quidem in celeberrimo urbis loco, in Templo Evangelium Jesu Christi prædicarunt. *Qui*, inquit Calvinus, *beatum se reputat quum pro Christo patitur, nunquam deficiet, quamtumvis dura certamina obeunda sint. Ergo Apostoli verberibus quodammodo armati fuerunt, ut intrepidè ad mortem properarent. Væ ergo nostris deliciis, qui minimâ persecutione defuncti, quasi jam emeriti essimus milites, facem statim aliis resignamus.*

CAP.

CAP. VI.

1. *Crescente.* Scilicet in dies Hierosolymis.

Numero Discipulorum. Id est, in Christum credentium. Atque ita crescentibus etiam opibus, ideóque & Ecclesiæ negotiis.

Factum est murmur. Q. d. Oborta est, ut ferè fit in frequenti turba, querula murmuratio.

Græcorum. Gr. τῶν Ἑλληνιστῶν. Communi nomine cùm de religione agitur quosvis gentiles à sacris Novi Testamenti Scriptoribus Ἕλληνας appellari notum est. Atque ita *Helleniſtas* existimaverim dictos, qui quum ipsi vel saltem eorum majores Ἑλλήνων superstitionibus anteà fuissent addicti, per proselytismum insiti erant Hebrææ & Judææ genti.

Aversis Hebræos. Hebræi videntur hìc dicti Ἰουδαῖοι ἐκ προγόνων, *ab origine, à Stirpe Judæa oriundi*, ut loquitur Theophylactus. Hos Clemens Alexandrinus ἀνέκαθεν Ἑβραίους, Chrysostomus βαθεῖς ἑβραίους appellat, id est, *ab ultima origine Hebræos.*

Quòd despicerentur. Id est, negligerentur, neque satis sublevarentur. Nempe aut ægrotæ, aut infantibus onustæ Helleniſtarum viduæ minùs accipiebant, quàm Hebræorum viduæ in quotidiana eorum, quæ ad victum cultúmque corporis erant necessariæ, rerum distributione. Salmasius causam hujus commurmurationis ab Helleniſtis factæ ait fuisse, *quòd dolerent viduas suas in ministerio quotidiano præterviri, quia scilicet viduæ solæ Hebræorum ad id ministerium solerent deligi & capi.* Æthiopicus transtulit, *quòd viderent viduas suas ministrare quotidie.* Videtur despectionem viduarum Helleniſtarum in eo constituisse, quòd quotidianus administrandorum pauperum labor ipsis imponeretur.

2. *Convocantes autem duodecim multitudinem Discipulorum.* Id est, duodecim Apostoli, convocato credentium in Christum grege, ut suppeteret in tanta multitudine eligendorum Diaconorum copia, electióque fieret totius Ecclesiæ suffragiis.

Dixerunt. Omnium videlicet discipulorum seu credentium concilio.

Non est æquum. Id est, haud convenit, neque expedit.

Nos

Nos derelinquere verbum Dei. Id eſt, minùs vacare promulgandæ Evangelii doctrinæ.

Et miniſtrare menſis. Hoc eſt, ut vacemus curandis pauperum inter Fideles neceſſitatibus ad corpus ſpectantibus. Eſt hîc Synecdoche rem continentis pro contento, menſarum pro cibo ac potu menſis imponi ſolitis, tum partis pro toto, id eſt, pro omnibus etiam iis quæ præter cibum ac potum ad cultum corporis pertinent. Atque ita *miniſtrare menſis* hîc idem eſt ac de rebus ad vitam corporalem tuendam neceſſariis proſpicere.

3. *Conſiderate.* Id eſt, conſultè deligite.

Viros ex vobis boni teſtimonii. Hoc eſt, de quorum fide atque integritate planè conſtet.

Plenos Spiritu-ſancto & ſapientiâ. Id eſt, ſapientiâ Spirituali, ſeu à Spiritu-ſancto proiectâ abundè ornatos.

Quos conſtituamus ſuper hoc opus. Id eſt, quos huic pauperum curæ præficiamus adinſtar פַּרְנָסִים, quibus iſta cura incumbit in unaquaque Judæorum Synagoga. Vide Lightfoot in Horis Hebraicis ad Mat. 4. v. 23.

4. *Nos,* &c. Q. d. Nos autem onere iſto proſpiciendi Fidelium pauperibus de rebus ad vitam temporalem pertinentibus liberati, ſummo ſtudio muneri noſtro invigilabimus, tum in præeundo plebi in publicis ad Deum precibus, tum in plebe inſtituenda.

5. *Et placuit,* &c. Q. d. Atque ita ex conſilio Apoſtolorum, communibus totius Eccleſiæ ſuffragiis œconomi bonorum eccleſiaſticorum ſeptem ſunt electi, qui pauperum curæ & eccleſiaſticæ pecuniæ diſpenſationi vacarent, Stephanus, Philippus, Prochorus, Nicanor, Timon, Parmenas & Nicolaus advena ſeu proſelytus Antiochenus. Ex quorum Græcis nominibus apparet Helleniſtarum in hac electione rationem præcipuam eſſe habitam. Eccleſia prima Chriſti ex Judæis ſolis fuit coacta, nondum vocatis nec admiſſis gentibus. Ex duobus generibus conſtabat, nempe ex Hebræis ab ultima origine, & ex Helleniſtis, qui gentis & generis ratione Græci, hoc eſt, gentiles, per circumciſionem in Judæorum gentem erant aſciti. *Ex Helleniſtarum corpore ac numero,* inquit Salmaſius, *electi primi Eccleſiæ ſeptem Diaconi, qui omnes uno excepto fuere Hieroſolymitani. Et cùm eſſent Helleniſtæ proſelyti, ſexque eſſent Hieroſolymitani, ſeptimum ultimo loco recenſuit, quem monuit fuiſſe proſelytum Antiochenum. Si ſimpliciter legeretur apud Lucam,* Et Nicolaus Proſelytus, *nihil eſſet dubium quin deberet intelligi, reliquos ſex eſſe Judæos non proſelytos. Sed cùm addit,* proſelytus Antiochenus, *cui dubium eſſe poteſt, quin alii æquè proſelyti fuerint, non tamen Antiocheni ſed Hieroſolymitani : Hieroſolymis enim illa acta ſunt.* 6. *Hos*

6. *Hos statuerunt ante conspectum Apostolorum.* Autoritate nimirùm illorum ac benedictione confirmandos.

Et orantes imposuerunt eis manus. In Diaconis hîc proponitur forma electionis, quæ etiam in Episcopis sive Presbyteris creandis in primitiva Ecclesiæ Christianæ institutione usurata fuit. Ecclesia viros prudentiæ & pietatis nomine probatos Apostolis, eorúmve delegatis, Spiritu discretionis eximiè præditis, ordinandos proponebat. Qui deinde, postquam eos probassent, Deum precabantur, ut vellet iis in novo, ad quod electi erant, munere benedicere, & ejusmodi sapientiam largiri, quâ eidem cum fructu ingenti præesse possent. His precibus peractis manus illis imponebant in signum demandati ipsis ministerii. Interdum tamen etiam Spiritus per Prophetas, quos ad hoc aut illud ministerium eligi vellet, nominatim indicabat. Vide infrà cap. 13. v. 2. & 1 Tim. 1. v. 18. & 4. v. 14.

7. *Et verbum.* &c. Q. d. Ea fuit Spiritûs per Apostolos loquentis, miráque patrantis efficacitas ut in diem plures & in eis multi ex ipsis sacerdotibus Hierosolymitanis, quos Christi prædicatio ad fidem amplectendam, aut saltem profitendam non adduxerat, nunc omni gloriæ & formidinis humanæ respectu superato, credentium numero sese adjunxerint, & præceptis fidei, sive doctrinæ Evangelii morem gesserint.

8. *Plenus gratiâ & fortitudine.* Gr. πίστεως καὶ δυνάμεως, *fide ac potentiâ.* Id est, fide & miraculorum virtute insignis. Hic mos loquendi Scripturæ non est insolens, plenos Dei donis vocare eos, in quibus se insigniter exerit ac profert vis & gratia Spiritûs.

9. *Surrexerunt.* Surgendi verbo significat Lucas, eos de quibus loquitur, doctrinam Evangelii linguâ oppugnasse, nec statim Stephanum ad judicium traxisse, sed priùs cum eo de religione quàm docebat in contentionem venisse. Hi porrò Stephani oppugnatores fuere aut Hellenistæ aut hospites qui vel negotiandi causâ, vel discendi studio Hierosolymis agebant. Narrant Judæi Hierosolymis fuisse synagogas quadringentas & octoginta.

Libertinorum. Suidas Λιβερτῖνοι, ὄνομα ἐθνους. *Libertini, nomen gentis.* Quin & in Collatione Carthaginensi prima mem. 201. memoratur Victor Episcopus *Ecclesiæ Libertinensis* in Africa seu Numidia. Eruditus Franciscus Junius in voce *Libertinorum* corruptionem aliquam literarum factam fuisse suspicatur. Notat enim hos fuisse exteros illos, qui ædes sacras *Lebrathas*, & parœcias eò pertinentes, universámque conventum vocabant λάβρας, Epiphanio teste. *Nam,* inquit, *isti omnes ad eandem Synagogam pertinentes* Lebrathenun *dicebantur, & ex eo corruptè Synagoga* Libertinorum *dicta.*

Cy-

Cyrenenſium. Quænam fuerit *Cyrene*, unde Cyrenæi ſeu Cyrenenſes dicti, vide explicationem noſtram literalem ad Matt. 27. v. 33. & Amos 9. v. 7. Multos fuiſſe in Cyrenaica Judæos teſtatur Joſephus Antiq. 16. cap. 10.

Alexandrinorum. Alexandria Ægypti Metropolis unde iſti Alexandrini oriundi, ab Alexandro Macedone, à quo nomen habet, condita fuit. Eam Ptolemæus Philadelphus bibliothecâ, quæ ſeptuaginta voluminum millia habebat, decoravit; at illam magis illuſtrarunt celebres eruditione & ſapientiâ viri ejus cives, inter quos explendeſcunt Philo Judæus, de quo parœmia illa, *aut Philo platonizat, aut Plato philonizat*; Appion Grammaticus, quem Tiberius Cæſar *Cymbalum mundi*, Plinius *publicæ famæ typhanum* vocavit; Didymus Grammaticus, Claudius Ptolemæus, etſi alii huic Peluſium patriam fuiſſe dixere; Appianus Hiſtoricus ideo Alexandrinus dictus; Clemens Alexandrinus; Origenes, de quo fertur illud: *Ubi benè nemo melius, ubi malè nemo pejus*; Athanaſius, Cyrillus, Didymus cœcus, & alii, quorum nomina nunc mihi non occurrunt. Hodie Alexandria à Turcis, ſub quorum imperio gemit, vocatur *Scanderia*, corrupto vocabulo ex Alexandri nomine, cujus cadaver ex Memphi huc tranſlatum fuiſſe narrat Quintus Curtius lib. 10. cap. 10. Bibliotheca Ptolemæi adeò celebris, dum ſub Julio Cæſare diripitur urbs, conflagravit, autore Ammiano Marcellino lib. 22. cap. 41. Ibi Judæi jus par cum Macedonibus erant adepti. Vide Grotium ad 3 Machabæorum.

Qui erant à Cilicia. Cilicia hodie *Carmania*, priùs unica Nicænorum & Conſtantini ætate, deinceps in duas tributa fuit, quarum prior dicta fuit *prima* & *campeſtris*, eadémque Conſularis. Fuit huic ad occaſum Iſauria, ad Ortum Cilicia altera, ad Meridiem mare Cyprium; hujúſque metropolis *Tarſus*, caput Gentis, Colonia Romanorum, civitas libera, cui jus Romanæ civitatis, unde illud Pauli Tarſenſis infrà cap. 22. v. 28. *Cilicia ſecunda*, quæ & *Trachæa*, cuſque à Septentrione Taurus mons, ab Ortu Comagene, à Meridie ſinus Iſſicus, qui nomen accepit ab Iſſo urbe inter Syriam & Ciliciam, victoriâ Alexandri adverſus Darium Celebri, ubi & Cicero *Imperator* appellatus fuit, uti de ſe ipſe refert lib. 2. Epiſt. 10. & lib. 5. Epiſt. ad Atticum epiſt. 20. gloriatur ſe habuiſſe eadem caſtra quæ olim Alexander. Præſidialis hæc provincia fuit, metropolis autem Anazarba, ſeu Anazarbus, aliàs Diocæſarea. Metropolitæ hujus ſecundæ Ciliciæ mentio extat in Actis Concilii Chalcedonenſis.

Et Aſia. Vide quæ diximus ſupra cap. 2. v. 9.

10. *Et non poterant reſiſtere ſapientiæ & Spiritui.* Hoc eſt, ſapientiæ à Spiritu Sancto ſuggeſtæ. Particula & initio verſûs

Ponitur pro *sed*, quod sæpè fit alibi in Scripturis.

Qui loquebatur. Gr. ᾧ ἐλάλει, *quo loquebatur.* Q. d. Quo loquentis Stephani mens & lingua dirigebantur juxta Christi promissum Mat. 10. v. 20. & Luc. 21. v. 15.

Propter, &c. Hæc absunt à vulgatis codicibus Græcis, sed habentur in vetustissimo codice clarissimi Bezæ.

Cum omni fiducia. Id est, omni cum libertate.

11. *Tunc.* Nempe cùm non possent obniti veritati.

Submiserunt. Id est, subornârunt. Quo sensu à Latinis *immittere* usurpatur. Gellius 4 Noct. Attic. 18. *Petilius quidam Tribunus plebis à Marco ut aiunt Catone inimico Scipionis in eum comparatus atque immissus.* Sallust. Catil. *Alii Tarquinium à Cicerone immissum aiebant.* Plin. lib. 6. epist. 13. *Inde invidia, & à dissimillimis dissimilis delator immissus.*

12. *Seniores.* Id est, Synedrii senatores.

Concurrentes. Hoc est, concursu facto.

In Concilium. Gr. εἰς τὸ συνέδριον, in Synedrium.

13. *Et statuerunt falsos testes.* Falsi etiam testes dicuntur, qui verè dicta falsò interpretantur, & crimini vertunt, ut hîc impietati ac blasphemiæ, quæ secundum veritatem sunt prædicta de Templi excidio, ritumque maximam partem inde pendentium cessatione. Vide Luc. 19. v. 43 & 44. Contra tales testes in persona Doegi invehitur David, Ps. 52. v. 2, 3, 4 & 5. Conser 1 Sam. 22. v. 9, 10, 11, 12 & 13.

Verba. Græcè additur, *blasphema*, id est, indigna & contumeliosa.

Adversus locum sanctum. Id est, adversus Templum Dei. Vide infrà cap. 25. v. 8. & Mat. 26. v. 61.

14. *Mutabit traditiones.* Gr. τὰ ἔθη, *consuetudines.* Hoc est, legales ceremonias, queis Christo venturo, & Legi Evangelicæ præludebatur.

15. *Viderunt faciem ejus tanquam faciem Angeli.* Id est, Conspicati sunt vultum ejus augustâ ac serenâ gravitate plenum. Vide Gen. 33. v. 10. Addit. Estheris cap. 15. v. 11.

CAP.

CAP. VII.

1. P*Rinceps Sacerdotum.* Id eſt, Synedrii Princeps.
Si hæc ita ſe haberent. Q. d. Súntne vera quæ iſti de te dicunt atque teſtantur?

2. *Qui ait.* Cùm Stephanus accuſaretur quòd Templi excidium, legaliúmque cæremoniarum antiquationem inſtinctu, inflatúque divino prænuntiaſſet, ut demonſtret atque oſtendat nihil in eo eſſe iniqui, omnem hiſtoriam veterem ad ſua uſque tempora percurrens inſinuat tacitè Dei favorem nunquam adſtrictum fuiſſe loco ulli, ne Tabernaculo quidem aut Templo: deinde Judæos, ſi gentis ſuæ & ſua facta diligenter expenderent, nihil habere cur prædictionem hanc ægrè ferrent.

Viri fratres & patres. Si clariſſimo Salmaſio credimus, *Stephanus, qui proſelytus erat, Judæos vocat ἀδελφοὺς, ut earundem promiſſionum cum iis conſors, ejuſdem Legis obſervator, ejuſdémque Numinis cultor.* Πατέρας etiam appellat, *quia proſelyti ut diſcipuli eorum, à quibus Legem acceperant, quaſi filii cenſebantur, & illi tanquam patres.* Verùm Paulus Apoſtolos qui non erat proſelytus, ſed genere Judæus, iiſdem verbis compellat Judæos inf. à cap. 22. v. 1. Rectiùs ergo dicitur tum à Stephano proſelyto, tum à Paulo genere Judæo *juniores* compellari fratres, *ſeniores* autem patres.

Deus gloriæ מלך הכבוד, *Rex gloriæ*, Pſ. 24. v. 7. Id eſt, præpotens & glorioſus Deus, Rex regum.

Apparuit patri noſtro Abrahæ Stephanus non ſolùm ut Chriſtianus, ſed etiam ut Judæus, vel Judæorum religioni inſitus ita loqui potuit. *Deus Judæorum, qui ſe Deum Abraham, Deum Iſaac & Jacob ipſe appellat, Deus eſt etiam proſelytorum, quia proſelyti unum eundémque Deum adorabant, eidémque Legi, quam Judæis dederat, obſervandæ ſeſe addixerant. Si Deum Judæorum, Deum ſuum vocare potuerunt, æquè ac Judæi, Abraham patrem ſuum appellare quis negat potuiſſe? Cùm verò Abraham ex promiſſione ipſi per Deum facta pater gentium nuncupatus ſit; gentes illæ, quarum pater à Deo appellatus eſt, haud aliæ poſſunt eſſe præter eas, quæ à Meſſia Deo Patri ſangui-*

ne suo acquisitæ sunt. Et non dubium est, quin Christiani hodie Abraham suum patrem queant indigitare. Hæc clariss. Salmasius.

Cùm esset in Mesopotamia. Hoc est, cùm adhuc Ur Chaldæorum versaretur. *Missis fabellis Hebræorum, qui* Ur *in nomen appellativum vertunt, non placet sententia, Bocharto licèt probabilior, Phaleg. lib. 2. cap. 6. quæ* Ur *collocat versus Montana Armeniæ, in Assyriæ finibus, & in Borealiore Mesopotamia, ubi* Ur nomine Persicum Castellum, *apud Ammianum lib. 25. cap. 26. Nec enim eousque Chaldææ nomen protendi videtur; nec ex Oriente jam Abraham, sed verùm ex Septentrione; nec ex similitudine nominum, (quale illud Castelli Persici apud Marcellinum, quò venisse memorat Cassianum & Mauricium) certum argumentum duci, ipse alibi Bochartus observat. Isaacus Vossius, vir summus* Ur *eandem facit cum* Chebar *vel* Chobar, *ad Chaboræ & Euphratis confluenta sed inde trajectus in Syriam brevior, nec necesse fuit Charanem ascendere, iturus in Canaanem, neque Urbs ea* Chaldæorum *fuit. Incertum igitur an* Ura *Plinii lib. 5. cap. 24. in divertigio Euphratis versus Ortum & Babyloniam: an Οὐρία Eupolemi, Urbs Babyloniæ, apud Eusebium Præp. lib. 9 apud Ptolemæum, adjacens Euphrati, in Babylonia; an Ὄρχοη* Orchoa *urbs; an alia Chaldæa, cujus mutatum nomen. Ceterum* כשרים Chaldæi, *qui ex Chesed Nachoris, Gen. 22. v. 22. per πρόληψιν videntur memorari, Gen. 11. v. 31. ut sunt nomina Bethelis, Danis,* &c. Hactenus Clarissimus Fridericus Spanhemius filius in introductione ad Geographiam sacram. Doctissimus Usserius Armachanus hîc vocabulum כשרים non tam esse nomen proprium gentis, quàm appellativum sectæ, hariolos & magos denotans, autumat. Ita eo nomine in ipsa etiam Chaldæa Genethliaci à reliquis magis distincti reperiuntur Dan. 2. v. 2 & 20 4 v. 7. & 5. v. 11. *Stephano,* inquit, Heideggerus, *eadem est Mesopotamia cum Chaldæa. Ponit enim Ur Chaldæorum in Mesopotamia. Nempe quia Mesopotamiæ pars, quæ propior est Assyriæ, in Scripturis etiam nomine Chaldææ venit. Et Babyloniæ partem aliquam, imò & Babylonem ipsam intra Mesopotamiæ terminos fuisse comprehensam, docet locus Plinii lib. 6. cap.* 26. Babylon Chaldaicarum gentium caput, diu summam claritatem obtinuit in toto orbe: propter quam reliqua pars Mesopotamiæ, Assyriæque Babylonia appellata est. *Et paulò post:* sunt etiamnum in Mesopotamia oppida, Hipparenum, Chal-

Chaldæorum & hoc, ſicut Babylon juxta flumen Nar-ragam, qui dedit civitati nomen, muros Hipparenorum Perſæ diruere. Orcheni quoque tertia Chaldæorum doctrina, in eodem ſitu locantur, ad meridiem verſi. *Porro Orchoen Tremellius eandem cum Ur eſſe exiſtimat. Ipſam porrò Meſopotamiam ab Oriente Tigri, ab Occaſu Euphrate, à Meridie mari Perſico, à Septentrione Tauro incluſam eſſe refert idem Plinius lib. 6. cap. 27. Adeò ut non tantum inter duo flumina incluſa, ſed etiam eorum ripis appoſita omnia, Meſopotamiæ deputanda intelligantur. Fortaſſis etiam eôdem faciunt verba Joſephi 1 An. 8. ubi de Abrahamo:* χαλδαίων δὲ καὶ τῶν ἄλλων Μεσοποταμιτῶν μισησάντων πρὸς αὐτὸν, μετοικεῖν ἀναμάσιον χθ' βάκησιν, καὶ βουθεῖαν τοῦ θεοῦ, τὴν χαναναίαν ἔσχε γῆν. Cùm Chaldæi & Meſopotamitæ ceteri contra ipſum inſurgerent, conſilium migrandi cœpit, & voluntate ac favore Dei fretus, terram Chananæam tenuit. *Patet igitur* Uram *Abrahami rectè tum Meſopotamiæ, tum Chaldææ deputari poſſe.* Hæc Heideggerus Hiſt. Sacræ Patriarcharum tom. 1. Exercit. 23. num. 45. & tom. 2. Exercit. 3. num. 5. *Dici poteſt*, inquit Lightfoot, *etiam Babyloniam eſſe in Meſopotamia, partim quòd eſſet inter duos fluvios Euphratem & Tigrim, præſertim verò ſecundùm idiomi Scripturarum, quòd eſſet trans fluvium. Quod notatum à Vulgato interprete obſervare licet Joſ. 24. v. 3. ubi pro eo quod eſt in Hebræo,* Et tuli Abrahamum patrem veſtrum à trans fluvium מעבר הנהר, *habet ille* Tuli ergo patrem veſtrum Abrahamum de Meſopotamiæ finibus. Eratoſthenes apud Strabonem lib 3. ait *Meſopotamiam cum Babylonia contineri magno circulo ab Euphrate & Tigri.*

Priuſquàm moraretur in Charan. Q. d. Erat quidem Abraham adhuc in Meſopotamia, cùm ipſi apparuit Dominus, ſed Uræ Chaldæorum non Carrhis. Ex Ur Chaldæorum, cum familia paterna migrans Abrahamus venit חרן Charanem, *non animo ibidem ſiſtendi, ſed tranſeundi verſus terram Canaan*, ut loquitur Torniellus A. M. 2113. Num. 3. Verùm ubi Charanem Meſopotamiæ urbem Orientalem Uſitidi à Jobo poſtmodùm habitatæ ſatis vicinam adveniſſet, Thærachus parens ejus ibi in morbum incidit, quo abſumtus eſt; hinc pietas erga patrem moribundum, qui religionis causâ peregrinationis hujus & comitem, & ducem ſe præbuerat, Abrahamum ne inceptum iter perageret detinuit & demorata eſt, atque ita Charane habitavit donec Thærachus natus ducentos & quinque annos ibi ſupremum diem expleviſſet, utì per anticipationem refertur

Gen. 11. v. 31 & 32. *Mesopotamia, quâ Euphrate alluitur, Austrum & orientem versus, contigua est Arabiæ Desertæ, solo dividente fluvio, adeo quidem ut civitates sint, (qualis hodiéque Ana vel Anna, in amplissimis & celeberrimis ejus tractûs,) quarum pars cis fluvium Mesopotamiæ censetur. Hinc etiam communis illis lingua, religio, mores; eadem soli conditio plani & steriles, in vastissimas solitudines extensi, herbis iisdem ac stirpibus, strati, & incommodis iisdem obnoxii, eodem quoque Emir, seu Arabum principe, late in Mesopotamia dominante. Quo factum ut Mesopotamiæ pars Australis a Xenophonte lib. 1. Ἀνάβασ. Plinio, hist. lib. 5. cap. 24. Strabone, Geogr. l. 16. & aliis, Arabiæ desertæ accensita fuerit. Jam vero* Charan, *Nachoris sedes, (*χαρὰν*) Josepho, etiam* χάρραι, *uti Stephano, Ptolemæo, Sozomeno,* χαρρὰν *in Actis,* Aran *Hieronymo,* Carræ, *si modo urbs eadem, Romanis Crassianæ cladis Scriptoribus,* חָרָן *apud Geographum Nabiensem, dicta &* Nachor, *Gen. 24. v. 10. à Conditore & habitatore Nachor) sita omninò fuit in ea Mesopotamiæ parte, quæ Chabora fluvio alluitur, inter Euphratem, & Ascorum; Etenim ex sacris intelligitur, positam fuisse* Charanem *in itinere quod è Chaldæa in Chanaanem ducit, Gen. 11. v. 31. Quo sit ut omninò Australior fuerit versus Arabiam desertam, & Syriam Palmyrenam seu Aram Tsaba. Via enim ex Ur Chaldæorum in Palæstinam tendit ab Oriente in Occidentem, præterquam ubi ad vitanda Arabiæ avia, deflexum est boream versus, per Australiorem Mesopotamiam, quæ Chaldæa Borealis est. Iterùm Palæstinæ respectu,* Charanis *regio Orientalis fuisse dicitur. Gen. 29. v. 1. hinc omninò in Mesopotamiâ Meridionali, quæ Scenitidem Arabiam respicit, ex sti li Scripturæ, & inspectione Tabularum. Etenim Borealiores partes Syriæ utriusque & Assyriæ regio, non Orientis, sed* צָפוֹן *Septentrionis nomine veniunt. Unde illorum error colligitur qui* Charanem *longè collocant versus Septentrionem, & Armeniæ montes, ad 36, aut 37. gr. latitudinis, confunduntque cum Edessa, aut cum Orfa, ut R. Benjamin, Petrus Appianus, Jacobus Ziglerus, Josephus Moletius, alii. Et quæ ibi* Carræ *signantur, versus Assyrios, unde* Assyrias Carras *dixit Lucanus, ità in libro Tobiæ collocantur inter Ninivem & Rages, omninò diversas fuisse à* Charane Nachoris *& Abrahami necesse est.* Charan *igitur Mesopotamiæ sita fuit inter Babyloniam & eam Syriæ partem quæ ducebat in Palæstinam; hinc magis ad Meridiem, haud longè ab Euphrate iuxta Chaldæam ipsum; Confirmat Geographus Nu-*

Nubiensis, cui Harran *Australior est civitate Aleppo circà 31. gradum latit. Boreali. Hinc ad Gen. 24. v. 10. Arias Montanus in eo tractu, propiùs ad Babyloniam, signavit* Padan *urbem, quæ verius regio fuit in quâ* Charan *urbs Nachoris; nec tamen ista contigua fuit Palæstinæ, ut vult Adrichomius in Theatro Terræ S. utpote quæ in Mesopotamia, contigua verius Arabiæ desertæ, prout hæc Septentrionem versus ad Euphratem protensa est, in qua Jobi sedem collocavimus. Imò* Charanem *Abrahami jam ætate à Sabæis Arabibus habitatam fuisse tradunt Orientales, & ex Kessæo Muhammedano Clar. Hottingerus in Hist. Orient. c. 8.* Hæc doctissimus Spanhemius Hist. Job 1. c. 7. n. 4.

Et dixit ad illum. Nempe cùm Chaldæorum, seu ut Orientales dicunt, Zabiorum superstitioni atque idolorum cultui esset addictus, Jos. 24. v. 2.

3. *Exi de terra tua,* &c. Continuus verborum tenor satis prodit de una vocatione sermonem esse, cùm Uræ Chaldæorum versaretur Abraham, ubi natus & educatus erat. Vocatio ipsa habetur cum promissione Gen. 12. v. 1, 2 & 3. Stephanus sanè promissionem omisit, quia nihil attinebat singula persequi.

Veni in terram quam monstravero tibi. Pollicetur se demùm ostensurum ei terram, quam in vocatione ipsa non expressit. Hinc etiam Heb. 11. v. 8. Abrahamus dicitur exiisse, μὴ ἐπιστάμενος ποῦ ἔρχεται, *nescius quò iret.* Si nescivit Abrahamus quò iret, & terra ad quam eundum, nonnisi post exitum ostendi debuit: quomodo dicitur per πρόληψιν Gen. 11. v. 31. Abrahamus duce migrationis Thæracho, & comitibus Sara ac Lotho, egressus ex Ur Chaldæorum *ut pergeret in terram Canaan,* ללכת ארצה כנען? Respondet Torniellus anno mundi 2113. num. 3. *Benè fieri potuisse, quòd Abram quando exivit, sciret Deum velle, ut ipse iret in terram Canaan; sed nescivit, num vellet eum ibi requiescere, an etiam ultrà ad remotiorem aliquam regionem progredi, ac propterea eum venisse in Charan, non animo ibidem sistendi, sed transeundi versus terram Canaan, certò credentem quòd ibi Dominus monstraturus esset terram, ad quam pergere & in qua morari deberet: quemadmodum mox revera factum fuit: Cùm enim Sichemum in terra Cananæa venisset, audivit à Domino Gen. 12. v. 7.* Semini tuo dabo terram hanc.

4. *Tunc.* Scilicet, postquam Abraham tum mandata tum promissa Dei percepit.

Exiit de terra Chaldæorum. Q. d. Domum patris omninò deseruit, atque unà cum patre suo, Sara & Loth, exiit ex Ur *Chaldæorum.* Mesopotamiam Stephanus eandem facit cum terra Chaldæorum. *Chaldæam pertinere ad Mesopotamiam,*

inquit Ludovicus de Dieu, *etiamnum censeri Arabes. Geographus enim Nubiensis sextâ parte climatis quarti, ubi Mesopotamiam describit, dicit eò pertinere* Bagdad, *quæ hodierna Babylonia est, Chaldææ metropolis; ejusque provinciam Benjamin in Itinerario* p. 75. *ed. Leydensis constituit* בארץ שנער, in terra Sinear, *quæ est Chaldæa.* Quamvis autem vocatio Dei jubentis Thærachum unà cum Abrahamo, Sara, & Loth, exire ex Ur Chaldæorum, directa fuerit ad Abrahamum, tamen quia Thærachus erat paterfamiliàs, *ideo Gen.* 11. *v.* 31. *migrationis negotium illi adscribitur, non filio familiàs,* uti rectè adnotavit in Elencho Pareano Scaliger.

Et habitavit in Charan. μὴ πολὺν χρόνον, *non multum temporis,* inquit Judæorum disertissimus Philo in libro de somniis. Aug. 16. de civ. Dei cap. 16. eodem anno Abrahami ex Ure Chaldæorum & Charane profectionem fuisse factam existimat. Quod confirmat Josephus 1 Antiq. 8. scribens Abrahamum annos natum septuaginta quinque reliquisse Chaldæam. *De Thæracho,* inquit Heideggerus, *Abrahamo, reliquisq e Charanem profectis dicit Moses Gen.* 11. *v.* 31. וישבו שם, & habitaverunt ibi. *Et de Thærachoquidem, eum natum ducentos & quinque annos ibi supremum diem clausisse. Quamdiu verò Abrahamus reliquique comites Charane habitaverint, non expressit Moses. Probabile tamen est, non diu & vix unum annum eum ibi hæsisse, ne divinæ vocationi non obsequi videretur. Quid enim præter morbum & corporis infirmitatem Thærachum, quem erga Deum pietas, patrium solum & proprios lares reliquere coegerat, ab incepto itinere peragendo detinere potuerat? Quid etiam præter pietatem erga patrem moribundum, qui religionis causâ peregrinationis hujus & comitem & ducem se præbuerat, Abrahamum, cujus tam promta in divina vocatione sequenda tantoperè obedientia prædicatur, impedire poterat, quominus rectà tenderet in Canaanem? Nam quòd Thærachus vel loci amœnitate captus, uti fingit Abenezra, vel veterem in idololatriam relapsus, uti statuunt alii, Charane manserit, neque filium sequi voluerit, figmento similimum est. Neque nos movent Petavii, Bonfrerii & Harvillæi argumenta, quibus Abrahamum aliquot annos habitasse Charane pertendunt. Primò Stephanus,* inquiunt, *dicit Abrahamum κατῳκῆσαι ἐν Χαρρᾶν,* habitasse Charane *Probabile autem est, verbo habitandi plures annos denotari. Secundò Abrahamus Gen.* 12. *v.* 5. *dicitur Charane animas fecisse, hoc est, man-*

mancipia & pecora vel jumenta quibus Charane bona ipſius aucta fuerint, comparaviſſe. In his autem comparandis & congerendis plures annos conſumi omninò debuiſſe. Tertiò Abraham Charanem vocat terram ſuam *Gen. 24. v 4. Atqui non vocaſſet* terram ſuam, *niſi aliquot annis in ea habitaſſet. Quis enim ſuam vocavet terram, per quam ſolummodò tranſvit? Hæc argumenta ſolida non ſunt. Non primum, ponamus enim exeunte vere Tharachum & Abrahamum Ure Chald.eorum diceſſiſſe, & morbo Tharachi intervenionte continuam æſtatem & hyemem ibi tranſegiſſe, ac demum novo vere ineunte Abrahamum Charane digreſſum eſſe: annon longum ſatis temporis intervallum eſt, ut in eo Charane habitaſſe dici poſſit? Sic qui ad ſex menſes domum conduxit, licèt minori tempore, non minùs tamen habitaviſſe dicitur, quàm qui per ſex annos habitationem in ea continuaverit. Et vox Hebræa* יָשַׁב, *necnon Chaldæa* יְתִיב *non tantùm* habitare, *ſed & ſedere ſignificat, ut breviſſimi temporis commoratio ad hoc ſufficere poſſit. Non ſecundum; nihil enim neceſſum, ut de congeſtis opibus & mancipiis, ac animalibus domi natis Moſes intelligatur potiùs, quàm de acquiſitis emtione mancipiis, animalibus aliiſque rebus, quibus patrimonium relictum à patre augeri poſſet. Atqui acquiſitio illa quàm brevi tempore fieri potuit? Non tertium; Neque enim Abrahamus Charanem* terram ſuam *vocat, ſed* אֲרַם נַהֲרַיִם *ſeu* Meſopotamiam, *utì liquet ex Gen. 24. v. 4. collato cum v. 10. In Meſopotamia autem fuit non Charan duntaxat, ſed etiam Ur Chaldæorum, utì ſuprà docuimus.*

Et inde, &c. Thærachus Abrahami pater vixiſſe dicitur Gen. 11. v. 32. annos ducentos & quinque cùm moreretur Charane; Abrahamus autem, quem Stephanus hîc diſertè ait exiviſſe Charane demùm poſt mortem Thærachi, diſertè dicitur Gen. 12. v. 4. quando egreſſus eſt Charane, egiſſe annum ſeptuageſimum quintum. Hoſce ſeptuaginta quinque annos ſi auferas de annis ducentis & quinque Thærachi, reſidui erunt anni centum & triginta. Natus eſt ergo Abrahamus anno Thærachi centeſimo & trigeſimo. Ac proinde cùm Gen. 11. v. 26. Thærachus anno ætatis ſeptuageſimo dicitur generaſſe Abramum, Nachorem & Haranem, ſenſus eſt, gignere cœpit tres filios, primum meritis & dignitate natu minimum Abramum, ſecundum Nachorem tertium Haranem, quem multi omnium natu maximum contendunt, cùm fuerit pater Melchæ uxoris Nachor, & Jeſchæ, quam Hebræi putant eſſe Saram uxorem Abrahæ. Poſt mortem itaque patris Abrahamus in terram Canaan progreſſus eſt, ſicut præceperat illi Dominus cum adhuc eſſet Ure Chaldæorum, aſciris Sara & Lotho, qui ſecum Ure Chaldæorum Charanem venerant, & univerſo illo, quod Charane ſibi comparaverat, ſamulitio. Abrahamum Charane migraturum in terram Canaan, ſubſtitiſſe Damaſci, & ibidem

ibidem regnaſſe tradit Joſephus 1 Antiq. 8. Verba ejus ſunt, Νικόλαος δὲ ὁ Δαμασκηνὸς ἐν τῇ τετάρτῃ τῶν ἱστοριῶν λέγει ὅτως. Ἄβραμ ἐβασίλευσε Δαμασκοῦ ἔπηλυς, σὺν στρατῷ ἀφιγμένος ἐκ τῆς γῆς τῆς ὑπὲρ Βαβυλῶνος καλδαίαν λεγομένης. *Nicolaus Damaſcenus in quarto hiſtoriarum ſic ſcribit: Abrahamus regnavit apud Damaſcenum advena, ut qui cum exercitu venerat è regione ſupra Babylonem ſita, quæ Chaldæorum dicitur.* Neque aliter Juſtinus Trogi Pompeii Epitomator lib. 36. *Nomen urbi à Damaſco Rege inditum. Poſt Damaſcum Azelus, mox Adores & Abraham & Iſrael Reges fuerunt.* Verùm, ut egregiè ratiocinatur Pererius in Gen. 12. v. 11. *Graviter peccaſſet Abraham, ſi quæ Dei mandatum quo jubebatur ex Meſopotamia ire in terram Canaan, ut par erat, executus fuiſſet, ſi Damaſci non ſolùm commorari, verum etiam poſthabitis Dei promiſſis regnum ſibi comparare ſtuduiſſet. Addè quòd Abraham ubique ſe peregrinum & advenam eſſe dixit; idémque de ſe ſuiſque majoribus profeſſus eſt Jacob. Nuſquam igitur ille propriam ſedem aut domicilium, nedum regnum obtinuit.* Neque etiam ratio temporis permittit, ut regnandi causâ diù commoratus Damaſci dicatur Abrahamus. Cùm enim annus, quo Charane migravit, ſit ætatis ſuæ ſeptuageſimus ſextus, & idem poſt annos decem commorationis in Canaan acceperit Hagar uxorem ex quo anno octogeſimo ſexto ſuſcepit filium Iſmaelem Gen. 16. apparet eum rectâ ex Meſopotamia in Canaan itidem perrexiſſe, neque uſpiam ſtabilem ſedem fixiſſe antequam in Canaanitidem veniret. Deinde ſive vi, ſive precariò regnum illud obtinuiſſet non tam citò deſeruiſſet, præſertim fame ad Ægyptiacam peregrinationem compellente; neque rem tam illuſtrem, & futuram Judæis glorioſam ſcriptores ſacri ſubinde non attigiſſent.

5. *Et non dedit*, &c. Duo hîc Stephanus in Abrahamo conſideranda proponit, quibus ejus fidem Deus vehementer exercuerit. Primum, quòd in Canaanitidem, quam Judæi jam incolebant, eum tranſtulerit, nec tamen ullam poſſeſſionem, ne veſtigii quidem pedis ei dederit. Alterum, quod hanc terram ipſi & ſemini ejus obtinendam promiſerit, cùm ſemen non haberet.

6. *Locutus*, &c. Q. d. Prædixit autem Deus Abrahamo alto ſopore ac metu oppreſſo Gen. 15. peregrinum futurum ejus ſemen בארצ לא להם *in terra non ſua*, id eſt, aliena & ſerviturum affligendúmque quadringentis annis. Hi quadringenti ab anno Abrahami vel centeſimo, quo Iſaacum genuit, vel centeſimo quinto, quo facta eſt diſcretio ſeminis Abrahami, & determinatio heredis Iſaaci, Iſmaele in exilium amandato, Gen. 21. quin deducendi ſint nemo ambigere poterit. Etenim Deus in hac propheria, in qua quadringentos annos peregrinationi, afflictioni & ſervituti poſterorum definit, diſer-

tè facit mentionem זרע *seminis* peregrinaturi, affligendi & ſerviturí; proinde ante ſemen illud vel præſtitutum vel diſcretum actu & determinatum anni iſti quadringenti minimè putari poſſunt. Ab ipſius autem Abrahami in Canaanitidem migratione uſque ad annum egreſſionis Iſraelitarum ex Ægypto computantur anni quadringenti & triginta. Hinc Paulus Gal. 3. v. 17. à promiſſione factâ Gen. 12. Abrahamo natale ſolum relicturo ad Legem tertio ab egreſſu Iſraelitarum ex Ægypto menſe datam diſertè putat annos quadringentos triginta. *Populi Iſrail anni peregrinationis*, inquit Cl. Heideggerus, *definiuntur à Moſe Exod.* 12. *v.* 40. Et peregrinatio filiorum Iſrael, qui in Ægypto commorati ſunt, fuit quadringentorum triginta annorum; ומושב בני ישראל אשר ישבו במצרים שלשים שנה וארבע מאות שנה. *Ad quem locum tria potiſſimùm obſervat truditè Uſſerius Armachanus Chronol. Sac. lib. 2. cap. 8. Primò vocem* מושב *ut generatim quamvis habitationem, ita ad externos & advenas relatam* peregrinationem *notare. Unde apud Hebræos* תושב inquilinum *&* peregrinum *deſignat: & Abrahamus ipſe Gen.* 23. *v.* 4. *ſe in terra Canaan* גר ותושב παροικον καὶ παρεπίδημον *fuiſſe dicit. Et Gen.* 21. *v.* 34. *pro* גור *Chaldæus habet* ותותב. *Et cap.* 28. *v.* 3. *pro* את ארץ מגוריך *idem habet* ית ארעא תותבותך. *Secundò terram Canaan* terram peregrinationis *ut Abrahami, Iſaac & Jacobi, ita etiam Iſraelitarum ab iis deſcendentium habitam fuiſſe: propter arctiſſimum videlicet, quod inter majores & poſteros intercedit neceſſitudinis vinculum. Et ſanè tribus illis Patriarchis, Abrahamo, Iſaaco, & Jacobo terram hanc peregrinationis ipſorum hereditariò poſſidendam eis ſe daturum Deus promiſerat Pſ.* 105. *v.* 11. *quod in poſteris demùm eorum completum fuit. Ut igitur poſterorum poſſeſſio patribus: ita & patrum peregrinatio his tribuitur poſteris. Exempla ejus rei plura vide* Pſ. 66. *v.* 6. *Hoſ.* 12. *v.* 4. *Amos* 5. *v.* 25. *Judic.* 10. *v.* 11 *&* 12. *Act* 7. *v.* 42. *Tertiò cùm Hebræi caſibus cartant, pronomen* אשר *ambiguæ hîc eſſe relationis. Unde & in ipſa editione Vulgata Latina, Biblia Polyglotta, Antuerpiana Regia, & Jayana Pariſienſia hîc legant*, Habitatio autem filiorum Iſrael, Qui manſerunt in Ægypto, fuit quadringentorum triginta annorum. *Ubi alia ejuſdem editionis exemplaria habent*: Habitatio filiorum Iſrael, Quâ manſerunt in Ægypto. *Cui poſteriori relativi pronominis acceptioni* χρονογραφίαν *determinanti, cùm manſioni Iſraelitarum in Ægypto tribuit annos quadringentos & triginta, quæ totâ parte dimidiâ brevior fuit, omninò præferenda fuerit prior, quæ incommodum illud tollit, &* προσωπογραφίαν *tantùm nobis exhibet, ſive deſcriptionem eorum, quorum univerſa* παροίκησις *ſive peregrinatio ab anno ſeptuageſimo ſexto Abrahami cœpta, inde ad egreſſum ex Ægypto uſque quadringentorum triginta annorum ſpatio eſt continuata. Eam autem Iſraelitarum deſcrip-*

scriptionem cur ab Ægypti tantùm incolatu petierit Moses, quia illa patrum peregrinatio & paucorum hominum exiſtit, & interrupta ſuit aliquoties, & minùs in oculos hominum incurrit, cùm eſſent videlicet numero modici, pauciſſimi & inquilini in ea, & pertranſirent de gente in gentem, & de regno ad populum alterum, Pſ. 104. *v.* 12 & 13. *hæc verò filiorum in Ægypto ingentem complexa multitudinem hominæ, ſtabilis & apud omnes celebrata fuerit. Tria enim, uti Pererius etiam notat, habitationem Iſraelitarum in Ægypto noſcibilem & illuſtrem reddiderunt. Primò Joſephi principatus, quo vigente maxima in dignatione populus Iraeliticus fuit. Secundò poſt mortem Joſephi inſignis & admiranda multiplicatio populi, licèt laboriоſiſſimâ ſervitute afflictarentur. Tertiò liberatio eorum atque exitus ex Ægypto tot tantoſque cum prodigiis conjunctus. Græci locum Exod.* 12. *v.* 40. *Sic tranſtulere.* ἡ δὲ παροίκησις τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ, ἣν παῴκησαν ἐν γῇ Αἰγύπτῳ, καὶ ἐν γῇ Χαναὰν, αὐτοὶ καὶ οἱ πατέρες αὐτῶν ἔτη τετρακόσια τριάκοντα. Peregrinatio filiorum Iſrael, quâ peregrinati ſunt in terra Ægypti & in terra Canaan, ipſi & patres eorum, anni ſunt quadringenti triginta. *Ita habent codex Alexandrinus, editio Complutenſis & Aldina. Quin & hoc modo jam olim lectum eſſe, liquere poteſt ex Euſebio in Chronico, Quinto Julio Hilarione in libello de mundi duratione, Auguſtino quæſt.* 47. *in Exodum, Sedulio in Gal.* 3. *Quin & Apoſtolorum temporibus Doſitheus hunc locum ex Græca tranſlatione interpolatum ſic Samaritis ſuis tradidit:* Peregrinatio autem filiorum Iſrael & patrum eorum, quâ commorati ſunt in terra Canaan & in terra Ægypti, fuit quadringentorum & triginta annorum: ומושב בני־ישראל־אבות אשר־ישבו בארץ כנען וארץ מצרים שלושים־שנה וארבע מאות שנה׃

Georgius Syncellus in Chronico pag. 117. ἡ τῶν υἱ. ἐτῶν ἀπαριθμησις τῆς ἐν γῇ Χαναὰν παροικίας τῆς Ισραὴλ, καὶ ἐν Αἰγύπτῳ, καὶ πὸν πρὸς Αβραὰμ τῷ θεῷ πρόῤῥησιν, καὶ τὰς πάντα ἐρμηνεύσαντας καὶ ἱστορικὸς ἀπὸ τῶ ε. καὶ ο. ἔτος ἀριθμεῖται. *Supputatio quadringentorum triginta annorum peregrinationis Iſraelis in terra Canaan & Ægypto, juxta prædictionem Dei Abrahamo factam, communi interpretum & hiſtoricorum ſuffragio, à ſeptuageſimo quinto Abrahami anno ducit exordium.* Annorum porrò quadringentorum triginta ſpatium in duo æqualia partiuntur intervalla non tantùm Euſebius aliſque Chriſtiani Chronographi, ſed etiam Joſephus 2 Antiq. 6. & ante Chriſti tempora Demetrius non Phalereus ſed junior, ex quo Alexander polyhiſtor refert, ἀφ' ἧς ἐκλεγῆναι Ἀβραὰμ ἐκ τῶν ἐθνῶν, καὶ ἐλθεῖν ἐκ Χαῤῥὰν εἰς Χαναὰν, ἕως ἂν εἰς Αἴγυπτον τὸν πρὶ Ἰακὼβ ἐλθεῖν, ἔτη σιέ. *Ex quo electus eſt è gentibus Abraham & ex Charan in Canaanem venit, uſque ad Jacobi in Ægyptum adventum annos fuiſſe du-*

ducentos & quindecim. Quæ quidem ducentorum quindecim annorum ſumma nullo negotio confici poteſt ex Scripturis. Abrahamus enim in Cananæam eſt profectus cùm eſſet annorum ſeptuaginta quinque Gen. 12. v. 4. A profectione Abrahami in Chananæam ad annum ætatis ſuæ centeſimum, quo genuit Iſaacum Gen. 21. v. 5. anni ſunt viginti quinque. A nativitate Iſaaci uſque ad nativitatem Jacobi Gen. 25. v. 26. anni ſunt ſexaginta. A Jacobi nativitate uſque ad deſcenſum ipſius cum tota familia in Ægyptum Gen. 47. v 9. decurrerunt anni centum & triginta. Hi omnes anni ſimul junctì efficiunt ſummam annorum ducentorum & quindecim. Reliquos verò ducentos & quindecim annos in Ægypto tranſactos uſque ad exodum ſic deſcribit Uſſerius. *A diſcenſu Jacobi in Ægyptum uſque ad mortem Joſephi, anni 71. Inde ad Moſis nativitatem uſque 64. A nativitate Moſis ad exitum Iſraelitarum ex Ægypto 80. Exod. 7. v. 7.* Quibus annis omnibus ſimul junctis, conſiunt anni ducenti quindecim peregrinationis Iſraelitarum in ipſa Ægypto.

Servituti eos ſubjicient, &c. Aug. 16. civ. Dei 24. *Quumadmodum ſcriptum eſt de Thara patre Abrahami,* Et fuerunt dies ejus Charane quinque & ducenti anni; *non quia omnes ibi acti ſint, ſed quia ibi completi ſint: ita & hîc propterea interpoſitum eſt,* & in ſervitutem redigent eos & affligent eos quadringentis annis, *quoniam iſte numerus in eadem affliction impletus, non quia ibi univerſus peractus eſt.* Idem q. 47. in Exod. num. 6. *Quod,* inquit, *dixit Deus ad Abraham,* Sciendo Scias, quia peregrinum erit ſemen tuum in terra non propria, & in ſervitutem redigent eos, & nocebunt illis quadringentos annos, *non ſic accipiendum eſt, tanquam in illa duriſſima ſervitute quadringentos annos Dei populus fuerit: ſed quia ſcriptum eſt,* In Iſaac vocabitur tibi ſemen; *ex anno nativitatis Iſaac uſque ad annum egreſſionis ex Ægypto computantur anni quadringenti-quinque. Cùm ergo de quadringentis triginta, detraxeris viginti quinque qui ſunt à promiſſione uſque ad natum Iſaac, non mirum eſt, ſi quadringentos & quinque annos ſummâ ſolidâ quadringentos voluit appellare Scriptura, quæ ſolet tempora ita nuncupare, ut quod de ſumma perfectioris numeri paululum excreſcit aut infrà eſt, non computetur. Non itaque quod ait,* In ſervitutem redigent eos & nocebunt illis, *ad quadringentos annos referendum eſt, tanquam per tot annos eos habuerint in ſervitute; ſed referendi ſunt quadringenti anni ad id quod dictum eſt,* Peregrinum erit ſemen tuum in terra non propria: *quia ſive in terra Canaan, ſive in Ægypto, peregrinum erat illud ſemen, antequam hereditatum ſumerent terram ex promiſſione Dei, quod factum eſt poſteà quàm ex Ægypto liberati ſunt: ut hyperbaton hîc intelligatur, & ordo verborum ſit,* Sciendo Scias, quia peregrinum erit ſemen tuum in terra non propria quadringentis annis; *illud autem interpoſitum intelligatur,* Et in ſervitutem redigent eos & nocebunt illis; *ita ut ad quadringentos*

annos

annos ista interpositio non pertinet. In extrema etiam parte annorum summæ hujus, hoc est, post mortem Joseph factum est, ut in Ægypto populus Dei duram perageret servitutem.

7. *Et gentem cui servierint judicabo.* Id est, puniam. *Judicare pro punire* usurpatur passim. 2 Par. 20. v. 12. *Deus noster, ergo non judicabis eos?* Ps. 9. v. 20. *Judicentur gentes in conspectu tuo.* Atque hinc *judicium* pro *pœna*. Prov. 19. v. 29. *Parata sunt derisoribus judicia.* Id est, supplicia. Sic Exod. 12. v. 12. *In cunctis diis Ægypti faciam judicia.* Hoc est, summam pœnas de cunctis diis Ægypti.

8. *Et dedit illi testamentum.* Gr. διαθήκην, *pactum*. Q. d. Post promissa illa eximia jussit Abrahamum & posteros ejus circumcidi, ut ipsa circumcisio esset veluti sigillum fœderis cum eodem Abrahamo naturalisque ejus semine initi. *Hoc*, inquit Grotius, *ad propositum Stephani pertinet, ne crederetur circumcisionis obedientia causa fuisse promissorum.*

Et Sic. Circumcisus scilicet.

Genuit Isaac. Non ex vi naturæ, sed factæ sibi divinitùs promissionis, ut Isaacus propter promissionem datus esset arrha & umbra gratiæ per Evangelium dandæ.

Duodecim Patriarchas. Id est, tribuum autores. Vide quæ diximus supra cap. 2. v. 27.

9. *Et Patriarchæ æmulantes*, &c. Hîc obiter perstringit Stephanus invidiam patriarcharum, à quibus Judæi se oriundos esse gloriabantur, utpote qui servatorem ipsis à Deo ordinatum malevolentiâ invidiâque detestandâ vendiderunt Madianitis negotiatoribus, Gen. 37. v. 28. ut ipsum in Ægyptum abducerent. *Hæc est*, inquit Casaubonus, *servorum venditio, quam veteres vocabant*, ἐπ' ἐξαγωγῇ, *quum mancipia eâ lege vendebantur, ut in longinquas terras deportarentur*, Porrò tacitè insinuat Stephanus pari modo ab invida turba Judæorum Jesum Romanis fuisse traditum, ut cruci suffigeretur.

Et erat Deus cum eo. Q. d. Verùm Deus malum, quo fratres Josephum afficerant, *in bonum ei convertit*, Gen. 50. v. 20. ut & contigit in Jesu vestrâ invidiâ in crucem acto, suprà cap. 3. v. 18.

10. *Dedit ei gratiam & sapientiam.* Ἔδωκε δὲ αὐτῷ, id est, gratiosum eum fecit sapientiæ nomine. Gen. 41. v. 39.

In conspectu Pharaonis. Hoc est, apud Ægyptiorum Regem Pharaonem, quem Manetho sacerdos Ægyptius Mephramuthosin vocat. Justinus quoque ex Trogo lib. 36. cap. 2. Josephum Ægypti Regi percharum fuisse narrat. *Nam & prodigiorum*, inquit *sagacissimus, & somniorum primus intelligentiam condidit: nihilque divini juris humanique ei incognitum videbatur, adeo ut etiam sterilitatem agrorum ante multos annos providerit, periissetque omnis Ægyptus fame, nisi monitu ejus Rex edicto servari per mul-*

tos

vos annos fruges jussisset: tantáque experimenta ejus fuerunt, ut non ab homine, sed à Deo responsa dari viderentur.

Constituit eum præpositum super Ægyptum. Hoc est, in summam regni præfecturam illum evexit, Gen. 48. v. 43.

Et super omnem domum suam. Id est, Grotio interprete, *Fecit illum etiam aulæ suæ Magistrum, quales Majores domus Francis olim, Græcis Constantinopolitanis κεφαλατα, à cura palatii.* Sic Jesum Christum Deus præfecit aulæ suæ cælesti, dignitatémque ei a se proximam tribuit.

11. *Venit autem fames,* &c. Id est, *Rebus in Ægypto adversus famem benè compositis, orbem terræ gravis frumenti inopia quatiebat,* ut loquitur Sulpicius Severus sacræ hist. lib. 1. Sic nunc venit animi duritiei, cœcitas mentis & cibi cœlestis penuria super Ægyptios quâdam locutionis figurâ ita dictos, qui Christianam religionem ore tenus profitentur, & super Judæos qui Christum expelli, exterminari, ejici voluerunt.

12. *Misit patres nostros primùm.* Id est, primo sterilitatis anno. Q. d. Necessitate compulsus Jacob decem filios suos pro annona in Ægyptum mittit, Benjamin tantùm secum domi retento. *Sic Judæis,* inquit Daniel Brenius, *primâ legatione, quâ hactenus in Ægypto Spiritualiter sic dicta Deo velut fungi cogantur, Messias liberator licèt votis expetitus non agnoscitur, quia ob eum à se rejectum, & calamitates quas propterea sustinent, necdum ut oportet doluerunt.*

23. *Et in secundo.* Scilicet sterilitatis anno reversis ad Josephum pro annona ipsius fratribus.

Cognitus, &c. Id est, ipsis se cognoscendum præbuit Gen. 45. v. 1. Atque ita Pharaoni, seu Mephramuthosi genus Josephi innotuit. Josephi fratribus alterâ vice ad se reversis *Manifestatio,* inquit mox laudatus Brenius, *typicè nobis repræsentat, quòd Judæi calamitatibus tandem subacti, cùm alterâ rursus vice Evangelium de Jesu prædicabitur, famáque ejus per mundum latè spargetur, eum pro Messia agnoscent, ac vicissim Deus eos pro Messiæ fratribus agnoscens, per eum bonorum suorum participes faciet.*

14. *Mittens,* &c. Q. d. Jussu Regis Mephramuthosis fratres curribus, commeatu, muneribúsque instructos Josephus remittit ad patrem totámque ipsius familiam celeriter adducendam: *præmonens quinque adhuc annos famem futuram,* uti loquitur Sulpicius Severus sacræ hist. lib. 1. Vide Gen. 45.

In

in animabus septuaginta quinque. Id est, constantem septuaginta quinque capitibus. *Multum torsit interpretes,* inquit clarissimus Ludovicus de Dieu, *conciliatio hujus loci cum illo Gen. 46. v. 27. ubi septuaginta solùm animas domûs Jacobi, quæ intrarunt in Ægyptum, commemorat Moses.* At difficultatis parum est, si dicamus loca *non esse parallela.* Moses enim catalogum instituit, *in quo* unà cum Jacobo soli ejus posteri, & quidem ex femore ejus egressi, exceptis disertè filiorum uxoribus, v. 26. comprehendantur; ob quam causam non ii solum qui cum ipso Ægyptum actu sunt ingressi, sed & Joseph cum duobus filiis Ephraim & Manasse in Septuagenario numero continentur, etsi jam antè in Ægypto essent: quia & ex femore Jacobi nati, & è terra Canaan orti, peregrini in Ægypto degerent, adeóque meritò haberentur quasi cum Jacobo in Ægyptum introissent. Specialisque in eo catalogo ratio est, quod Judæ duo nepotes ex Phare, Hezron scilicet & Hamul, etsi nondum tum, ut ex serie temporis liquidò colligitur, sed posimodum in Ægypto nati, in numerum istum v. 11. referantur: ut nempe duorum filiorum Judæ Er & Onan jam defunctorum locum supplerent. Ob quam causam & Num. 26. v. 21. quum in reliquis tribubus non nepotes, sed soli filii constituant principes familiarum, in sola tribu Judæ, non modò filii ejus, Selah, Phares & Zerah, sed & nepotes Hezron & Hamul principes familiarum Judæ constituuntur, quasi filiis ejus accensiti. Nihil autem horum in oratione Stephani locum habet; non enim genealogia Jacobi instituitur, sed quosnam Josephus è terra Canaan in Ægyptum advocaverit, docetur. Verba sunt, ἀποστείλας δὲ Ἰωσὴφ μετεκαλέσατο τὸν πατέρα αὐτοῦ Ἰακὼβ, καὶ πᾶσαν τὴν συγγένειαν αὐτοῦ ἐν ἑβδομήκοντα πέντε ψυχαῖς. *Phares, quàm è femore Jacobi ortos accersivit, neque omnes è femore Jacobi ortos accersivit. Excludendi sunt ibi primò duo nepotes Judæ, deinde ipse Joseph cum duobus filiis; illos enim quippe nondum natos, se suósque filios quippe jam in Ægypto degentes accersere non potuit. Separatis istis quinque, deinde & patre Jacobo, qui seorsim a Stephano commemoratur, restant ex septuagenario Mosis numero sexaginta quatuor, nempe undecim fratres, una soror Dina, & quinquaginta duo fratrum filii, quibus si adjungas undecim fratrum undecim uxorem uxores, quas necessariò Josephus unà cum maritis accersivit, quæque ad* τὴν συγγένειαν *pertinebant, habes* πᾶσαν τὴν συγγένειαν αὐτοῦ ἐν ἑβδομήκοντα πέντε ψυχαῖς. *Æthiopicus vertit.* Et Joseph postquam cognovisset illud, jussit ut vocarent patrem suum, & totam cognationem

tionem ſuam. Et venerunt ad eum ſeptuaginta quinque animæ. *Quæ quidem verſio excludit Joſephum ejuſque liberos, quippe qui veniſſe ad eum dici nequeunt; ſed in eo peccat, quòd Jacobum etiam includat numero ſeptuaginta quinque animarum, quippe qui cum reliquis venit ad Joſephum. Soli autem cognationi competit iſte numerus. Nec obſtat dictus, quòd decem filiorum Benjamin, qui in numero quinquaginta duorum nepotum Jacobi cenſentur à Moſe Gen. 46. v. 21. aut nullos aut paucos tunc temporis ſuiſſe natos plerique exiſtiment, ideòque nec accenſitos recte à Joſepho dici poſſe. Respondere enim liceret, rectè ejus filios, etſi poſtmodum natos, in catalogum referri, ne ſolus inter omnes fratres ſine liberis cenſeatur. At nihil opus eò recurrere, quum ætas ejus omnes iſtos filios ferat. Joſeph enim erat trigenarius quum primùm ſiſteretur Pharaoni Gen. 41. v. 46. inter quod tempus & ingreſſum Jacobi in Ægyptum interceſſerunt ſeptem anni fertilitatis, & duo ſterilitatis Gen. 45. v 6. Nato autem Joſepho triginta novem annos, potuit Benjamin eſſe annorum triginta ſeptem, quâ ætate, præſertim ubi polygamia locum habebat, cur non decem filiorum pater eſſe potuerit? Hinc jam colligi poteſt, nec textui Moſaico ex verbis Stephani, nec verbis Stephani ex textu Moſaico ullum mendum eſſe aſcribendum, ſed pro diverſo inſtituto optimè dixiſſe ambos. Unde ſimul conſequitur corruptum eſſe textum LXX interpretum, qui Gen. 46. v. 27. pro ſeptuaginta habent ſeptuaginta quinque. Quod omninò à Chriſtianis ortum videtur, qui quum locum Stephani cum verbis Moſis conciliare non poſſent, & Stephano fidem omninò habendam eſſe crederent, textum Græcum Moſis emendarunt, aut verbis corruperunt, ut demonſtrari ſaltem poſſit, unde hæc S. Stephanus hauſerit. Corruptionis manifeſta ſunt indicia. Primùm enim, omnia exemplaria Hebræa, Joſephus 2 Antiq. 4. & vetus interpres Latinus non legunt niſi ſeptuaginta. Secundo, ipſi LXX interpretes Deut. 10. v. 22. ubi hæc hiſtoria repetitur, conſentiunt cum Hebræo, & non enumerant niſi ſeptuaginta. Tertio ut cum ſpecie aliqua veritatis interpolarent verſum, quem diximus vigeſimum ſeptimum, corruperunt etiam verſum vigeſimum, ubi contra fidem omnium exemplarium Hebræorum, & Samaritani, & veteris Latini, quinque alios addiderunt ex poſteris Joſephi, nempe Machir filium Manaſſis ex concubina Syra, & Machiris filium, Manaſſis nepotem, Galaad. Deinde Ephraimi filios duos, Sutalaam & Taam, filiumque Sutalaami unum, Ephraimi nepotem, Edem. Pro Taam autem Auguſtinus 16 civ. Dei 40. habet Bareth, ex 1 Paral. 7. in quo ſimul cavite obſervandum, nec Taami, nec Edemi ſieri mentionem, & Manaſſis, Machiris, atque Ephraimi plures recenſeri filios quàm quinque. Cur ergo apud Moſen quinque tantùm ex his excerpſerunt? Quia pluribus opus non habebant, qui numerum Stephani ſupplere apud Moſen voluerunt. At iidem illi, ſibi nequaquam conſtantes, v. 27. Manaſſe & Ephraimo cum quinque eorum filiis ac nepotibus addiderunt, etſi innominatos, duos alios. Nam pro, quod apud Moſen eſt,* Et filii Jo-

seph, qui nati erant in Ægypto, *sunt* נפש שנים animæ duæ, *LXX habent*, ψυχαὶ ἐννέα, animæ novem. *Unde colligendus postmodum erat numerus animarum quinquaginta septem; adeo ut omnia ibi sint corruptissima, nec ullâ fide digna. Nec absurdius quicquam tribui S. Stephano potest, quàm Josephum ad se accersivisse non se tantum & duos filios sibi præsentes, sed & tres nepotes ac duos pronepotes, longè post demum natos.*

15. *Et descendit Jacob in Ægyptum.* Divinitùs oblatis victimis confirmatus Jacob cum tota familia, ineunte tertio anno famis in Ægyptum descendit, annos natus centum triginta. Gen. 45. 46, 47, & Deut. 26. v. 5.

16. *Et translati sunt in Sicoem*, &c. Q. d. Patriarcharum quidem, qui cùm Jacobo in Ægyptum descenderant, ossa primùm Sichemam fuere translata, inde verò Hebronem transportata, & in Sepulchro, quod Abrahamus Gen. 23. v. 16. emerat à filiis Ephron, condita. Et hac ratione Sichemæ quidem fuerint cenotaphia, ut testatur oculatus testis Hieronymus in Paulæ epitaphio; in Hebron autem vera Patriarcharum Sepulchra, de quibus Josephus 2 Antiq. 4. τελευτῶσι δὲ αὐτῶν οἱ ἀδελφοὶ ζήσαντες εὐδαιμόνως ἐπὶ τῆς Αἰγύπτου· καὶ τέτων μὲν τὰ σώματα κομίσαντες μετὰ χρόνον αὐτῶν οἱ ἀπόγονοι καὶ οἱ παῖδες, ἔθαψαν ἐν Χεβρῶνι. τὰ δὲ Ἰωσήπου ὀστᾶ ὕστερον ὅτε μετανέστησαν ἐκ τῆς Αἰγύπτου οἱ Ἑβραῖοι εἰς τὴν Χαναναίαν ἐκόμισαν. *Moriuntur verò & fratres ejus quum feliciter in Ægypto vixissent; quorum quidem corpora post tempus aliquod posteri eorum & filii Hebronе sepeliverunt. Josephi autem ossa postmodùm quum ex Ægypto migrarent Hebræi, in Cananæam transportarunt.* Unde colligitur, undecim Patriarcharum corpora Hebronе, & quidem ante migrationem ex Ægypto fuisse humata. Josephi autem ossa seriùs, migrantibus ipsis, in Cananæam translata. Etsi enim undecim Patriarcharum corpora non statim ab ipsorum morte, sed μετὰ χρόνον, *interjecto tempore*, Hebronе sepulta dicat: Josephi tamen ossa solius dicit translata esse ὕστερον, *postea*, cùm ex Ægypto migrarent. Priorum ergo humatio contigit ante migrationem. *Quod*, inquit Clariss. Ludovicus de Dieu, *& ipsa series narrationis à Stephano institutæ arguere videtur. Quum enim primùm de Jacobi morte egisset, deinde de Patriarcharum morte, translatione & sepelitione, subjicit, appropinquasse deinde tempus promissionis Abrahamo factæ, adeoque auctum magno numero populum incurrisse Regis odium, & à Mose post tristissimas calamitates ex Ægypto eductum. Quæ sanè sic narrantur, ut post Patriarcharum sepelitionem contigisse videantur.*

In Sichem. Sicemus, seu Sicema Samariæ urbs aliquando metropolis, sita ad montem Garizim, autore Josepho in calce lib. 11. Antiq. Πάππον δὲ αὐτὸν πρὸς ὃς ἀφίκετο φιλαφρόνως

ἐκδεχόμενον, Σαμαρεῖται μητροπόλιν τότε τὴν Σίκιμα ἔχοντες κωμόπολιν πρὸς τῷ Γαριζὶν ὄρει, ἣ καλεῖται νῦν ὑπὸ τῶν ἀπὸ τόπου, τῶν τὰ Ἰουδαίων ἔθνος, ἰδόντες ὅτι τοὺς Ἰουδαίους Ἀλέξανδρος ὁ τύραννος τετίμηκεν, ἐγνωσαν αὐτὸς Ἰουδαίους ὁμολογεῖν, id est, *Cumque ab omnibus, ad quos accedebat, benignè exciperetur, Samaritæ, qui tunc Metropolim Sicima habebant, sitam ad montem Garizin & habitatam ab apostatis gentis Judææ, videntes quòd Alexander Judæos tam magnificè tractaverat, decreverunt se quoque Judæos confiteri.* Eundem situm ipsis dedit Benjamin Thudelensis in suo Itinerario, cui נבלש *Nebelas*, id est, *Neapolis* dicitur. Sic enim illius ætate eam appellabant. Plinius quoque lib. 5. cap. 13. inter Samariæ oppida commemorat Neapolim, quæ *antea Mamortha dicebatur*, inquit ille. Ejus nomen deflexum est ab Hebræo ad Græcum sermonem; שכם *Sechem* enim dicitur Hebraicè, cujus fit mentio Gen. 33 & 34. ubi narratur Simeonem & Levin filios Jacob propter stuprum Dinæ sorori à filio Regis Sichem illatum, cæpisse, atque universos mares unà cum Rege & ejus filio occidisse. Postea Abimelec Judicum 9. v. 45. funditùs delevit, & sale conspersit. Jeroboamus autem Rex Israel reædificavit, & in ea habitavit, ut Regnorum narrat historia, 3 Reg. 12. Partem agri à filiis Hemor patris Sichem Jacobus centum *Kesithis*, id est ovibus seu agnis comparasse legitur Gen. 33. v. 19. Hìc Josephus, cujus filiis in peculium cessit, sepulcus dicitur Jos. 24. *v.* 32. Ibidem loci, Deus fœdus suum cum Israelitis renovavit paulò ante mortem Josuæ, congregati Israelitæ Roboamum rogarunt ut jugi rigorem mitigaret, & Christus ad fontem Jacobi cum Samaritide est collocutus. Fuit olim urbs refugii & Levitarum Metropolis.

Et positi sunt in Sepulchro. Q. d. A Sichemitano agro Hebronem deportati in sepulchrum olim ab Abrahamo siclis quadringentis comparatum illati fuere.

A filiis Hemor. Verba ista non cum verbo *emit*, sed cum remotiore *positi sunt* construuntur: & sic præpositio A non venditores Sepulchri denotat, sed locum ipsum unde patriarchæ exportati in sepulchrum, quod Abrahamus emerat, collocari sunt. Clarissimus Ludovicus De Dieu *A filiis Hemor* interpretatur, *oper.à & adjumento filiorum Emmor patris Sichem. Quum enim*, inquit, *rerum adhuc in Cananæa potientibus peregrinis popalis inhumatio ea contigerit, adeóque periculum Hebræis patrum suorum cadivera inhumaturis crearì à Cananææ incolis potuisset, prudenter adeadum Sichemum se primum contulerunt, filiorúmque Emmor non modò opem postularunt, sed &, quò tutiùs perageretur, rem totam ipsis commiserunt, ut negotium hoc tanquam suum conficerent. Ita παρὰ τῶν υἱῶν Ἐμμὼρ τοῦ Συχέμ non erit construendum cum ὠνήσατο, sed*

cum ἐτίθεσαν. *Quam sententiam ob Josephi autoritatem* 2 *Antiq.* 4. *fateor apud me potiorem esse.*

Hemor filii Sichem. Hebraismus, id est, Hemor Sicemii seu Sicemitæ. In Græco elliptica est locutio, Ἐμμὼρ τοῦ Συχέμ, *Emmor Sichemi*, quæ variè suppleri potest pro diversa acceptione vocis *Sichem*, quà nunc persona, nunc locus in Scripturis designari solet. Si sumatur pro loco, palàm est incolam, si ad Emmor solum, vel si ad filios Emmor referatur, quod malim, incolas subaudiri: ut sensus sit, à filiis Emmor Sicemiis, hoc est, ab Emmoreis Sicemæ incolis. Sin Συχέμ hîc pro persona accipiatur, subaudienda est vox *patris*, & reddendum cum longè eruditissimo Beza, *a filiis Emmor Patris Sichem.* Emmor enim seu Hemor pater fuit Sichemi, non filius, utì constat ex gen. 33. v. 19. & Jos. 24. v. 32. Nec obstat quicquam quòminùs verba Græca id ferre possint, cùm similia apud probatos Græcos scriptores occurrant. Herodotus in Clio: Ἀδρήστου τοῦ Γορδίεω τοῦ Μίδεω, *Adrasti nepos Gordii, qui fuit pater Midæ.* Thalia: Κῦρος ὁ Καμβύσεω. *Cyrus Cambysis patr.* Ælianus 13. Var. 30. Ὀλυμπιὰς ἡ Ἀλεξάνδρου, *Olympias mater Alexandri.* Stephanus de Urbibus in voce Δαίδαλα. Ἡ δὲ πόλις ἀπὸ Δαιδάλου τοῦ Ἰκάρου ἡ ἐν Λυκίᾳ, *Urbs Lyciæ Dædala à Dædalo patre Icari condita*, vel ut doctissimus Thomas de Pinedo transtulit, *sic vocata fuit.* Quin & Luc. 24. v. 10. Μαρία Ἰακώβου, *Maria mater Jacobi* rectè redditur à Syro & utroque Arabe ex Mar. 15. v. 4. ubi expressè id habetur.

17. *Tempus promissionis.* Reddendæ.

Quam confessus erat Deus Abrahæ. Id est, quam Deus Abrahamo dederat, atque jure jurando firmaverat. Gr. ὡμοσεν, *jurârat.* Omnem vehementem Dei affirmationem *juramentum* dici ait Maimonides. Tale est, *Scito prænoscens.* Gen. 15. v. 13. id est, hoc certò scias. *At*, inquit Grotius, *codex ille, qui in Anglia, hîc habet* ὡμολόγησεν confessus erat, *quomodo legit & Latinus.*

Crevit populus & multiplicatus est in Ægypto. Q. d. Incredibilis fuit multiplicatio Israelitarum inde à descensu Jacobi in Ægyptum, ut spatio annorum circiter ducentorum sedecim memorentur ex septuagenis hominibus prognati masculi sexcenties & ter mille cum quingentis & quinquaginta, iidémque supra annum ætatis vicesimum, præter Levitarum duo & viginti millia, & mersos atque enectos à Pharaone enectos infantes, Exod. 38. v. 26. Num. 1. v. 46 & 47. 3. v. 39. illustris divinitùs consiliis Ægyptiorum. Non desunt alia citissimi incrementi exempla. Intra ducentos quinquagenos annos à diluvio adeo excrevit genus humanum, ut in exercitu Nini contra Bactrianos fuerint peditum septingenta millia, ducentáque millia equitum, refert Diodorus Siculus ex Ctesia. 18. *Quo-*

18. *Quoadusque surrexit alius Rex in Ægypto*, &c. Usserius in Annalibus ad Annum Mundi bis millesimum quadrigentesimum vigesimum septimum, *Ramesses Miamun*, inquit, *est Rex ille novus, qui non agnoscebat Josephum: post mortem illius natus, & memoriam beneficiorum ejus libenter abjiciens. Hujusque consilio Ægyptii sibi ab Israelitis metuentes, durâ eos servitute opprimebant: præter domesticas & rusticas operas, & regiorum armamentariorum extructione illis impositâ, urbium nempe* Pithomi *&* Raamsis *vel Ramessis, Exod.* 1. *v.* 8 *&* 14. *Act.* 7. *v.* 18 *&* 19. *quarum unam Regis conditoris nomen prætulisse* Mercator *existimat, alteram fortè Reginæ.*

19. *Hic circumveniens genus nostrum.* Id est, captiosè ex liberis hominibus vilia faciens mancipia.

Affixit patres nostros. Scilicet quàm gravissimè.

Ut exponerent infantes suos. Q. d. Ita ut ipsi cogerentur infantes suos mares rapacibus undis exponere. *Impius Rex*, inquit Usserius, *quum Shiphræ & Puæ Hebræarum obstetricibus de masculis infantibus clàm tollendis frustrà præcepisset, immane de pueris Israeliticis submergendis edictum promulgavit, Exod.* 1. *v.* 15 *&* 22. *tempore inter Aaronis & Mosis nativitatem interjecto.*

Ne vivificarentur. Id est, ne in vita servarentur. ζωογονεῖν *vivificare*, ut apud Hebræos החיה, Syros אחי, & Arabes אחיא non tam significat, *vitam de novo dare*, quàm *acceptam conservare.* Quo sensu Exod. 1. v. 17. καὶ ἐζωογόνουν τὰ ἄρσενα, *& in vita servabant mares*, ubi in Hebræo est, ותחיין את הילדים, *& vivificabant natos.* Rursus v. 18. καὶ ἐζωογονεῖτε τὰ ἄρσενα, *& in vita conservastis mares.* Heb. ותחיין את הילדים, *& vivificastis natos.* Similiter v. 22. πᾶν θῆλυ ζωογονεῖτε αὐτὸ, *omnem femellam in vita servate.* Heb. וכל הבת תחיון, *omnem verò puellam vivificate.* Ezechiel poeta Judæus ntiquissimus, cujus meminere Clemens Alexandrinus Strom. 1. & Euseo. lib. 9. præpar. Evang. in tragœdia de Mose Græcè & Latinè edita à Frid. Morello Parisiis 1609. optime videtur sensum hujus versûs exprimere his verbis.

Δόλον καθ' ἡμῶν πολὺν ἐμηχανήσατο
Βασιλεὺς Φαραώ. τοὺς μὲν ἐν πλινθεύμασιν,
Οἰκοδομίαις τε βάρεσιν ἀεικίζων Βροτοὺς,
Πόλεις τε Πύργου σφῶν ἔχητι δυσμόρων.
Ἔπειτα κηρύσσει μὲν Ἑβραίων γένει
Τ' ἄρσενικα ῥίπτειν πωταμὸν ἐις Βαθυῤῥόον.

At Rex Pharao texta multiplicis doli
Orditur in nos: plurimos mortalium

Dum lassat operis coctilis molimine,
Urbes labore muniens miseri gregis.
Post hæc Hebræis imperat, sexûs maris
Natum quod esset, amnibus rapidis dare.

20. *Eodem tempore.* Quo nimirùm Israelitæ pueros recens editos aquis mergere edicto regio cogebantur.

Natus est Moyses. Usserius ad annum mundi bis millesimum quadringentesimum trigesimum tertium: *Jocebeda, annis quadraginta octo post mortem patris sui Levi, Amramo nepoti & marito suo Mosem peperit. Erat enim octoginta annorum Moses cùm alloqueretur Pharaonem de dimittendis Israelitis ex Ægypto, Exod 7. v. 7. & quadraginta post exitum eorum annis, quum mense duodecimo moreretur, annorum erat centum viginti, Deut. 31. v. 2. & 34. v. 7.*

Et fuit gratus Deo. Hoc Terentius diceret, Et vultu fuit adeò venusto, ut nihil suprà. *Gratus ἀτεῖος*, inquit Grotius, *est ex Græco Exodi 2. v. 2. Ubi in Hebræo* טוב *elegans.* Τῷ θεῷ *Deo, quod hic additur est Hebraismus* לאלה ם *Deo, id est, valde.* Vide sis quæ ipsi adnotavimus Jon. 1. v. 2. ad hæc verba, *civitatem grandem.* Venustatem & pulchritudinem Mosis ex Trogo lib. 36. cap. 2. Justinus commemorat. De ea sic Josephus 2 Antiq. 5. οὐδεὶς ἀφιλοθέαντος ἦν οὕτως, &c. *Nemo erat tam negligens formarum spectator, qui conspectû Mosis pulchritudine non stupesceret, multisque ei per viam portato occurrentibus obtigit, ut non solùm ad pueri faciem resuscitarent, sed & negotiis relictis, conspectu ejus sese pascerent. Tanta enim erat pueri gratia, ut intuentes in se detineret.*

Qui nutritus, &c. Q. d. Magna parentum Mosis fides vicimetus omnes atque ita contra impium Regis edictum trimestri spatio eum domi occultaverunt, Exod. 2. v. 2. Heb 11. vi 23.

21. *Exposito,* &c. Q. d. Cùm propter diligentem inquisitionem à Rege actam, & vicinos Ægyptios celari diutiùs puerulus non posset, in fiscella scirpea bitumine & pice oblita positum mater in carecto ripæ fluminis exposuit: stante procul Miriam seu Mariâ infantis sorore, & considerante eventum rei. Eum sic expositum reperit filia Pharaonis, quam Thermutin Josephus 2 Antiq. 5. Epiphanius in Panario & alii nominant, atque per infantis sororem ad flumen stantem ad se accersitæ Jocebedæ ejusdem matri lactandum tradidit, adoptatúmque filii loco habuit, Exod. 2. Atque ita, *Manus filiæ Pharaonis, servant paternæ sævitiæ vindicem,* inquit Augustinus. Addit Philo Thermutin unicam fuisse Pharaonis heredem, diúque nuptam, cùm sine ulla prole esset, finxisse se gravidam,

ut

ut Mosen peperisse non ascivisse filium crederetur. Id fortassis innuitur Heb. 11. v. 25. ubi Moses grandis factus dicitur negasse se esse filium filiæ Pharaonis. Apud Josephum tamen 2 Antiq. 5. Thermutis coram Rege patre suo profitetur Mosen filium suum non nativum sed ascitum ἐμαυτῆς μὲν ἡγησάμην παῖδα ποιήσασθαι τῆς δὲ Βασιλείας διάδοκον, *quem decrevi adoptare mihi filium, tibi verò in imperio ac principatu successorem*, subdit ibidem Josephus Mosen infantem diadema sibi per jocum à Rege impositum in terram abjecisse atque pedibus conculcasse. Hinc vitæ periculum instinctu Ægyptiorum sacerdotum incurrisse, sed à Thermuti servatum.

22. *Et eruditus*, &c. Apud Ezechielem Tragicum sic Moses de se loquitur:

Ἕως μὲν οὖν τὸν παιδὸς εἴχομεν χρόνον,
Τροφαῖσι Βασιλικαῖσι καὶ παιδευμάσιν
Ἅπανθ' ὑπισχνεῖθ', ὡς ἀπὸ σπλάγχνων ἐών.

Puerilem itaque nos quamdiu ætatem egimus,
Sic disciplinis imbuit regaliter,
Aluitque, tanquam natus ex ipsa forem.

Moyses. In circumcisione Joachimi nomen accepisse, cùm verò in cœlum esset receptus Melchi tradit Clemens Alexandrinus Strom 1. unde habeat incertum. In Antiquitatibus Philonis dicitur à matre nominatus Melchil. Thermutis eum Mosen, id est, *eductum* seu *extractum*, scilicet ex Nili aquis, à משה *extraxit, eduxit*, Exod. 2. v. 10. nuncupavit. Josephus credit Mosen nuncupatum ex Ægyptiaco Μῶ *aqua, & ὑσῆς servatus*, quod ab הושע. A μῶ etiam fuerit Monius, quomodo ab Ægyptiis dictum ait Abenezra. *Imò*, inquit eruditissimus Hofmannus in Lexico universali, *in quibusdam Orphæi versibus dicitur ὑδρογενὴς, hoc est, ὑδατογενὴς, quasi dicas* Aquigena. *Salmasius autem ep. 60. Mosis etymon planè Ægyptiacum esse putat*, & ad verbum sonat, *inquit ἀναληφθεὶς ἐξ ὕδατος, assumtus ex aqua*, ut vetus poeta apud Eusebium autor est, hoc est, Μωυσι. Μωὺ enim in illa lingua *aquam* significat. *σὶ assumere.*

Omni sapientiâ Ægyptiorum. Sapientia veterum Ægyptiorum maximè versabatur in Hieroglyphicis & Mathematicis disciplinis. Geometriæ inventio, cùm Nili inundatione limites agrorum difficulter distingui possent, illis tribuitur.

Et erat potens in verbis & operibus suis. Q. d. Erátque omni doctrinâ & virtute ornatissimus homo.

23. *Cùm autem impleretur ei quadraginta annorum tempus.* Bereshith Rabba fol. 115. col. 3. *Moses egit annos quadragenos in aula Pharaonis, & quadragenos in* Midian: *totidémque annis ministravit Israeli.* Vide & Shemoth Rabba fol. 118. col. 3. Quòd annum ætatis quadragesimum egerit Moses, Scriptura nusquam refert. Josephus bello Æthiopico Imperatorem fuisse narrat 2 Antiq. 5. & obsessâ Sabâ, Regis filiam, cui nomen Tharbis, amore ejus captam duxisse. Quicquid hoc bellum est, quod Theodoretus & alii fabulosum vocant, dubium non est quin Moses multa de se humilitatis studio prætermiserit. Neque enim fit verisimile eum totis quadraginta annis, quibus in aula vixit quasi princeps, languori & desidiæ se dedisse.

Ascendit in cor ejus ut visitaret, &c. Q. d. Ex novo ac insolito Spiritûs impulsu accidit ei voluntas fratres suos Israelitas laboribus fractos invisendi. Philo ait Mosen sæpiùs invisere solitum Israelitas laboribus ingementes, eósque consolatione sustentâsse, atque operarum præfectos admonuisse lenitatis. Hinc suspectum fuisse purpuratis & Regi velut nova moliretur.

24. *Et cùm vidisset quendam.* Hebræum videlicet, quem Rabbi Salomon, quâ autoritate nescio, ait fuisse maritum Salumith filiæ Dibri de tribu Dan, quæ memoratur Levitic. 24. v. 11.

Injuriam patientem. Id est, injuriosiùs tractarum verberibus, Exod. 2. v. 11. Ægyptium qui verbere sæviebat in Hebræum istum, putant fuisse unum ex præfectis regiis, qui operas Israelitarum exigebant, morásque cessantium castigabant. Addunt Judæi, hunc Ægyptium adulterium commisisse cum uxore istius Israelitæ, qui ipsius injuriam insectans verbis, ab ipso coercitus est verberibus.

Vindicavit illum. Hoc est, justâ ultione illius securitati consuluit. Nam tum non erat judex qui posset injuriam avertere, & injuria erat præsens, nec moram temporis patiebatur. Multi tamen veterum, quos inter Aug. lib. 22. contra Faustum cap. 60. & seqq. Mosen nimii zeli & præcipitantiæ accusarunt. Oecumenius in epist. Judæ tradit diabolum de corpore Mosis, tanquam sepulturâ indigno eâ imprimis ratione litigasse, quòd Ægyptium injustè occidisset.

Ægyptio percusso. Modum quo percusserit Scriptura non expressit. Hebræi etiam prisci, teste Clem. Alex. 1 Strom. fictâ & commentitiâ fabulâ tradunt Ægyptium occisum à Mose non gladio, sed nuda nominis יהוה in eum prolatione. Quomodo Petrus solo verbo Ananiam & Sapphiram occidit. Sulpicius Severus sacræ historiæ lib. 1. *Moses,* inquit, *cùm viriles annos ageret, conspicatus Hebræum ab Ægyptio pulsari, permotus dolore, fratrem ab injuria vindicans, Ægyptium calce percussum interemit.*

25. *Exisli-*

25. *Existimabat*, &c. Q. d. Ex tam promto ipsius animo ad fratres suos ab iniquè injuriis hostibus tuendos, rebatur illos intelligere se ipsius ministerio ex Ægyptiorum tyrannide olim à Deo liberandos; quod tamen illi neutiquam intellexerunt. Hoc Stephani testimonio videtur Ægyptium occidisse Moses, conscius vocationis suæ ad Israelitas durâ Ægyptiorum servitute liberandos. Quod Scriptura Exod. 2. v. 12. tacet. Id jam olim observavit Augustinus quæst 2. in Exodum.

26. *Sequenti verò die.* Id est, postridie quàm Moses Ægyptium interemit, interemtúmque arenâ obruit.

Apparuit illis litigantibus. Id est, *conspexit duos Hebræos rixantes*, utì loquitur Vulgatus interpres Exod. 2. v. 13. Hebræos hos duos qui inter se rixabantur, Jonathan & Rabbi Salomon aiunt fuisse Dathan & Abirom.

Et reconciliabat eos in pace. Gr. *καὶ συνήλασεν αὐτοὺς εἰς εἰρήνην, & compulit eos in pacem.* Hoc est, omni studio ab ipsis contendebat, ut alter cum altero in gratiam rediret. *Conatui*, ait Grotius, *datur nomen effectûs: deinde vox quasi vim significans agentis instantiam significat, ut ἀναγκάζειν* compellere, *Luc.* 14. *v.* 23. & *παραβιάζεσθαι* cogere, *Luc.* 24. *v.* 29. Vide similes locutiones Gen. 19. v. 3. 33. v. 11. Vulgat. 12. Mat. 14. v. 22. Mar. 6. v. 45. Gal. 2. v. 14.

Dicens, &c. Non ipsa laudat verba, quæ in proximum injurioso dixisse Moses refertur Exod. 2. v. 13. Sed sensum benè exprimit. *Nam*, inquit Grotius, *ibi ὁ πλησίος* proximus, *qui hîc ἀδελφὸς* frater, *popularis, eisdem ortus majoribus.*

27. *Qui autem injuriam faciebat proximo.* Hic in veritate Hebraica Exod. 2. v. 13. vocatur רשע *improbus*, cui mala mens est & malus animus. *Æquitas imperat*, inquit Aristoteles lib. de arte oratoria, *ne pari loco habeamus injurias & culpas, neque item culpas & infortunia. Infortunia autem sunt, quæ nec provideri potuerunt, nec improbo animo admittuntur, culpæ, quæ provideri potuerunt, non tamen improbo animo fiunt; injuriæ, quæ & destinato & animo improbo.*

Quis te constituit, &c. Chrysostomus 2 Cor. 7. v. 13. de Mose: *καὶ πρὸ τῆς χειραγωγίας δημαγωγὸς ἦν διὰ τῶν ἔργων, διὸ καὶ σφόδρα ἀνοήτως ἔλεγε πρὸς αὐτὸν ὁ Ἑβραῖος ἐκεῖνος, τίς δὲ κατέστησεν ἄρχοντα καὶ δικαστὴν ἐφ' ἡμᾶς; τί λέγεις; τὰ ἔργα ὁρᾷς, καὶ περὶ τῆς προσηγορίας ἀμφιβάλλεις, ὥσπερ ἂν εἴ τις ἴδοι τέμνοντα τὸν ἰατρὸν ἄριστα, καὶ τῷ πεπονηκότι μέλει τοῦ σώματα Βοηθοῦντα, λέγοι, τίς σε κατέστησεν ἰατρὸν καὶ τέμνειν ἐκέλευσεν; ἡ τέχνη ὦ Βέλτιστε καὶ ἡ νόσος ἡ σή; οὕτω καὶ τοῦτον ἡ ἐπιστήμη τοιοῦτον ἐποίησε. καὶ γὰρ τέχνη τὸ ἄρχειν ἐστὶν, οὐκ ἀξίωμα μόνον καὶ τέχνη τεχνῶν πασῶν ἀνωτέρα. Etiam antequam manu populum educeret, duxerat ipsis factis. Valde igitur stultè Hebræus ille ei dixit:*

dixit: Quis te constituit nobis principem ac judicem? Quid dicis? Facta vides, & de nomine facis controversiam; velut siquis medicum videat optimè secantem ac sic opitulantem ægro corporis membro, deinde ei dicat, Quis te constituit medicum, quis secare præcepit? Ars, ni bone vir, & morbus tuus. Sic & Mosen sua peritia talem fecit. Nam & imperare non dignitas tantùm est, sed & ars, & quidem artium omnium sublimissima. Tractat idem Ecclesiarum Magister hoc ipsum argumentum ad Ephes. 3. in fine: ἡ ἀδικία ἡ σὴ καὶ ἡ ὠμότης σοῦ, ὅτι με κατέστησεν ἄρχοντα καὶ δικαστήν. *Tua*, inquit, *injustitia, tua feritas me constituit principem ac judicem.*

29. *Fugit autem Moses in verbo isto.* Q. d. Moses hac exprobratione intelligens cædem Ægyptii in Hebræum injurii à se jure factam esse palàm, ne id ipsi malum aliquod crearet, metuens fugit. *Ægyptii*, ut Grotius advertit, *Hebræos servorum, imò pecudum habebant loco, in quos nullam cadere injuriam credi volebant.*

Et factus est advena in terra Madian. Hoc est, in regione Madian exulavit. Eusebius in locis duas urbes memorat ejus nominis. Prior est trans Arabiam ad meridiem in deserto Saracenorum contra Orientem maris Rubri: unde vocantur *Madianæi* & *Madianæa* regio. Altera est juxta Arnonem & Areopolim, cujus nunc ruinæ tantummodò demonstrantur. In hac Mosem exulasse scribit autor eruditus sub Hieronymi nomine in lib. de locis Hebraicis Act. Apost.

Ubi genuit filios duos. Q. d. Ubi ductâ in uxorem Sephorâ seu Zipporâ Hobabi sive Jethronis filiâ, Raguelis Nepte, *ex ea duos filios, Gersom et Eliezer, sustulit*, uti loquitur Sulpicius Severus lib. 1. Hist. Sac.

30. *Et expletis annis quadraginta.* In exilio scilicet Madianitico.

Apparuit illi. Mosi nimirùm pascenti gregem Jethronis soceri sui.

In deserto montis Sina. Ubi lætiora pascua erant, Ad Austrum Judææ sunt סִינַי Es. 49. v. 12. *Sinæi*, ut vulgatus interpres transtulit סִינַי Gen. 10. v. 17. unde nomen habet deserta regio *Sin*, & in ea mons *Sinai* Exod. 16. v. 1. Porro notum est eundem montem & Horeb & Sinai dici, ita tamen ut Orientem versus propriè *Sinai*, quâ autem parte vergit ad Occasum, Horeb dicatur.

Angelus. Heb. Exod. 3. v. 2. מלאך יהוה, *Angelus Jehovæ*, id est, Angelus summi Dei agens nomine.

In igne flammæ rubi. Gr. ἐν φλογὶ πυρὸς βάτου, *in flamma ignis rubi*, hoc est, specie ignis flammantis ostendit Deum in Legato suo venire ultorem injuriarum, quibus Ægyptii populum suum affecerant; rubus autem non usta imago erat populi ejusdem inter illas impiorum calamitates superstitis futuri.

31. *Moyses autem videns.* Rubum videlicet ardentem noncomburi.

Ad-

Admiratus eſt viſum. Attonitus novitate ac miraculo.

Et accedente illo. Ad rubum.

Ut conſideraret. Id eſt, ut eam propiùs inſpiceret.

Facta eſt ad eum vox Domini. Q. d. Ad eum iſtiuſmodi ferè verbis Angelus Dei Legatus eſt locutus. Variis multiplicibúſque modis Deus locutus eſt Patribus; at per Filium ultimis demùm temporibus ad nos cœpit loqui Heb. 1. v. 1.

32. *Ego ſum Deus,* &c. Athanaſius Orat. 6. ἀλλ' οὐκ ἦν ὁ ἄγγελος ὁ θεὸς Ἀβραάμ. ἐν δὲ τῷ ἀγγέλῳ λαλῶν ἦν ὁ θεός, καὶ ὁ μὲν φαινόμενος ἦν ἄγγελος, ὁ δὲ θεὸς ἐν αὐτῷ ἐλάλει, *At Angelus ille non erat Deus Abraham, ſed in Angelo loquebatur Deus: & qui conſpiciebatur erat Angelus: Deus autem in illo loquebatur.* Autor reſponſionum ad orthodoxos apud Juſtinum Martyrem quæſt. 112. τῶν ἀγγέλων ὅσοι ἐν τάξει θεῦ ὤρθησαν, ἢ ἐλάλησαν τοῖς ἀνθρώποις, ἐσχήκασι καὶ αὐτοί, τὸ θεῦ τὴν κλῆσιν, ὡς ὁ λαλήσας τῷ Ἰακὼβ καὶ τῶ Μωυσῆ. ἐκλήθησαν δὲ καὶ οἱ ἄνθρωποι θεοὶ ἑκατέροις δὲ διὰ τὴν ἐγχειρισθεῖσαν αὐτοῖς χρείαν ἐδόθη τὸ θεῦ τὴν τάξιν καὶ τὴν προσηγορίαν ἔχειν. Πληρωθείσης δὲ τῆς χρείας παύονται τὸ καλεῖσθαι θεοὶ οἱ χρείας τινος ἕνεκεν ἐκλήσθη τὸ θεῦ τὴν κλῆσιν. *Angelorum, qui Dei loco viſi aut locuti ſunt hominibus nomine ipſius Dei nuncupati ſunt, ut ille qui Jacobo, qui que Moſi eſt locutus. Quin & homines Dii vocantur. Utriſque ob officium ipſis injunctum datum eſt, & Dei vicem & nomen obtinere. Expleto autem officio deſinunt vocari dii qui tantùm operæ alicujus cauſâ id nomen acceperunt.*

Deus Abraham, Deus Iſaac, et Deus Jacob. Cùm Deus alicujus Deus dicitur eſſe, intelligitur eſſe fautor illius liberaliſſimus & beneficentiſſimus, ut ſatis patet ex iſta fœderis formula Levit. 26. v. 12. *Ero Deus veſter, voſque eritis populus meus,* quam laudat Paulus 2 Cor. 6. v. 16. & ex peculiari fœdere cum Abrahamo Iſaaco & Jacobo inito Gen. 17. v. 7 & 8. Jam in hac vita illis commoda quidem aliqua ſed multis incommodis permixta acciderunt. Nam neque terras ullas proprias habuerunt, ſed cum familia ac gregibus huc illuc ſunt vagati, non rarò etiam conflictati cum hominum fortunæque injuriis. Unde & Jacobus hoſpitem & peregrinum ſe vocabat, Pharaonem alloquens, quod meritò urget autor epiſtolæ ad Hebræos cap. 11. v. 13. Reſtat ergo ut Deus Abrahami, Iſaaci, & Jacobi Deus fuerit, non modò cùm in terris agerent, ſed etiam cùm ad Moſem Deus ita loqueretur. Nam, ut dixi, in hoc ævo nihil illis contigerat quod tanti magnificentiam nominis impleret. Deinde verò propter quem benefacimus aliis, ei multò magis benefacimus ſi poſſimus. Deo poteſtas non deeſt, & dicit ſe benefacturum poſteritati propter Abrahamum, Iſaacum & Jacobum: multò ergo magis ipſis benefaciet. Beneficii autem capaces

non

non sunt qui mortui sunt, si perpetuò in mortis statu sunt mansuri. Sequitur ergo restituendos eos esse in vitam, utì Christus hinc contra Sadducæos evicit Mat. 22. v. 32. Mar. 12. v. 27. Luc. 20 v. 38. ut peculiariter atque eximiè Deus Abrahami, Isaaci & Jacobi Deus, hoc est, beneficus in illos esse possit. Porro Abrahaham, Isaac & Jacob, ut ad locum laudatum Matthæi adnotavimus, non animum significant, quæ pars tantùm est Abrahami, Isaaci & Jacobi, sed personam constantem animo & corpore, cui propriè mors & vita tribuitur. Cùm autem Dei promissa non minùs certa sint rebus præsentibus, Deo volenti ac potenti eos à mortuis excitare jam revixisse censentur, juxta illud Luc. 20. v. 38. *Omnes enim vivunt ei.* Origenes lib. 4. contra Celsum ait Abrahami, Isaaci & Jacobi nomina cum Dei nomine conjuncta habere vim tantam, *ut non solùm ab eorum posteris admisceantur sacris precationibus, & in excantando dæmonas invocetur Deus Abrahami, Isaaci & Jacobi, sed usurpentur ab omnibus incantatoribus & magiam tractantibus.*

Non audebat considerare. Id est, intueri & contemplari. Nempe utì Grotius adnotat, *sensuum internorum & externorum vocabula inter se commutari solent.* Heb. Exod. 3. v. 6. *Et abscondit Moses faciem suam, quia timuit aspicere ad Deum.* ויסתר משה פניו כי ירא מהביט אל האלהים

33. *Dixit autem illi Deus.* Id est, Angelus à Deo legatus. Philoni in Decalogi enarratione dicitur Deus locutus non per se, sed ψυχὴν λογικὴν ἀναπλέων σαφηνείας καὶ τρανότητος, ἣ τὸν ἄερα σχηματίσασα καὶ ἐπιτείνασα, καὶ πρὸς πῦρ φλογειδὲς μεταβαλοῦσα, Καθάπερ πνεῦμα διὰ σάλπιγγος φωνὴν τοσαύτην ἔναρθρον ἐξήγησεν. *Mentem quandam rationalem implens perspicuâ cognitione, quæ aerem formans atque attenuans velut in ignis fiammantis speciem, tanquam spiritus per tubam, vocem edidit distinctam.*

Solve, &c. Hoc Exod. 3. priùs Mosi dictum refertur, quàm Deus per Angelum à se legatum ei dicit, se esse Deum Abrahami, Isaaci, & Jacobi. Vide quæ diximus ad Ecclesiastæ 5. v. 17.

34. *Videns vidi.* Q. d. Quàm maximè intentis Oculis, ut aiunt, acerrimè sum contemplatus. Dicitur autem Deus *videre afflictionem populi gemitúmque audire,* dum afflictum & profligatum mœrore erigit atque recreat: sicuti *claudere oculos, clamorem non exaudire, tergum obvertere,* dum gemebundos negligere videtur. *Eadem est ratio descensûs,* inquit Calvinus. *Minimè opus est, ut se Deus loco moveat opis ferendæ causâ: manus enim ejus per cœlum & terram extenta est; sed hoc ad sensum nostrum refertur: nam quum afflictionem populi non curaret, procul abesse & curare aliud in cœlo videri poterat. Nunc denuntiat Israelitas propinquum sibi sensuros.*

Et

Et nunc veni, &c. Q. d. Iter ergo ſuſcipe ad Amenophim patrem Sethoſis ſive Rameſſis, & Aramais, filiúmque Rameſſis Miamûn, qui patri anno regni ſui ſexageſimo ſeptimo defuncto abhinc annos decem & novem in Ægypti imperium ſucceſſit, ducémque te populi in libertatem reſtituendi præſta. *Quem Ægyptii Amenophim, patrum Sethoſis ſive Rameſſis, & Armais appellant, eundem à Græcis appellari Belum, Ægypti & Danai genitorem*, ex Manethone clariſſimè colligit Uſſerius ad annum mundi bis milleſimum quadringenteſimum nonageſimum quartum. *Et Buli certè tempus à Thallo Chronographo aſſignatum, trecentis duobus & viginti annis ante Trojanam cladem, Theophilo Antiocheno & Lactantio referentibus, cum Amenophis noſtri ætate exactè congruit. Licèt Mythologi, Belum Ægyptium & Belum Aſſyrium Nini patrum confundentes, à Belo hoc, qui in Erythræo mari ſubmerſus eſt, colonias ex Ægypto in Babyloniam traductas fuiſſe fabulentur.* Hæc clariſſimus Uſſerius loco mox laudato.

35. *Hunc Moyſem*, &c. Moſes liberator à Deo Iſraelitis deſtinatus, primâ vice ab illis rejicitur, Chriſtum ſic adumbrans, quem primo ſuo adventu Judæorum maxima pars agnoſcere recuſavit. Neque alio ſenſu λυτρωτὴς *redemtor* hìc vocatur Moſes, niſi quia poſt multa magnáque in Ægypto patrata miracula, interemtis tandem ab Angelo exterminatore Ægyptiorum primogenitis, populum Dei per Sanguinem agni immunem, incolumémque eduxit ac ſervavit. *Atque ita*, inquit Ludovicus de Dieu, *typum exhibuit veri illius lytri, veræque redemtionis, quam per mortem primogeniti omnium creaturarum, & in ſanguine agni immaculati Chriſti acquiſitam ſibi gaudent fideles.*

Miſit cùm manu Angeli. Hebraiſmus, id eſt, mandato ei dato per Angelum.

36. *Hic eduxit illos.* Latè prædicat & beneficia quæ Moſes populo præſtitit, & honores quos à Deo accepit; ut eò turpior appareat populi in ipſum contumacia, minúſque mirabile, ſi ingratificis orti parentibus adeò ingrati & inhumani in Jeſum fuerint.

Faciens prodigia & ſigna in terra Ægypti. Regia Ægypti tunc temporis erat צֹעַן *Tzoan*, id eſt Chaldæo Paraphraſte interprete Eſ. 19. v. 13. תָּאנִיס *Tanis*, unde nomen habet Taniticum oſtium Nili, quod nonnulli Saiticum vocant, teſte Strabone lib. 17. Ibi miracula facta per Moſen teſtatur Aſaph, Pſ. 78. v. 12.

Et in Rubro mari. Proletarii reipublicæ literariæ exiſtimant ſic vocatum fuiſſe, quod ejus aquæ rubeant, cùm tamen hoc mare ex Q. Curtii lib. 8. cap. 9. colore non abhorreat à ceteris; *Ab Erythra Rege*, ait idem ibidem, *inditum eſt nomen, propter quod ignari rubere aquas credunt.* Id ipſum aſſerit Agatharchides in excerp-

cerptis ex lib. 1. de Mari Rubro cap. 2. apud Photium in Bibliotheca Cod. CCL. Ille Erythras, à quo nomen accepisse dicunt, est Esau, qui à rubore *Edom* fuit nuncupatus Gen. 25. v. 25. Nomina verò Ἐρυθρὰ θάλασσα sunt *Erythras* Græcè, *Edom* Hebraicè, *Ruber* Latinè, *Red* Anglicè, *Rouge* Gallicè; unde apud Græcos Ἐρυθρὰ θάλασσα, apud Latinos *Rubrum mare*, apud Anglos *Red sea*, apud Gallos *mer Rouge* dicitur; sed in Sacra Scriptura ים סוף *mare algosum* vocatur, quòd algâ abundaret; alluebat verò אדום ארץ, id est, Idumæam. Hoc in mari Salomon Rex classem illam instruxit, cujus fit mentio 1 Reg. 9. v. 26.

In deserto annis quadraginta. Tempus hoc respondet annis, quibus Christus post sui pro nobis in cruce immolationem victimâ paschali adumbratam, Judæos factis divinitùs prodigiis Apostolorum suorum ministerio, ad fidem & pœnitentiam invitare non destitit.

37. *Hic est Moyses*, &c. Q. d. Idem hic Moyses Deut. 18. v. 15. manifesta signa vobis dedit, per quæ verus propheta dignosci possit, atque ita Jesum vobis commendavit, in quo hæc signa longè illustriora quàm in ceteris emicant. Vide quæ diximus suprà cap. 3. v. 22.

38. *Fuit in Ecclesia*, &c. Q. d. In concione & conventu populi in deserto fuit internuntius Angeli ipsum alloquentis in monte Sina, & patrum nostrorum circa ima ejusdem montis consistentium. Vide Exod 19. *Quod*, inquit Beza, *mox subjicitur de colloquio cum Angelo in monte Sina, & acceptis Legis tabulis, videtur manifestè ostendere speciale quendam universi populi conventum, eam videlicet historiam quæ commemoratur ab Exod. cap. 19. ad 35.*

Cum Angelo qui ei loquebatur. Dei nomine & mandato speciali. Joseph. 15 Antiq. 8. ἡμῶν δὲ τὰ κάλλιστα τῶν δογμάτων καὶ τὰ ὁσιώτατα τῶν ἐν τοῖς νόμοις δι' ἀγγέλων παρὰ τοῦ θεοῦ μαθόντων, *cùm nos dogmatum potissima, & sanctissimam legum partem per Angelos à Deo acceperimus.* Lex data per Angelos ministerio internuntii, Mosis scilicet, ut valeret, donec veniret semen promissum, Gal. 3. v. 19. Et ad Hebræos scriptor Evangelium eò præfert Legi, quòd Evangelium per Dominum Jesum datum est, Lex per Angelos tantùm, Heb. 2. v. 2. *Quibus in locis*, inquit Grotius, *multitudinis numero Angeli nominantur, cùm Angelum dixerit Stephanus; quia ita mos habet visorum ejusmodi, ut unus sit Angelus Dei personam nomenque sustinens, alii autem ei adsint velut apparitores. Vide Gen. 18. Luc. 2. v. 13. Confer 1 Thes. 4. v. 16. cum Mat. 13. v. 39, 41 & 49. Quomodo igitur is qui Legem pronuntiavit Angelus, dicit Exod. 20. Ego* יהוה, *ita & alii, qui ad res magnas legati sunt Angeli, loquuntur, sicut verba Judicis pronuntiat, ut ait Aug. 2 Trin. 2. & simili modo compellari se ferunt.*

Sic

Sic Moses in rubo sibi locutum dicit Deum יהוה *Exod.* 3. *v.* 15. *& is qui locutus erat, se dixerat esse* אשר אהיה, *quæ vocis* יהוה *est explicatio. At Stephanus visum ait Mosi in flamma rubi Angelum Domini, idque ipso Mose Autore Exod.* 3. *v.* 2.

Accepit verba vitæ dare nobis. Id est, vitæ & salutis doctrinam nobis tradendam cœlitus accepit, nec quicquam nobis tradidit nisi divinitùs sibi demandatum.

39. *Cui noluerunt*, &c. Q. d. Sed patres nostri non tam Mosi quàm Deo in illius persona rebelles, *ad profanos Ægyptiorum ritus animos transtulerunt*, ut loquitur Lactantius lib. 4 institut. cap. 10. Brutorum cultus apud Ægyptios jam olim obtinuisse, & antequam Israelitæ ex Ægypto excederent usurpari cœpisse patet ex Exod. 8. v. 26. in editione Athiæ v. 22. ubi cùm Mosi & Aaroni dixisset Pharao, seu Amenophis pater Sethosis sive Ramessis, & Armais, *Ite & Sacrificate Deo vestro in terra hac*, ipsi responderunt se *abominationem Ægyptiorum* sacrificaturos, id est, oves & boves, quibus Ægyptii in abominabilem idololatriam abutebantur. Gentium enim idola sacri scriptores *abominationes* vocitare solent, ut videre est Deut. 7. v. 25. 12. v. 30, 31. 2 Reg. 22. v. 13. Esd. 9. v. 1. Es. 44. v. 19. Vel *abominationem Ægyptiorum* id est, sacrificium, quod Ægyptiis erit abominationi, nequaquam perpessuris ut ea immolentur animalia, quæ ipsi colunt; hócque sensu accipiunt Vulgatus & Chaldæi interpretes. Quin & Ægyptii eorum animalium, quæ viva colebant, statuas passim in templis erigebant. Mela lib. 1. cap. 9. *colunt effigies multorum animalium, atque ipsa magis animalia.* Strabo lib. 17. ubi de eorum templis, ξόανον δέ οὐδὲν, ἢ οὐκ ἀνθρωπόμορφον, ἀλλὰ τῶν ἀλόγων ζώων τινὸς, *simulachrum verò nullum, aut non ad hominis formam, sed bestiæ alicujus effictum.* Proinde Rex Mycerinus filiam suam in ligneæ bovis auro obductæ utero condiderat, cui Saitæ quotidie omnifarios odores adolebant. Sic habetur in Herodoto lib. 2. Et Stephanus de urbibus voce, Βούσιρις: ἐκεῖ λέγεται θάψαι τὸν Βούσιριν, lege Ὄσιριν, Ἶσις, ἐμβαλοῦσα εἰς ξυλίνην Βοῦν, ὥστε Βουσόσιριν εἶναι τὴν πόλιν. *Illic dicitur Isis Osirim sepelisse, injiciens eum in ligneam bovem, ideóque urbs* Busosiris *fuit appellata. Vult*, inquit clarissimus Bochartus Hierozoici p. 1. lib. 2. cap. 34. *Osirim ibi sepultum à matre Iside ligneæ bovi fuisse inclusum, à quo urbs primò* Busosiris, *deinde per contractionem* Busiris *dicta fuerit. Itaque fallitur vir doctus, qui viva solum animalia, non eorum effigiem coluisse vult Ægyptios, nec boum simulachra in eorum sacris fuisse adhibita uspiam legi.* Porrò Israelitas, dum Ægyptiis serviebant, eorum quoque diis serviisse, disertè testantur Josue cap. 24. v. 14. & Ezechiel cap. 20. v. 7 & 8. Et 23. v. 3 & 8. *Ex quibus videtur sequi Judæos ad Ægyptiorum exempla se composuisse, cùm vitulum aureum in deserto*

fusum

fusum adoravunt. Quò commodè referuntur hæc Stephani protomartyris Act. 7. v. 39. Aversi sunt cordibus suis in Ægyptum, dicentes ad Aaron: Fac nobis Deos, *&c.* Et vitulum fecerunt. *Recte igitur de iisdem Lactantius lib. 4. cap.* 10. Ad profanos Ægyptiorum ritus animos transtulerunt. Cùm enim Moses dux eorum ascendisset in montem, atque ibi quadraginta diebus moraretur, aureum caput bovis, quem vocant *Apim*, quod eos signo præcederet, figurarunt. *Et Hieronymus in Os.* 4. Videtur autem mihi idcircò & populus Israel in solitudine sibi fecisse caput vituli quod coleret, & Hieroboam filius Nabat vitulos aureos fabricatus ut quod in Ægypto didicerant, "Ανω καὶ Μνεῦιν, qui sub figura boum coluntur, esse deos, hoc in sua superstitione servarent. *Et Aug. Ps.* 73. Vitulus ille, quem adoravit populus infidelis & Apostata, quærens deos Ægyptiorum. *Et Basilius Seleuciensis Orat.* 6. προσεκύνουν ἐν τῇ ἐρήμῳ, καθάπερ ἐν Αἰγύπτῳ, τῷ μόσχῳ, vitulum in deserto, sicut in Ægypto, adorabant. *Obiter nota pro* bove, *vel* vitulo, *Lactantium* caput bovis, *& Hieronymum* caput vituli dixisse, *Quomodo Tertullianus adversus Judæos cap.* 1. Cum processisset eis bubulum caput. *Et Cyprianus de bono patientiæ*, Ut itineris sui duces nuncuparet caput bubulum, & terrestre figmentum. *Et Ambrosius de pœnitentia lib.* 1. *cap.* 8. Vitulus caput fidei immemores adoraverunt. *Et in Exodum*, Conflatum est vituli caput. *Item*, Cur autem vituli caput exierit, sequentia docent. *Item*, Fregit tabulas Moyses & comminuit vituli caput. *Et Optatus lib.* 3. Temporibus Mosis populus Israel caput vituli coluit. *Et Hieronymus in Os.* 7. In eremo vituli conflaverunt caput. *Et in Amos cap.* 5. Aurum in caput vituli transformarunt. *Et Aug. in Ps.* 61. caput vituli corpus erat impiorum. *Et Isidorus Orig. lib.* 8 *cap.* 11. *Ubi de apide Ægyptio*, Hujus capitis imaginem sibi in eremo videri fecerunt, *lege* Judæi fecerunt. *Et sententiæ patrum septimæ Synodi de imaginum usu*, "Οτε τὸν χρυσὸν τὸ μόσχου κεφαλὸν ἐσχημάτισαν. cùm aurei vituli caput ex tempore fecit. *Et Eutychius Alexandrinus lib* 1. *Hist. pag.* 106. Mulierum suarum mundum cœperunt, & suderunt, & exiit ipsis caput vituli. *Quod mirabitur lector, cùm Scripturæ locis, ni fallor, decem, Israelitæ vitulum conflasse & adorasse, & Moses vitulum contrivisse legatur, nusquam vituli caput. Non tamen est quod quisquam hoc idolum sibi fingat ex mente veterum solum vituli caput, cetera hominis habuisse, quomodo apud Herodotum muliebre Isidis simulachrum fuit* Βεκέρων. *Quin bovis aut vituli caput nihil aliud quàm bovem aut vitulum significat. Sic Iliad* Ψ *v.* 260. *in ludis ad Patrocli funus, Achilles, pro decertantium præmiis, è navibus adduci curavit* equos & mulos boum fortia capita, *id est*, periphrasticè boves, *ut ibi Scholiastes. Rursus Hymno in Mercurium boves Apollinis, ab eo per dolum amotæ,*

tur

ter appellantur Βοῶν ἔφθιμα κέρνα. *Quod Poeta ſic imitatur lib.* 5. *Æneid.*

Bina boum vobis Trojâ generatus Aceſtes
Dat numero capita in naves.

Bina boum capita, *ideſt, binos boves.* Hactenus vir undequnque doctus Samuel Bochartus.

40. *Fac nobis deos, qui præcedant nos.* Nihil hac oratione abſurdius, cùm dii eſſe non poſſint, qui ab homine facti ſunt, nec ſimulachra præcedere, quæ pedes habent & non ambulant. Neque tamen neceſſe eſt monſtrum τῆς πολυδιόπτρου hac oratione inſinuari; plurale enim pro ſingulari uſurpatur, ut cum de uno vitulo dicunt Iſraelitæ Exod. 32. v. 4. *Hi ſunt dii tui Iſrael, qui te eduxerunt de terra Ægypti.* Sic Abraham, qui non niſi unum Deum agnoſcebat, dixit tamen Gen. 20. v. 13. הִתְעוּ אותִי האלהים *errare me fecerunt dii è domo patris mei.* & Gen. 35. v. 7. Jacob vocavit locum *Beth-el*, quia ibi *revelati fuerant illi dii,* נגלו אליו האלהים. Et David Pſ. 149. v. 2. *Lætetur Iſrael* בעושיו *in factoribus ſuis.* Et Salomon Eccleſ. 12. v. 1. *Memento* את בוראיך *creatorum tuorum.* Philiſtæi quoque, quamvis ſcirent unum Deum in Iſraele coli, ejus tamen metu perculſi, *Quis nos liberabit,* inquiunt, *è manu deorum illuſtrium iſtorum, hi ſunt dii, qui percuſſerunt Ægyptios,* 1 Sam. 4. v. 8. Proinde hæc accepit Jonathan tanquam ſingulari numero dicta de uno Deo. Ita etiam Theodoretus quæſt. 1. in 1 Reg. Neque dubium quin Iſraelitæ idem his verbis voluerint, *Hi ſunt dii tui, O Iſrael.* Quod palàm docent ſequentia, *qui te eduxerunt de terra Ægypti.* Quibus non ſignificabant ſe ab idolo hoc fuiſſe erutos, quod inanimatum eſſe ſciebant, & nuper fuſum: ſed, ne viderentur idololatræ, credi voluerunt verum Deum à ſe in hoc idolo coli. Quod ipſum Aaron reſpiciens *feſtum Jehovæ* vocat Exod. 32. v. 5. feſtum illi vitulo ſacrum, quaſi vituli illius cultus ad Deum pertineret. Micham etiam, qui Theraphim, & Jeroboamum, qui vitulos fudit, idem prætexuiſſe patet ex Judic. 17. v. 3 & 13. & 1 Reg. 12. v. 28. Quod tamen fuit inane ſubterfugium, nec eos ab idololatriæ crimine coram Deo liberavit. Hanc Iſraelitis fuiſſe mentem, & verbis, *Hi ſunt dii tui,* probatur ex his Nehem. 9. v. 18. *Fecerunt ſibi vitulum fuſilem, & dixerunt,* זה אלהיך אשר העלך ממצרים *Hic eſt Deus tuus qui eduxit te ex Ægypto,* id eſt, imago, ſeu ſymbolum unici illius Dei, qui quod patribus promiſerat, ipſo opere præſtitit, & forti manu, brachioque extento, ab Ægyptiaca ſervitute te liberavit.

Moysi enim, &c. Occasionem Simulachri ab Aarone exigendi sumsit populus ex mora Mosis in monte Sina, unde non rediit nisi post quadraginta dies exactos. Exod. 24. v. 18. Quæ cùm in Sacro textu clara sint Exod. 32. v. 1. tamen à Judæis in alienum sensum detorquentur. Nam ad Hebræa verba, וירא העם כי בושש משה, *& vidit populus Mosem morari facere*, sic Talmudici tract. de Sabbatho cap. 9. pag. 89. A. *Ne legas* בושש, id est, moram fecit, *sed* באו שש, id est, venerunt sex, supple, horæ. *Quippe cùm in altum ascendit Moses, dixerat Israelitis, In fine quadraginta dierum, in principio sex horarum*, à quibus incipit dies quadragesimus, *sum rediturus Cùm igitur dies illi quadraginta complerentur, venit Satan ut turbaret mundum, & dixit illis, Ubi est Moses doctor vester? Responderunt illum in altum ascendisse. At, inquit venerunt sex horæ*, intra quos se rediturum promiserat. *Quod cùm illi non curarent, Mosem occubuisse addidit. At cùm nihilo magis moverentur, ostendit eis speciem feretri ejus: tum verò Aaroni dixerunt, Moysi huic viro qui nos deduxit ex Ægypto, ignoramus quid acciderit.* In Bereschith Rabba sect. 41. Diabolus ipsum Mosem ostendisse legitur תלוי בין השמים והארץ, *suspensum inter cœlum & terram*. In paraphrasi Jonathanis, Moses, ut conjectabant, אשתלהב בטוורא דאשא מצלהבא מן קדם יי *consumtus fuerat in monte, in quo ignis à facie Dei fulgebat.* Itaque tanquam à Mose duce suo destituti, petunt Deos visibiles, qui se præcedant. Quin si Tanchumæ credimus fol. 46. c. qui hoc ab Aarone petierunt, non fuerunt Israelitæ sed *quadraginta hominum millia, qui cum Israelitis ex Ægypto ascenderant, & Ægyptii Magi duo, Janes & Jambres nomine.* Sed hæc frustrà commiscuntur, ut majores suos excusent ab idololatriæ crimine, cùm nulli fraus non suboleat, qui non sit prorsus Obesæ naris. Nam si pro בושש legas באו שש, hiulca erit periodus, neque cum sequentibus hæc ullo modo cohærebunt. Præterea supponetur ætate Mosis dies in horas jam fuisse divisos, quòd planè est ἀνισόχρονον. Diei enim in horas duodecim divisionem à Babyloniis inventam longè seriùs reliquæ gentes didicerunt, ut ex Herodoto & aliis scimus. Hoc præcipuum, quòd si Moses à Deo moni us prædixit quo tempore esset rediturus, eo ipso memento rediit quo prædixerat. nec fuit cur populus morarum esset impatiens. Denique nihil falsius, quàm solos peregrinos, qui Israelitis ex Ægypto excedentibus se adjunxerant, ab Aarone Deos petiisse. Nam Exod. 32. v. 1. populus ad Aaronem convenisse legitur: & v. 3. totus populus inaures ad eundem attulisse. *Nescimus enim*, inquiunt, *quid factum sit de Mose qui nos ex Ægypto deduxit.* Moses autem solos Israelitas pro-

propriè deduxerat. Alii ſpontè ſequebantur. Quin & v. 8. vocantur *Iſrael.* v. 13. *ſemen Abrahami, Iſaaci & Jacobi.* v. 14. *Dii populus.* Itaque Levitæ in reos animadverſuri, non cædunt ſolos exteros, ſed fratres, filios, amicos, proximos ſuos, obviorum nemini parcentes; quia communis erat reatus. Meritò igitur martyr Stephanus Judæis objicit, patres illorum Aaroni dixiſſe, *Fac nobis Deos*, &c.

41. *Et vitulum fecerunt.* Illâ ipſâ die, quâ populus idolum ſecundum Ægypti ſuperſtitionem ſibi conflari petiit. Aaron ſive metu, ſive alio affectu præveditus, contra verba Legis diſerta Exod. 20. v. 23. inſanienti populo obſequuturus, inaures, quæ ibi locorum erant utrique ſexui communes, juſſit afferri, allatáſque fudit in modulo ad id parato, vitulum inde expreſſum populo exhibuit, altare ei fabricavit, & ſolemne feſtum in craſtinum indixit, uti fuſiùs narratur Exod. 32. Hinc Deut. 4. v. 20. Deus in Aaronem vehementer iratus, voluiſſe dicitur eum perdere, & reverà fuiſſe perditurum, niſi pro eo Moſes interceſſiſſet.

Et obtulerunt hoſtiam ſimulachro, &c. Ab Aarone Iſraelitæ in craſtinum convocati, cùm ſummo manè conveniſſent, vitulum adorarunt, eíque holocauſta obtulerunt, & hoſtias pacificas, *ſedit que populus manducare, & bibere, & ſurrexit ut luderet*, Exod. 32. v. 6. Nempe hoc idolum eodem modo colitur, quo verus Deus. Niſi quòd inter genera ſacrificiorum omittuntur ſacrificia pro peccatis, quibus tamen maximè egebant. Sed quamlibèt rei, tamen ſibi videbantur ſacris egregiè defuncti, atque illorum conſcientiæ ad tam grave ſcelus obtorpuerant. Convivia & ſacri ludi ſacrificiorum erant appendices etiam in cultu divino. Cùm enim Sacrificia vel holocauſta eſſent, vel piacularia, vel pacifica: in holocauſtis victima tota comburebatur; in piacularibus pars cedebat ſacerdotibus, qui ſoli epulabantur; in pacificis offerentes aliquam victimæ portionem pro jure ſuo retinebant, ut amicis, ſi viſum eſſet, convocatis, agitarent convivia læti. In his enim conviviis jubebantur Iſraelitæ lætari coram domino, Deut. 12. v. 7. & 16. v. 11. non tamen gaudio futili, laſcivo, & petulanti, ſed pio, moderato, & cum celebratione divini nominis conjuncto, tanquam omniuente Deo præſente. Nec ludos defuiſſe patet ex exemplo Davidis, quem poſt ſacrificia coram arca peracta, Michol è feneſtra vidit ſaltantem, atque ludentem, 2 Sam. 6. v. 16. 1 Par. 15. v. 29. Sed cùm alios ἐμμελῶς, *modeſto & concinno corporis motu*, alios παμμελῶς *immodeſtè, & inconcinnè* ſaltare dicat Plato lib. 7. de Legibus, haud dubiè Saltatio Davidis fuit ἐμμέλεια, *modeſta & compoſita*, non deſultoria & levis. *At idololatræ*, inquit clariſſimus Bochartus Hierozoici p. 1. lib. 2. cap. 34. *fidelium hac in parte*

similæ sic fuerunt, ut intra hos limites non se continuerint. Nam hæ Sacrificales epulæ sæpè in temulentiam, aut lasciviam, aut contentiones, clamores, verbera, & cædes desinebant. Itaque veteres ebrietatis primam Originem huc referunt. Et apud Athenæum lib. 2. docet Aristoteles τὸ μεθύειν inebriari *græcè dici, quia μετὰ τὸ θύειν.* post peracta sacrificia largiùs comportabant. *Quale est, quòd ibidem convivia θοίνας vocari scribit Seleucus, ὅτι διὰ θεὰς οἰνοῦσθαι δεῖν ὑπελάμβανον,* quia propter Deos vino indulgendum esse putabant. Et θαλίας, *ὅτι θεῶν χάριν ἤλιζοντο,* &c. quia in deorum gratiam congregabantur & conveniebant. *Alioquin enim τὸ παλαιὸν οὐκ ἦσαν ἔδεσι,* &c. non fuisse vetusti moris, aut vinum aut alias delicias quasvis largiùs apponere, nisi propter Deos fieret. *Quò pertinet illa Epicharmi gradatio, ἐκ μὲν θυσίας πότον, &c.* E Sacrificio epulum, ex epulo compotatio fuit, quod mihi perjucundum, ex compotatione protervia, ex protervia convitium, ex convitio lis, ex lite condemnatio, ex qua compedes & cippus, & mulcta. *Cùm dicuntur Israelitæ post sacrificium accubuisse ut ederent & biberent, & surrexisse ut luderent, Magistri ludendi voce pleraque hæc intelligunt. Nam præter ludos indecoros, Tanchuma vult alia duo hîc designari, nempe* נלוי ערות scortationem ושפיכות דמים & effusionem sanguinis. *Prius probat ex Gen. 39. v. 14 & 17. ubi Potipharis uxor Josephum accusat, quasi venerit* לצחק ad ludendum *secum vel* ad illudendum *sibi, id est, ad vim sibi inferendam. Posterius ex 2 Sam. 2. v. 14. ubi Abner Joabo dicit de Benjamitis duodecim, qui cum totidem Davidis militibus committantur,* Surgant nunc juvenes, וישחקי & ludant coram nobis. Ludant, *id est, dimicent & in mutuas cædes ruant. Quasi certamen acerrimum, in quo juvenum paria duodecim mutuis vulneribus se confecerunt, à spectatoribus pro ludo sit habitum, ut Romæ gladiatorum commissiones. Unde Hebræi veteres apud Kimchium,* Quia populus pro ludo habuit sanguinem illorum juvenum, mulctatus est, & gladio cecidit; *nempe in illo prælio qui narratur v. 17. At cur Israelitæ post vitulum adoratum ita lusisse credantur, hoc est, vel in Venerem, vel in mutuas cædes ruisse, mihi nulla apparet ratio. Fateor quidem hæc sæpè fuisse ebrietatis consectaria: sed Israelitas comedisse & bibisse reperio, non tamen ad ebrietatem. Quin Deut. 29. v. 5 & 6. leguntur vino & sicerâ, id est, potu inebriante, caruisse totis quadraginta annis, quibus in deserto commorati sunt. Itaque cùm in Græca versione Exod. 32. v. 18. Moses ex monte descendens dicit Josuæ servo suo, φωνὴν ἐξαρχόντων οἴνου ἐγὼ ἀκούω,* vocem præcinentium vinum ego audio, *illud* οἴνου, *undecunque irrepserit, merum est glossema, cujus neque Hebræus textus, neque aliæ versiones ullum vestigium exhibent. Nam in Hebræo solùm est* קול ענות vocem cantantium *vel* alternis canentium ego audio. *Puto igitur*

tur Græcorum alios φωνὴν ἐξαρχόντων *reddidisse, alios* φωνὴν ὀρνέθ, *pro quo* ὄνυς *scripserint semidocti, & ex utroque corflatum,* φωνὴν ἐξαρχόντων ὄνυς. *Sic* ὀρνέθ *fuerit pro Hebræo* עגות, *quomodo ante vocales adscriptas legi potuit, & Græcè scribi ab iis, quos latebat vis Hebraismi. Illis enim tralatitium fuit voces ignotas nudè exscribere. Samaritanus reddit* vocem peccatorum, *ut & Syrus, quia pro* עגות *legerant* עונות. *Verè igitur Græcus Scholiastes,* τὸ Σαμαρειτικὸν, φωνὴν ἁμαρτῶν ἐγὼ ἀκήκοα. *Neque Drusio debuit id esse suspectum.* Hactenus omni scientiarum genere eruditissimus Samuel Bochartus.

42. *Convertit autem Deus.* Id est, aversatus est autem eos Deus. *Est verbum activum pro reciproco,* inquit Grotius.

Et tradidit eos servire militiæ cœli. Hoc est, permisit eos cupiditatibus suis, ut sibi pro uno idolo innumera accerserent.

Sicut scriptum est in libro Prophetarum. Duodecim videlicet minorum, qui uno libro seu volumine conscripti erant, & concinnati omnes propter brevitatem singulorum.

Nunquid, &c. Vide explicationem nostram literalem Amos 5. v. 25.

43. *Et suscepistis,* &c. Quod hîc narratur Israelitas circumtulisse in thensis & lecticis imagines Molochi, seu Rhephanis, factum est ab Israelitis, cum adhuc in deserto morarentur, nempe cùm blanditiis Moabitidum & Madianitidum irretiti, coluerunt Moabitarum, &, ut puto, Madianitarum etiam numen בעל פעור *Baalpeor* seu *Belphegor*, eique sacrificia obtulerunt, Num. 25. & Ps. 106. Nam *Baal* & *Moloch*, seu *Melech*, sive *Molech*, nomina sunt omnibus Diis communia quæ epithetis distinguebantur & discernebantur, ut videre est in comparatione eorum quæ habentur 2 Reg. 18. v. 34. & Es. 36. v. 19. Cum Es. 37 v. 21. Unde etiam Ammonitarum Deus, qui vulgò *Moloch* appellatur, *Baal* dicitur Jer. 19. v. 5. & alibi, nec temerè reperias in Scriptura nomen *Moloch* usurpatum peculiariter de Ammonitarum Deo, quin Ammonitarum præcesserit, aut statim sequatur nomen sive mentio: quare מלכם *Melcom* vel *Milcom* appellatur cum pronomine relativo ad Ammonitas. Attamen *Baal* sive *Bel* speciatim dici de Saturno adnotavit Theodoretus ad Ps. 105. Suidas Βηλοφηγεύς. Βὴλ ὁ Κρόνος. Φηγὼρ δέ ὁ τόπος ἐν ᾧ ἐτιμᾶτο, ἐξ οὗ Βηλοφηγεύς. Servius ad Æneid. 1. *Lingua Punica* Bal *Deus dicitur, apud Assyrios autem* Bel *dicitur quadam sacrorum ratione & Saturnus & Sol.* Quin & *Moloch* eruditissimis quibusque *Saturnus* est, maximè in his Amosi verbis à Stephano hîc laudatis, ubi idem appellatur in veritate Hebraica כיון, & apud LXX interpretes ῥαιφάν. Exprobrat ergò quod & tabernaculum & imaginem Stellæ Saturni circumferrent, quæ sibi fabricaverant,

ut ea veluti τύπους & figuras Dei sui colerent, cùm Deus verus visibili & externâ formâ coli minimè velit. Vide explicationem nostram literalem Amos 5. v. 26. Ad quem locum sic ait Grotius. *Sicut* Moloch *est nomen Ammoniticum, ita* כיון Kiun *est Arabicum & Persicum, quod &* כיואן Kivan *scribi ait Abenesdra, & esse eis* Saturnum. *Idem dictus Syris* רכן Remmon 2 *Reg.* 5. v. 18. *nimirùm quòd* altissimo esset orbe, *ut Tacitus loquitur. Sicut* כיון Kiun *pronuntiabatur &* כ ואן Kivan, *ita* רכן Remmon *etiam* רמון Remvan: *quod Græci amisso Digammate usi, scripsere* ῥαιμφάν, *aut* ῥεμφάν, *quæ Scriptura vera est. Dicuntur autem dii Moloch & Kiun vel Kivan, quia quinquam ad idem sidus referebantur, alia tamen habebant nomina, habitúmque & cultum, ut Luna & Diana apud Græcos. Quin & plures homines ad idem sidus relati apud alias aliasque gentes: & Moloch Regis habebat figuram, Kivan stellæ.*

Trans Babylonem Heb. Amos 5. v. 27. והגלתיאתכם מהלאה לרמשק *& migrare vos faciam trans Damascum.* Vide ibidem explicationem nostram literalem. Aliter locum Amosi reddit clarissimus Samuel Petit: *Submovebo ego vos longiùs, quàm submota est Damascus.* Nempe Damasceni Amos 1. v. 5. & 2 Reg. 16. v. 9. fuere exportati in *Kir*, quam ipse Samuel Petit non dubitat esse in Babylonia, suspicatúrque hinc nomen inveniisse eam Babyloniæ civitatem, quæ Ptolemæo Tabulâ quartâ Asiæ *Chiriphe* appellâtur. At prædicit vates Israelitas longinquiùs deportatum iri quàm Damasceni sunt deportati; hi enim in Babyloniam fuere deportati, isti verò longinquiùs quàm in Babyloniam nimirum in Mediam deportabuntur. Vide 2 Reg. 17 v. 6.

44. *Tabernaculum*, &c. Exaggerat Judæorum impietatem, quòd cùm locum & modum cultûs divini ab ipso Deo præscriptum haberent, tum in deserto, tum in terra promissa, præpostero veri ac sinceri cultûs abusu in externis figuris hæserint. Q. d. Tabernaculum quidem fuit à Mose erectum Dei ipsiusmet jussu, sed quod homines revocaret ad cœlestem ejusdem archetypum, quem Moses viderat in monte. *Ritus enim externos*, ait egregiè Calvinus, *Deus non moratur, nisi quatenus cœlestis veritatis sunt symbola.*

Testimonii. Conciliari possunt qui אהל מועד vertunt *Tabernaculum conventûs* cum iis qui *tabernaculum testimonii*, aut *fœderis*, si advertatur illud sic appellatum non tam ratione populi, qui isthic ad Deum conveniebat, quàm ipsius Dei qui testimoniorum ac fœderis sui declaratione ibi populo patefiebat, & quasi cum eo conveniebat. *Sic enim*, inquit Ludovicus de Dieu, ipse Deus id explicat Exod. 29. v. 42. ubi causa datur cur vocetur אהל מועד, *quia* אוע לכם שמה לדבר אליך שם Conveniam vobis eò, ut alloquar te isthic.

Vi-

Videt Deum convenire, ut alloquatur, & quidem, ut alloquar te, *Moſen nempe, quod fieri poterat ſine ullo populi conventu. Neque datum eſt Tabernaculo hoc nomen propter* האולם veſtibulum, *qui locus erat conventûs populi, ſed propter* הדביר adytum, *ubi erat area, ubi Deus Moſen & ſummum ſacerdotem convenibat, unde Exod.* 25. *v.* 22. ונועדתי, & conveniam tibi illic, *nempe ad arcam,* & loquar tecum de propitiatorio. Hactenus De Dieu. Hinc arca nuncupatur ארון הברית *arca fœderis* & ארון העדות *arca teſtimonii,* vel העדת *teſtimonium* abſolutè. Tabernaculum quoque vocatur Num. 9. v. 15. & 17. v. 23. אהל העדת *tabernaculum teſtimonii.* Item Exod. 28. v. 21. & Num. 1. v. 50. משכן העדת *habitaculum teſtimonii.*

Secundum formam quam viderat. Quod dicitur Moſes *formam* vidiſſe, eo ſignificat Dei Spiritus, non licere nobis formas pro arbitrio comminiſci: ſed in forma à Deo oſtenſa defixos eſſe oportere omnes noſtros ſenſus, ut ad eam formetur tota religio. *Pii,* inquit præclarè pro more Calvinus, *nihil niſi ex Dei verbo ſuſcipiunt: alii autem quicquid libuit, putant eſſe licitum: atque ita ſuum arbitrium pro Lege habent, quum Deus nihil probet niſi quod ipſe præſcripſit.* Faxit Deus ut quicunque Chriſtiano cenſentur nomine hac ſaluberrimâ regulâ de controverſiis religionis judicent, & facilè omnium judicia opinionéſque concordabunt.

45. *Suſcipiens eos.* Id eſt, uti optimè vertit Arabs, *quum accepiſſent illud,* nempe ab iis qui in deſerto occubuerunt. Sic Mat. 26. v. 27. *Accipiens calicem,* id eſt, quum accepiſſet calicem, ſeu ut redditur Mar. 14. v. 23. *Accepto calice.* Vide quæ diximus ad Mat. 27. v. 48.

Patres noſtri cum Joſue. Id eſt cum Joſua, qui Moſe ſublato in principatum ſucceſſit, divinitùs deſignatus, & nomine rebúſque geſtis Jeſum Chriſtum adumbravit.

In poſſeſſionem gentium. Gr. ἐν τῇ κατασχέσει τῶν ἐθνῶν. Quæ Syrus paraphraſticè vertit, *in terram quam dedit ipſis Deus poſſeſſionem exgentibus.* Promiſcuè Græci interpretes uſurpant ἐν *in* cum Ablativo & εἰς *in* cum Accuſativo, quia Hebræi pro utraque præpoſitione ב literam ponunt. Κατάσχεσις autem uſurpatur pro אחזה ירשה, & נחלה. & potiùs ipſam terram quæ obtinetur aut poſſidetur, quàm ejus occupationem aut acquiſitionem ſignificat.

Quas expulit Deus à facie patrum noſtrorum. Id eſt, ad adventum patrum noſtrorum. Extat hoc loquendi genus Deut. 2. v. 21 & 22. & alibi ſæpè. Quod imitati ſunt autores inſcriptionis, quam in Africa vidit Procopius Gazenſis: ἡμεῖς ἐσμὲν οἱ φυγόντες ἀπὸ προσώπου Ἰησοῦ τοῦ Ναυῆ υἱοῦ Ναυῆ. *Nos ſumus illi, qui à facie,* id eſt, ad adventum, *Jeſu latronis filii Nave,* id eſt, Nun, *fugimus.*

Usque in diebus David. Gr. ἕως τῶν ἡμερῶν Δαβίδ, *usque ad dies Davidis.* Q. d. Atque ita vagum & erraticum fuit testimonii Tabernaculum donec Davidi per Angelum è cœlo testatus esset Dominus aream Areunæ seu Ornanis Jebusæi à se delectam esse in arcæ sedem certam ac stabilem, 2 Sam. 24. 1 Paral. 21.

46. *Qui invenit*, &c. Q. d. Hic enim David singulari Dei beneficio consecutus est, ut sibi anxiè optanti permanentem sedem exædificare arcæ Domini ostenderetur locus à Deo ad id delectus.

Et petiit. Instanter & cupidissimè solemni voto se obstringens, Ps. 132. v. 3. se nunquam & nusquam positurum sollicitam curam explorandi loci Templo ædificando divinitùs destinati, donec ex divina revelatione illum reperisset. Hoc Davidis votum erat secundum voluntatem Dei, quia Deus promiserat Deut. 12. se electurum sibi locum certum, qui sedes esset sanctuarii, & mandatum addiderat, ut quemcunque ipse locum eligeret, eum populus frequentaret, & ritus externos in Lege præscriptos ibi perageret. Sed Pontificiorum vota partim ridicula & inepta sunt, vel etiam impossibilia, partim manifestè impia, quia fiunt opinione meriti & rebus creatis, ideo votum Davidis haudquaquam ipsis patrocinatur.

Tabernaculum. Id est, habitaculum, seu locum non commorationi brevi, instar tentorii seu tabernaculi propriè dicti, sed instar domicilii habitationicertæ ac stabili designatum. Ps. 132 v. 5. עַד אֶמְצָא מָקוֹם לַיהוָה מִשְׁכָּנוֹת לַאֲבִיר יַעֲקֹב, *donec invenero locum Jehovæ, habitacula forti Jacob.* Hoc est, donec invenero locum divinitùs destinatum Templo ædificando, in quo veluti in sede certa arca Jehovæ collocetur, ipseque qui potenter Jacobum eripuit à periculis, constanti populi reverentiâ ac frequentiâ colatur juxta præceptum Deut. 12. Dicitur autem מִשְׁכָּנוֹת *habitacula* in plurali, quòd tres essent partes Templi, ut Ps. 68. v. 35.

47. *Salomon*, &c. Q. d. Porrò Davidi ostensus quidem est locus à Deo Templo ædificando destinatus, verùm non ipse sed filius ejus Salomon permissus est Templum istud extruere, 1 Reg. 5.

48. *Sed excelsus*, &c. Q. d. Verùm Salomon in extruendo Templo satis agnovit Deum non posse ejusmodi structurâ includi, & solemni quam habuit precatione 1 Reg. 8. v. 27. diserè præfatus est, quod clariùs posteà Esaiæ cap. 66. v. 1 & 2. expressum est, Dei nimirùm majestate omnia impleri, ipsumque injuriâ afficere, qui Templo manufacto alligarum somniant, & puerili modo, rebus nihili eum dem demereri satagunt.

49. Ce-

49. *Cœlum*, &c. Q. d. Ego, qui ubique ſum, cunctáque moderor, templo ab hominibus facto neutiquam indigeo; vocavi quidem Templum, quod Salomon juſſu meo eſt aggreſſus, *requiem meam*, Pſ. 132. v. 14. non quòd gloria mea illius capiatur anguſtiis, aut viſibili & caduco ædificio oblectar, ſed quòd illud eſſe voluerim ſignum ac pignus præſentiæ meæ iis, qui interiore cordis puritate, veróque pietatis affectu me colerent. Vide explicationem noſtram literalem Mat. 5. v. 34. ad hæc verba, *Thronus Dei eſt.*

50. *Nonne*, &c. Senſus eſt omnia quæ uſquam videtis à me facta ſunt, ac proinde mei juris. *His verbis*, inquit Calvinus, *admonet Propheta, neque auro, neque pretioſo templi ornatu, neque ſacrificiis Deum indigere. Unde ſequitur verum ejus cultum ceremoniis non contineri. Nihil enim eorum quæ illi offerimus ſuâ cauſâ deſiderat, ſed tantùm ut nos exerceat in ſtudio pietatis. Quod argumentum ſuſiùs tractatur Pſ.* 50. *Etſi enim pudenda eſt fatuitas Deum velle ſacrificiis paſcere, niſi tamen in ea demerſi eſſent hypocritæ, non tanti res ludicras faceret. Inſipidum eſt coram Deo quicquid à ſpirituali cultu diſcrepat. Ideo ſciamus nos quæri à Deo, non noſtra, quæ præcariò tantùm ab eo obtinemus. Atque hinc ſimul patet, quàm procul à carnalibus hominum figmentis diſtet vera religio.*

51. *Durâ cervice.* Gr. σκληροτράχηλα, *duri cervice*, id eſt, intractabiles ac refractarii. Vide explicationem noſtram literalem Oſeæ 4. v. 16. *Quum Stephanus diſertè ad capita accuſationis non reſpondeat, libenter*, inquit Calvinus, *iis aſſentior, qui plura dicturum fuiſſe putant, niſi tumultuoſè abrupta fuiſſet ejus oratio. Scimus enim qualem conſeſſum Judicum habuerit. Quare mirum non eſt, ſi ſtrepitu & inſanis clamoribus illum tacere coegerint. Et videmus etiam cum datâ operâ longis inſinuationibus uſum eſſe, ut eos quaſi truces belluas mulceret. Sed illorum rabiem tunc fuiſſe accenſam probabile eſt, quum oſtenderet Legem ab ipſis peſſimè fuiſſe corruptam, Templum eorum ſuperſtitionibus pollutum, & apud eos nihil eſſe ſincerum: quia in nudis figuris hærentes, ſpiritualiter Deum non colerent: quia ceremonias non referrent ad cœleſtem typum. Ceterum, etſi non rectà ſtatim in cauſam ingreſſus eſt Stephanus, ſed paulatim lenire feroces animos tentavit: appoſitè tamen diſſerit ad purgandum quod objectum illi fuerat crimen. Duo hæc præcipua erant quæſtionis capita, Quòd in Deum ac ejus Templum contumelioſus fuiſſet Stephanus, Quòd Legem abrogare conatus eſſet: Stephanus, ut calumnias iſtas dilueret, à vocatione Abrahæ exorſus, Judæos non naturâ, non jure proprio non operum meritis Gentibus præcellere oſtendit: ſed gratuito privilegio, quòd Deus in Abrahæ perſona eos adoptaſſet. Facit ſimiliter ad cauſam, quod fœdus ſalutis cum Abraham percuſſum erat, antequam eſſet Templum, ceremoniæ, adeoque ipſa circumciſio. Quibus rebus ita gloriabantur Judæi, ut nullum ſine illis Dei cultum, nullámque ſancti-*

sanctitatem esse dicerent. Narravit postea quàm mirifica & quàm multiplex fuisset erga genus Abrahæ Dei bonitas, & quàm malè vicissim ac perversè populus, quantum in se erat, repulisset Dei gratiam. Unde constat, non posse ejus meritis adscribi, quod censeatur Dei populus, sed quia Deus indignum ultrò sibi elegerit, & ingrato benefacere non destiterit. Hoc modo ad humilitatem subigi ac domari poterant altiores superbi eorum spiritus, ut stultæ gloriæ flatu exinaniti, ad Mediatorem venirent. Tertiò exposuit in ferenda Lege præsidem fuisse Angelum & Mosem ita ministerio suo functum esse, ut alios in posterum Prophetas fore diceret: quorum tamen summum esse aliquem principem necesse erat, qui finem prophetiis & vaticiniis omnibus imponeret ac solidum afferret complementum. Unde colligitur, nihil minus quàm Mosis esse discipulos, qui promissum in Lege ac laudatum doctrinæ genus unà cum ipso autore repudiant. Ostendit postremò totum veterem cultum, qui à Mose præscriptus erat, per se minimè æstimandum, sed debere potiùs in alium finem referri, quia ad cœlestem archetypum formatus fuerit. Judæos autem pravos semper fuisse Legis interpretes, quia nihil nisi carnale ac terrenum conciperent. Hinc conficitur nullam Templo ac Legi fieri injuriam, quum Christus tanquam utriusque finis & veritas, in medium statuitur. Cæterùm, quia status causæ in hoc præcipuè cardine vertebatur, cultum Dei in Sacrificiis & rebus externis propriè non consistere, & ritus omnes nihil quàm adumbrasse Christum, Stephani consilium erat, insistere potissimùm in hanc partem, si passi fuissent Judæi: sed quia ubi ad epitasin ventum est, furore accensi plura audire non sustinent, deest eorum omnium applicatio ad causam. Et pro epilogo acerbam objurgationem subtexere cogitur.

Incircumcisi cordibus & auribus. Q. d. Quorum cor sæpe vitiosis affectibus & aures ad omnem sanam doctrinam obstructæ sunt & obturatæ. Idem exprobratur Judæis Levit. 26. v. 41. Jer. 6. v. 10 & 9. v. 26.

Vos semper Spiritui sancto resistitis. Gr. ἀντιπίπτετε *transversum editis.* Id est, *Spiritum sanctum in Prophetis loquentem contumaciter spernitis, ipsiúsque monitis transversos vos opponitis, ut qui iter impediunt. Hoc est* יֵלֶךְ קֹרִי, *ambulare ex adverso alicui,* περιπορεύεσθαι πλάγιον Levitic. 26. v. 21, 23, 24, 40, & 41. Respicere videtur Stephanus ad Es. 63. v. 10. Cum hoc congruit vehemens exprobratio Jeremiæ 7. v. 24. & seqq. Ezech. 20. à v. 5. ad capitis finem. Neque tantùm vulgus promiscuum rebellionis contra Deum accusatur, sed idem crimen exprobratur sacerdotibus, vatibus & principibus Jerem. 2. v. 8. 5. v. 31. 6. v. 13. 8. v. 10. 10. v. 20 & 21. 22. v. 21 & 22. 23. v. 1, 2, 9, 11 & 31. 32. v. 30 & 32. Ezech. 8. v. 12. 22. v. 25 & seqq. Os. 4. v. 1. Mich. 3. v. 5 & seqq. Sophoniæ 3. v. 1. & seqq. Zach. 7. v. 11. Malach. 2. v. 8 & 11. 3. v. 7.

Sicut

Sicut patres veſtri ita & vos. Q. d. Patribus in eadem pravitate filii ſucceſſiſtis.

52. *Quem prophetarum non ſunt perſecuti patres veſtri?* Præclarè Lactantius 1 Inſtit. 4. *Prophetæ idcircò à Deo mittebantur, ut & præcones eſſent majeſtatis ejus, & correctores pravitatis humanæ. Amara autem ſunt vitioſis ac malè viventibus præcepta juſtitiæ. Itaque ii, quorum peccata & arguebantur, & prohibebantur, excruciatos eos acerbiſſimè necaverunt.* 3 Reg. 19. v. 10. Elias queribundâ voce dicit, *Prophetas tuos occiderunt gladio, & derelictus ſum ego ſolus* ex omnibus videlicet qui ad notitiam aulæ Achabi venerunt, *& quærunt animam meam ut auferant eam.* Nehem. 9. v. 26. *Prophetas tuos occiderunt qui conteſtabantur eos, ut reverterentur ad te.* Vide Mat. 5. v. 12. 21. v. 35. 23. v. 31 & 33 Luc. 6. v. 23. 13. v. 34. Heb. 11. v. 37.

Et occiderunt. Patres ſcilicet veſtri pietatis patrum noſtrorum Abrahami, Iſaaci, & Jacobi degeneres.

Eos qui prænuntiabant de adventu juſti. Id eſt, prænuntios Chriſti naſcituri, *qui*, ut Druſius loquitur, *hîc peculiariter* Juſtus *vocatur, fortè quia inſons erat cum occideretur.* צדיק *enim vocabulum eſt forenſe reum inſontem ſignificans, cui opponitur* רשע *ὑπόδικος, reus, ſons, vt in illo Davidis Pſ.* 109. *v.* 6. בהשפטו יצא רשע, quum judicabitur, *id eſt, judicio contendet,* exeat improbus.

Cujus vos, &c. Q. d. Vos autem cumulo impietatis ſceleſtiſſimè conſpiraſtis in ipſummet Chriſtum juſticiæ & ſaluris autorem, nec quicquam omiſiſtis quo ejus mors procurari poſſet. Vide ſuprà cap. 3. v. 13.

53. *In diſpoſitione Angelorum.* Gr. εἰς διαταγὰς ἀγγέλων, *ad ordinationes Angelorum,* id eſt, ordinantibus & præcipientibus Legis obſervationem Dei nomine Angelis. Sic *Lex* dicitur Gal. 3. v. 19. *ordinata per Angelos.* Et Heb. 2. v. 2. vocatur *per Angelos dictus ſermo.* Ac licèt Lex ab uno præcipuè Angelo perſonam noménque Dei ſuſtinente data ſit, quia tamen multis Angelorum turmis ei apparitorum inſtar adſiſtentibus hoc magnificè factum eſt, rectè Legis promulgatio in monte Sinai Angelis adſcribitur.

54. *Diſſecabantur,* &c. Q. d Mente lymphatâ furebant, & effrænatus ille ac præceps in Stephanum furor, quaſi vehemens & violentus ignis in flammam, in dentium ſtridorem erumpebat. Vide quæ diximus ſuprà cap. 5. v. 33.

55. *Cum autem eſſet,* &c. Q. d. Verum Stephanus inſuperabili Spiritûs virtute armatus in cœlum ſuſtulit oculos, ſtatimque vidit fulgorem quendam quo Dei majeſtas repræſentabatur, & Jeſum in ea carne regnantem, in qua exinanitus fuerat.

56. *Video*

56. *Video cœlos apertos.* Apertio cœlorum solemne est signum prævium visionibus, Ezech. 1. v. 1. Mat. 3. v. 16. Luc. 3. v. 21. Joa. 1. v. 52. Apoc. 4. v. 1. *Aperiuntur autem cœli in reseratione elementorum, sed spiritualibus oculis*, inquit Hieronymus ad Mat. 3. v. 16. *Non divisione firmamenti, sed fide credentis*, ait idem ad Ezech. 1. v. 1. Hebræorum quidam apertione cœlorum nihil aliud significari volunt quàm factum aliquid aut ostensum cælesti virtute. Sed & pagani cœlestibus ostentis cœlum præpandi crediderunt. Livius lib. 17. *Faleriis cœlum fissum visum, velut magno hiatu: quáque paturerit ingens lumen effulsisse.* Et ad illud 9 Æneid. v. 20. *Video medium discedere cœlum*, Minellius, *thosmate & hiatu divisum aperiri.* Servius, *In Auguralibus libris inter ostenta etiam cœlum discessisse dicitur.*

Et Filium hominis, &c. Hebraismus, q. d. Hominem verò illum Christum Jesum, quem veluti despectum & novissimum virorum morte extinctum putatis, video cœlorum imperio potiri. Stephano apparet Christus non sedens, sed stans à dextris Dei, ut nimirum significet se esse paratum ad illi opem ferendam in isto certamine pro nomine suo. Alibi tamen passim phrasis sedendi ad dextram vel à dextris Dei usurpatur, utpote magis apta ad significandum Christi statum gloriosum, nempe majestatem illam & potestatem omnia regendi, quam adeptus est post suum in cœlos ascensum, coram quia omnes homines judicandos stare oporteat. Augustinus ait Christum dici *sedere* tanquam judicem, & *stare* tanquam advocatum nostrum apud Patrem.

57. *Exclamantes autem voce magnâ*, &c. Q. d. Qui autem adstabant de plebe ad gloriæ Christi præconium, quasi ad intolerabilem blasphemiam horrido clamore erumpentes obturarunt aures suas, sive digitum ingerendo in aures, sive ipsam auriculam, imam dico & mollem auris partem quam Græci λοβὸν vocant ἀπὸ τοῦ λαμβάνειν, quia veteres, ut admonerent, aurem eâ parte vellebant. Unde Poeta Eclog. 6. v. 3 & 4.

——— Cynthius aurem
Vellit & admonuit.

Hebræi hanc partem in ove vocant בֶּרֶל Amos 3. v. 12. in homine תְּנוּךְ Exod. 29. v. 20. & passim in Levitico, & אֶלְיָה *caudam* in Rabbinorum scriptis. Scriptores infimæ Latinitatis auriculam vocant *lanam*, *lannam* aut *lamnam*. Glossarium vetus, *Lana*, λεβὸς ὠτός. Glossarium B. Benedicti, *Lanæ*, λοβοί. Lexicon Philoxeni, λοβὸς ὠτός, *lamna*. De auricula sic Talmud in tractatu כתובות fol. 5. 2. *Quare tota auris dura est, auricula*

auricula autem mollis? Ut siquis verbum minus honestum audiat, inflectat auriculam intra aurem. אוזן מפני מה כלה קשה אליח שלהרכה שאם ישמע אדם רבר שאינו הגון יכוף אליה תוכה. Ibid. De acuminata digitorum figura. *Quamobrem in digitis hominis inest assimile clavis acumen? Ut siquis verbum indecorum audiat, imponat digitos auribus suis.* מפני מה אבצעות יו של אדם דומות ליתידות שאם ישמע אדם רבר שאינו הגון יניח אצבעותיו באזניו.

Et impetum fecerunt unanimiter in eum. Quasi ex judicio zeli, quod liberà Repub. secundum Legem exercere solebant in autores idololatriæ, qui palàm coram multis hoc crimine se obligaverant. Hi statim nullà interjectà morà erant lapidandi, Deut. 13. v. 9& 10. *Verum,* inquit Grotius, *duplici modo hîc peccabant isti homines: primùm in Legem, quæ etiam liberâ Republicâ judicium illud populare exerceri noluit, nisi in autores idololatriæ qualis non erat Stephanus; deinde in Romanos, qui ipsis ademerant omne jus capitalium suppliciorum. Atque istorum hominum, quos ζηλωτὰς Josephus vocat, crescens in dies audacia tandem & in am excitavit Romanorum, & Urbi Templóque exitium attulit.* Vide eundem Grotium ad locum mox laudatum Deuteronomii, & Lib. 2. de jure belli ac pacis cap. 20. num. 9. & 5.

58. *Et ejicientes eum extra civitatem lapidabant.* Hoc est, & ejectum extra urbem, tanquam Βλάσφημον lapidarunt. Ritum lapidationis Rabbi Moses de Kotzi præcepto jubente 99. sic ex traditione describit: *Aiunt Sapientes virum lapidari solitum fuisse nudum, fœminam non item; quatuor à lapidationis loco cubitis distanti vestes extrahi solitas, tectis solummodò ab anteriori pudendis. Locus lapidationis* בית הסקילה *altus erat duas staturas hominis* שתי קומות, *ad quem lapidandus vinctis manibus ascendebat. Tum alter testium illum ad lumbos pulsatum præcipitem dabat interram. Ex qua pulsatione si extinctus non esset, tollebant testes lapidem ibidem collocatum; is erat justum duorum hominum onus; quem alter testium super præcipitatum reum vi projiciebat. Quod si ne sic quidem expirasset, universus populus illum lapidabat.* Talmud Hieros. Sanhedrin fol. 23. 1. Babyl. Sanhed. fol. 42. 2. בית הסקילה חוץ לבית דין *locus lapidationis erat extra Synidrium juxta illud Levit.* 24. v. 14. *Educ blasphemum extra castra.* Traditio. *Locus lapidationis erat* חוץ לג מחנות *extra terna castra.* Gloss. *Atrium, erant castra divinæ præsentiæ: Mons Templi, castra Levitarum: Hierosolyma, castra Israelis.* R. Moses Maimonides in tractatu summa Talmudica, quam יד חזקה inscripsit, tract. de ædificio Templi cap. 7. num. 11. *Castrorum,* inquit in elegantissima germani fratris mei Ludovici De Veil M. A. interpretatione Latina, *erant in deserto genera tria, Israelitarum, quæ erant quadri-*

gertita

pertita Levitarum, de quibus dicitur. Num. 1. v. 50. Ac per gyrum Tabernaculi metabuntur. *Dei, quod in Tabernaculo fœderis erat citra januam atrii. Atque ad horum rationem postmodum quod ab porta Hierosolymæ ad montem ædis intercedebat spatium, id respondebat castris Israelitarum. Quod autem ab porta montis ædis ad portam atrii, quæ eadem fuit porta Nicanoris, spatium intercedebat, id Levitarum respondebat castris: & quod spatium erat circa portam atrii, castra Dei repræsentabat.* Doctissimè autem idem germanus frater ad ejusdem Maimonidis tract. de ratione adeundi Templi cap. 3. num. 2. adnotavit: *Id esse verum, vel ex Apostolo cognoscere licet, qui Epist. ad Hebræos cap. ult. ita loquitur:* Quorum enim animalium infertur sanguis pro peccato in sancta per Pontificem, horum corpora cremantur extra castra. Propter quod & Jesus ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est. Exeamus igitur ad eum extra castra.

Et testes. Ut scilicet ad lapidationem se primos expedirent ex Legis præscripto, Deut. 17. v. 7. *Quamvis igitur,* inquit Beza, *omnia ista per tumultum sint facta, & quidem violatâ præsidis provinciæ autoritate, voluerunt tamen isti videri nihil agere nisi ex Legis divinæ præscripto. Josephus 20 Antiq. 8. narrat simili audaciâ, procurante Judæam Albino Festi successore, Ananiam Pontificem curasse lapidandum Jacobum fratrem Domini, cujus facinoris causa fuerit Pontificatus Ananiæ abrogatus, & ad Jesum quendam translatus.* Præclare autem pro more Calvinus ad locum mox laudatum Deut. *Non abs re sceleratos Deus interfici voluit eorum manu, quorum testimonio damnati essent. Carnificum usus non fuit in veteri populo, quò major esset in exigendis pœnis religio, modestia, & reverentia. Testibus autem maximè has partes mandavit, quia multorum nimis lubrica est lingua, ne dicam futilis, ut audacter voce jugulare non dubitent quem non auderent digito attingere. Optimum ergo huic levitati coercendæ remedium fuit, non admittere testimonium ullius, nisi ad exequendum judicium parata esset manus.*

Vestimenta sua. Scilicet summa seu exteriora. Gr. τὰ ἱμάτια. Ludovicus De Dieu ad Jo. 13. v. 4. *Etsi,* inquit, τὸ ἱμάτιον *interdum pallium denotet, non tamen, quod sciam,* τὰ ἱμάτια *in plurali unum pallium denotat. Nec periculum est de nuditate. Quum enim in calidis istis regionibus tenuissimâ materiâ induerentur, plures vestes aliis superinjiciebant, ne radiorum solarium vis facilè penetraret; quos tamen facilè abjiciebant, cùm id opportunitas ferret. Proximè corpus erat* כתונת tunica; *super eam* מכנסים femoralia; *supra eam* אסטלא stola, *vestis talaris, cui addebatur* חגור, cingulum, *quo succingebatur, ne gressum impediret; supra hæc omnia* מעיל *sive* מרטוט, pallium. *Fac ergo pallium & stolam deposuerit Dominus, rectè dicitur in plurali exuisse,* ἱμάτια, *nec tamen nudus fuerit. Quin etiam nudus rectè dicitur fuisse Dominus, ex*

phrasi

phrasi Orientalibus usitata, ubi nudus dicitur, qui stolam abjecit, etsi tunicâ & femorali adhuc indutus sit. Sic Rex Saul nudus cecidit coram Samuele, 1 Sam. 19. v. 24. *Sic Petrus nudus in navigio Jo.* 21. v. 7. *qui propterea dicitur accinxisse τὸν ἐπενδύτην, non utique infimam vestem, sive induvium, sed quæ, ut nomen indicat, alii superinduebatur, stolam nempe, quæ, ut diximus, cinctura astringebatur; unde etiam dicitur, τὸν ἐπενδύτην διεζώσατο.*

Adolescentis. Saulus, qui hîc νεανίου *adolescens* nuncupatur, erat secundum Chrysostomum tricenario major, cùm testium vestimenta ad pedes suos deposita custodiret. Et sanè paulò pòst, ubi ad Christum convertitur, ἀνὴρ *vir* appellatur ab Ananiâ infrà cap. 9. v. 13. Nec credibile homini adolescenti, qui non excesserit ex ephebis, tantùm potestatis in Christianos tributum fuisse à Pontifice ibid. v. 2. Quin & infrà cap. 26. v. 4. Saulus ipse testatur juveniles annos à se transactos inter Judæos ante suam conversionem. Estius in Epist. ad Philem. ait *Saulum persecutorem adolescentem, seu potiùs juvenem* νεανίαν *vocari ab ætate juvenili, quæ protenditur usque ad annum trigesimum quintum, imò secundum alios usque ad annum quadragesimum.* Cicero cùm pro Sexto Roscio causam diceret, se vocat *adolescentulum*, cùm tamen tunc temporis annum ageret vigesimum septimum secundum Gellium lib. 15. cap. 28. Antonius Grassensis Episcopus in vita Pauli, eum scribit annum trigesimum tertium egisse, cùm Christi Ecclesiam infestaretur. Ex eo tempore usque ad undecimum Neronis imperii annum, quo Colossos ad Philemonem per Onesimum ipsius servum Paulus in vinculis scripsit epistolam, fluxere juxta Chronologiam Usserii Armachani anni triginta, atque ita Paulus tunc sexagenario major meritò in ea epistola v. 9. se *senem* vocat, cùm, uti adnotavimus ad Joel 1. v. 2. Senex dicatur Hebræis, qui sexaginta annos natus est.

Qui vocabatur Saulus. Hic Hebræus ex Hebræis natus, ex Benjamitis tribu ortus, Tarsi in Cilicia (quam urbem rerum Philosophicarum & liberalium disciplinarum studio tum celebrem fuisse confirmat Strabo lib. 14.) in lucem editus, sectâ Pharisæus & Pharisæi filius, Hierosolymis hoc tempore in Ciliciam Synagoga rerum divinarum studio dans operam, Gamalielis doctoris inter Pharisæos celeberrimi scholam frequentabat; Legis Mosaicæ simul & traditionum πατροπαραδότων tenacissimus. Vide infrà cap. 21. v. 39. cap. 22. v. 3. cap. 23. v. 6. & 34. cap. 26. v. 4 & 5. 2 Cor. 11. v. 22. Gal. 1. v. 14. Phil. 3. v. 5 & 6.

Et lapidabant Stephanum invocantem. Nempe Dominum Jesum, ut ex sequentibus hîc subintelligitur. Eruditissimus Curcellæus institut. lib. 5. cap. 21. num. 21. *Nec parvum pondus est,* inquit, *in his Christi, verbis ad Discipulos Jo.* 14. v. 13 & 14. Quic-

Quicquid petieritis: *Et*, Siquid petieritis in nomine meo, ego id faciam. *Non enim preces suorum exaudiret, & quæ petunt largiretur, si nullum imperium haberet. Unde apparet istud*, Siquid petieritis in nomine meo, *de precibus ad eum immediatè directis accipiendum esse, quasi dixisset, Siquid petieritis à me, potestati & promissioni meæ confisi. Alias non est dubium quin preces nostras etiam ad Deum Patrem in nomine Jesu Christi dirigere possimus, imò & debeamus, ut docemur Jo. 15. v. 16. v. 23. Sed de talibus precibus hoc loco non agitur. Ideo etiam Stephanus moriens non dubitavit eum invocare, dicens*, Domine Jesu, Suscipe spiritum meum. *Ubi ridiculum est effugium eorum, qui vocem* Jesu *volunt Genitivi casûs; quasi Stephanus preces suas non direxisset ad ipsum Jesum, sed ad Deum Patrem, qui est Jesu Dominus. Nam præterquam quod Jesu Christus perpetuo in Scriptis Novi Testamenti, nomine* Domini, *ad distinctionem Dei Patris, insignitur, non patitur etiam usus linguæ Græcæ ut in phrasi ista,* κύριε Ἰησοῦ, *postrema vox* Ἰησοῦ *sit Genitivi casûs; oportuisset enim illi articulum præfigere, & dicere* τοῦ Ἰησοῦ *ad distinguendam personam Jesu à Deo patre; aliàs nemo est istius linguæ peritus, qui possit tam phrasin aliter quàm in Vocativo totam accipere*, uti Apoc. 22. v. 20.

60. *Positis autem genibus.* Ut fieri solebat in precibus intensioribus, maximè in periculis.

Dominе, &c. *Stephanus beatus*, inquit Ambrosius Ser. 56. de tempore, *fide suâ non super terram quæsivit Christum, sed stantem illum ad Dei dexteram recognovit: ibi illum reperit, ubi mentis devotione quæsivit. Non solùm autem Stephanus in cælo videt Christum, sed eum & martyrio suo tangit. Tangit enim Dominum, cùm pro inimicis suis orans, velut fide suâ tenens illum, dicit*, Domine, ne statuas illis hoc peccatum. *Intelligite ergo quanta devotionis est gloria. Maria Magdalena Jo. 20. v. 17. juxta Dominum constituta tum tangere non meretur, Stephanus in terris positus Christum tangit in cœlo. Illa inter Angelos præsentem non videt Salvatorem; Stephanus inter Judæos, Dominum cernit absentem.*

Ne statuas. Gr. στήσῃς. *Ad verbum*, inquit Grotius, *ne appendas. Sic Esd. 8. v. 25 & 32. Job 28. v. 15. Jer. 32. v. 9 & 10. Zach. 11. v. 12. Est verbum hoc ἱστάναι*, statuere, *pro Hebræo* שָׁקַל, *quod 1 Reg. 20. v. 39. vertitur* τιθέναι pendere; *Exod. 22. v. 17.* ἀποτίειν, reddere; *Es. 55. v. 2.* τιμᾶσθαι, appendere. *Olim pecuniæ erant as grave, quod pendi & sic solvi solebat. Inde* σταθμὸς *Græcis Romanis* libripens, impendia, expensæ, pendere, pensiones, & *similia. Quia autem in rationibus aquandis, quod alteri imputo id non minùs me liberat, quàm si penderem, id est, solverem, hinc factum est ut* Ἰσταῦσθαι *sit* imputare. *Et propter similitudinem quam crimina cum debitis pecuniariis habent, sicut* solvere *dicitur* pœnas, *qui eas patitur, ita* imputare, *qui eas exigere vult*, non imputare, *qui exigere non vult. His autem*, ne impendas *aut* im-

pu-

putes, *hoc valet, Ne tanti hoc crimen facias, ut viam illis ad conversionem obstruas, quemadmodum & in dicto Christi Luc.* 23. *v.* 34.

Obdormivit. Id est, morte occubuit.

In Domino. Hoc est, propter Dominum, seu Christi causâ. Hebræi sic ב usurpant. A textu Græco abest, *in Domino.*

CAP. VIII.

1. *Saulus*, &c. De persecutione Ecclesiæ Hierosolymitanæ acturus, statim Sauli, qui principalis ejus persecutionis causa fuit, mentionem facit, simul commemorans, quâ occasione is ad persecutionem Fidelibus Christi, qui Hierosolymis agebant, inferendam fuerit inductus, quòd nempe consentiens fuerit neci Stephani, vel potiùs, quòd fuerit, ut textus Græcus habet, *συνευδοκῶν, condelectatus*: id est, ut zelosus Pharisæus unà cum Stephani lapidatoribus, de quibus cap. præcedenti, ipsius nece delectatus fuerit. Ita nimirùm postquam semel degustavit Fidelium sanguinem, graviori ejusdem siti fuit inflammatus, & ad manus iisdem inferendas impulsus.

In illa die. Id est, circa illud tempus.

In Ecclesia Id est, contra Ecclesiam.

Omnes. Qui fidem Christi erant amplexi, & aliquot millibus constabant.

Dispersi sunt per regiones Judeæ & Samariæ. Id est, per oppida & pagos Judææ strictè dictæ ac Samariæ. Ex his autem credentibus ita dispersis haud multò pòst alii Damascum sunt profecti infrà cap. 9. v. 19 & 25. inter quos erat Ananias, vir secundum Legem religiosus, & testimonium habens ab omnibus ibi habitantibus Judæis, infrà cap. 22. v. 12. Alii ipsam quoque fortasse Romam, atque inter eos Andronicus & Junius Sauli persecutoris cognati & ante ipsum Christi fidem amplexi, Rom. 16. v. 7. Alii denique usque Phœnicem, & Cyprum, & Antiochiam perambulaverunt; solis Judæis verbum Domini annuntiantes, infrà cap. 11. v. 19. illis nimirùm qui iis in locis inter gentes erant dispersi, Jac. 1. v. 1. 1 Per. 1. v. 1.

Præter Apostolos. Qui Jerosolymæ subsliterunt, ut inibi invictâ professerentur constantiâ se divinitùs electos esse testes ac præcones eorum quæ auditu & visu sibi comperta sunt de Christo hominum Servatore.

2. *Curaverunt*, &c. Q. d. Stephani autem funus unà cu-

rabant viri religiosi, & verbis & lachrymis uberrimis contestati sunt, quàm graviter atque acerbè illius necem ipsi planè immerenti illatam ferrent. Quod tamen illos satis moderatè fecisse dubium non est, cùm præceptorum Christi, quæ inter alia etiam immoderatum luctum prohibent, probè gnari essent. Vide 1 Thes. 4. v. 13.

3. *Saulus*, &c. Redit Lucas ad persecutionem Fidelium Ecclesiæ Hierosolymitanæ describendam, q. d. In tanta autem cruentorum Judæorum rabie adversus Christi Ecclesiam, Saulus præ ceteris eam vastabat. Potestate namque à Synedrio acceptâ, non solùm quum ab eo interimerentur sancti, tulit contra illos suffragium, sed etiam ipse irrumpens in singulas domos, atque inde trahens tum viros tum mulieres, vinciebat eos & carceribus includebat, ac per omnes Synagogas frequenter cædebat: atque ita metu aliquos Christum abnegando blasphemare coegit, alios in fide constantes ad mortem persecutus est. Adeo crudelis ac furibundus est impetus Zeli qui non est secundum scientiam. Vide infrà cap. 9. v. 13 & 21. cap. 22. v. 4, 5 & 19. cap. 26. v. 9, 10 & 11. Gal. 1. v. 13 & 23. Philip. 3. v. 6. 1 Tim. 1. v. 13.

4. *Igitur qui dispersi erant.* Ob persecutionem Hierosolymis excitatam.

Pertransibant. Hoc est, peragrabant varia loca.

Evangelizantes verbum Dei. Hoc est, prædicantes sive annuntiantes, quocunque veniebant, Christi doctrinam, ipsius Apostolorúmque miraculis confirmatam. Qualis annuntiatio cuivis Christiano doctrinæ evangelicæ gnaro permissa est. Imò eandem charitas, quam aliis ab ea alienis debemus, & amor divinæ gloriæ propagandæ à quibuslibet Christianis illam postulant.

5. *Philippus.* Ille qui suprà cap. 6. v. 5. in catalogo Diaconorum recensetur secundus, & infrà cap. 21. v. 8. *Evangelista* nuncupatur.

Descendens in civitatem Samariæ. Id est, deveniens Sebasten, quæ olim vocabatur Samaria, vel si clarissimi Lightfoot conjecturis credimus, Sichem tunc temporis totius Samaritidis metropolim. Vide quæ diximus de Samaria suprà cap. 1. v. 6.

Prædicabat illis Christum. Hoc est, annuntiabat illius urbis incolis salutare Christi Evangelium.

6. *Intendebant autem turbæ*, &c. Q. d. Unanimiter autem ingens hominum multitudo assentiebatur doctrinæ à Philippo prædicatæ, auditis miraculis quæ alibi ediderat, & visis iis, quæ ipsis cernentibus edebat.

7. *Multi*, &c. Q. d. Multi quippe à cacodæmonibus obsessi, fuerunt ab eorum tyrannide liberati, ipsis dæmoniis clamore

more nimio prodentibus ſe invitos ex obſeſſis expelli, aliſque quàm plurimi artubus ſoluti, vel manibus, vel pedibus capti ſanati fuerunt.

8. *Factum eſt ergo gaudium magnum in illa civitate.* Tum propter ſanitatum beneficia, tum propter Evangelii gratiam.

9. *Vir autem quidam nomine Simon.* Cognomento Githeus à Gitta Samariæ pago, unde erat oriundus.

Qui antè. Quàm Philippus Diaconus Samariam Hieroſolymâ deveniſſet.

Fuerat in civitate. De qua meminit ſuperior verſiculus.

Magus. Id eſt, præſtans diabolicâ arte ea, quæ nec divinâ nec naturali virtute efficiebantur.

Seducens gentem Samariæ. Q. d. Atque hac ratione factum eſt, ut dementârit ac faſcinârit gentem Samaritarum.

Dicens ſe eſſe aliquem magnum. Id eſt, jactans ſe magnificentiſſimè. Scholiaſtes Horatii ad Epiſt. 1. lib. 2. *Quaſi Magus promittat ſe agere magna.*

10. *Cui auſcultabant omnes à minimo uſque ad maximum.* Hoc eſt, ejus præſtigiis fidem dabant plerique omnes non tantùm vilioris tenuioriſve, verùm etiam dignioris ac ſublimioris conditionis Samaritæ. Non ad ætatem, ſed ad ſtatum voce minimi & maximi hîc reſpicitur, ut Deut. 1. v. 17. & Pſ. 115. v. 13.

Dicentes, &c. Q. d. Adeo ut perſuaſiſſimum haberent ipſum Simonem eſſe illud numen, quod quæque gens utì ſupremum veneratur. *Dicebat Simon*, inquit Irenæus lib. 1. cap. 20. *ſe eſſe ſublimiſſimam virtutem, hoc eſt, eum qui ſit ſuper omnia Pater.*

11. *Attendebant autem eum.* Q. d. Erat autem tanta Simonis apud Samaritanos autoritas.

Magiis. Id eſt, magicis præſtigiis.

Dementâſſet. Id eſt, ad inſaniam impuliſſet. Tantùm, permittente Deo, poteſt Satanas per ſua inſtrumenta in animis hominum efficere.

12. *Cùm verò credidiſſent.* Samaritæ dementia ſoluti,

Evangelizanti de regno Dei, in (Gr. &) *nomine Jeſu Chriſti.* Id eſt, prædicanti beatiſſimum illum Starum cœleſtem, quem ex Dei gratia per Chriſti merita ſint conſecuturi, qui ejuſdem Chriſti promiſſis firmiſſimè crediderint, ipſiúſque præceptis conſtanter paruerint. Evangelii ſummam Lucas ſuprà v. 5. expreſſit breviùs *prædicatione Chriſti*, hîc verò plenius *prædicatione regni Dei & nominis Jeſu Chriſti*, at ſenſus utrobique idem eſt; Chriſtus enim nos cum Deo reducit, reconciliat, reſtituit in gratiam: deinde nos ſuo Spiritu regenerat, ut profligato Satana Deus in nobis regnet ac renovati in Spiritualem juſtitiam, mundóque mortui cœleſtem vitam agamus in terris, tandémque æternâ in cœlis beatitate donemur.

Baptizabantur. Hoc est, immergebantur in aquam, juxta Christi præceptum Mar. 16. v. 16.

Viri ac mulieres. Qui nimirùm se religionem Christianam amplexos profitebantur, non verò infantes, qui quum omninò non intelligant Evangelium prædicatum, ei assentiri, id est, credere non possunt. Vide dicta suprà cap. 2. v. 38 & 41. & dicenda infrà v. 37 & 38.

13. *Tunc Simon.* Homo iste ante hac tam perversus, insignitérque improbus.

Et ipse credidit. Evangelicæ doctrinæ à Philippo prædicatæ, fide scilicet temporariâ, si vera sunt quæ de ipso Simone prodidere Patres. Vide Mar. 4. v. 17. & Luc. 8. v. 13.

Et cùm baptizatus esset. Id est, cúmque fidem suam præceptâ à Christo immersione in aquam publicè professus fuisset.

Adhærebat Philippo. Id est, à Philippi latere non recedebat, jugitérque & assiduè ipsius prædicationi attendebat.

Videns etiam signa & virtutes maximas fieri. Hoc est, miracula divinâ virtute patrata à Philippo ad confirmationem doctrinæ ab ipso prædicatæ,

Stupens admirabatur. Tanta nimirùm est vis divini Spiritûs, ut etiam impiissimorum hominum possit corda percellere atque in stuporem rapere.

14. *Cùm,* &c. Q. d. Apostoli verò, qui ut dictum est suprà v. 1. Hierosolymis manserant, reliquis Fidelibus inde dispersis, certiores facti de Samaritarum conversione ad Christi fidem, omnium consensu ex collegio suo Samariam ablegarunt Petrum & Joannem, eo nimirùm fine, ut Samaritis manus imponerent, atque ita illis impertirentur eximia Spiritus-sancti dona, ut ex sequentibus apparet. Obiter hinc videre possumus, Petrum non fuisse Senatûs Apostolici & totius Ecclesiæ Monarcham. Non solet enim legatus legante major vel superior esse. Existimo Papam nunc non passurum se aliquò mitti à Cardinalibus vel Coepiscopis.

15. *Qui.* Petrus scilicet & Joannes.

Cùm venissent. Nempe in Samariæ urbem, in qua Philippus Diaconus Evangelium Christi prædicaverat.

Orarerunt pro ipsis. Samaritis. Unde videre est facultatem impertiendi dona Spiritûs-sancti non in ipsorum Apostolorum, sed Dei ac Christi manibus fuisse. Aliàs enim precibus Petri & Joannis opus non fuisset.

Ut acciperent Spiritum-sanctum. Id est, dona illa eximia Spiritûs-sancti, quibus tunc passim ii, qui fidem in Jesum Christum suscipiebant, non tantùm qui prædicaturi Evangelium & Ecclesiæ gubernationi præfuturi erant, mirabiliter donabantur: ut facultatem prophetandi, & linguis variis loquendi

di adepti, doctrinam Christi, quæ tunc nova erat, confirmarent. Vide suprà cap. 2. v. 38. & infrà cap. 10. v. 44, 45 & 46. cap. 19. v. 6. & 1 Cor. 12. v. 8, 9 & 10.

16. *Nondum enim in quenquam illorum venerat.* Q. d. Nullus enim istorum Samaritarum adhuc donatus erat eximiis illis donis, in quibus Deus quasi visibilem Spiritûs sui præsentiam Ecclesiæ suæ ad tempus exhibuit, ut Evangelii sui autoritatem in perpetuum sanciret, ac simul testatum faceret, Spiritum suum semper Fidelium præsidem ac directorem esse futurum.

Sed baptizati, &c. Q. d. Licet in Christum jam credidissent fidémque suam baptismo aquæ palàm juxta Christi præceptum professi fuissent. Atque hinc videre est dona illa extraordinaria Spiritûs-sancti neque fidei synceritati, neque baptismo aquæ legitimè susceptо esse alligata, tantùm abest, ut vi fidei aut baptismi aquæ cuipiam conferantur.

17. *Tunc imponebant manus.* Mos fuit multis gentibus, sed Judæis præsertim, res insigniores non verbis tantùm, sed & conspicuis rebus designare, unde orta manuum impositio, cùm per preces divina potentia pro altero invocaretur. Vide Gen. 48. v. 14 & 15. Mat. 9. v. 18. 19. v. 13 & 14. Mar. 10. v. 16. Solebat autem Deus hunc honorem exhibere Prophetis, ut dona sua ad ipsorum preces, quarum symbolum erat manuum impositio, in alios conferret. Sic Moses jussus erat Josuæ manus imponere, ut ille eâ ratione ad Mosis preces ampliora Spiritûs dona acciperet, Num. 27. v. 18 & 20. Naaman Syrus invocationem Dei conjungit cum manuum impositione 2 Reg. 5. v. 11. Ita & Deus ab Apostolis invocatus ad ipsorum manuum impositionem singularia illa dona conferebat, quibus initio evangelicæ prædicationis plerosque Fideles donabat, ut essent firmissimum fidei ad Christum conversorum sigillum, atque indubitatum veritatis doctrinæ Christi argumentum. *Meminerimus* inquit præclarè Calvinus, *organum Dei fuisse manuum impositionem, quo tempore visibiles Spiritus gratias suis contulit. Ex quo verò talibus divitiis privata fuit Ecclesia, inane duntaxat esset ipsa strum.*

Et accipiebant Spiritum-sanctum. Q. d. Et ad preces Apostolorum, ipsorúmque manuum impositionem Deus Samaritis ad Christum conversis & juxta ipsius præscriptum in aquam immersis insignes contulit Spiritûs gratias, quibus donati vaticinia, aliáque stupenda opera edere poterant, qualia commemorantur 1 Cor. 12.

18. *Cùm vidisset,* &c. Hoc est, ubi Simon Magus deprehendisset eos, quibus manus imponebant Apostoli, tam certò eximiis Spiritûs donis impertiri, ac si illa dona in manibus Apostolorum essent reposita, mercari vult hanc facultatem con-

ferendi peculiares gratias iis, quibus ipse manus imposuerit. Ex eo autem quod cœleste donum tam vile existimavit Simon, ut id pecuniâ comparare tentaret primus sub Evangelio, pretii terreni datio & acceptio pro re sacra & spirituali *Simonia* nuncupatur, 1 Q. 1. C. *Presbyter*, & 1 Q. 3. C *Altare*. Canonistæ tamen ex Scholasticorum sententia emtores tantùm rerum sacrarum *Simoniacos* vocant, venditores autem *Giezitas* appellant à Giezi Heb. גיחזי, *Gehazi*, servo Elisæi Prophetæ, 2 Reg. 5. v. 20 & seqq.

19. *Datis*, &c. Non ipsa Spiritûs-sancti dona passim credentibus data, sed donum, quo Apostoli soli erant instructi, ut nempe ad eorum preces darentur ista dona cuicunque manus imposuerint, mercari vult, quasi pretio subjaceret quod omni auro est carius.

20. *Pecunia*, &c. Q. d. Pecunia ad tam nefarium usum oblata quasi sceleris animi planè profani contagione infecta ac polluta maneat tecum, tecúmque pereat eodem exitio, quo tu, nisi resipiscas, certè mactaberis; quando tantâ contumeliâ afficis Spiritum Dei, ut inæstimabile ipsius donum nobis ad Christi gloriam nostro ministerio illustrandam gratuitò concessum impiæ nundinationi subjicere velis. Petri verba non tam imprecationem, quàm comminationem, seu comminativam prædictionem esse, adnotavere Beda & Glossa ordinaria. Conditionaliter autem esse intelligendam respectu personæ Simonis palàm fit infrà v. 22.

21. *Non est*, &c. Q. d. Neque enim, ut nunc es affectus, potes esse particeps & compos vitæ istius æternæ quam nos prædicamus. Rationem reddit Petrus cur Simoni Mago versu mox præcedenti omen detestabile tam confidenter denunciaverit.

In sermone isto. A nobis videlicet prædicato de vita æterna per fidem synceram & vivam in Christum consequenda. Hic sermo *Evangelium* passim, & *verbum Dei* vocitatur. Vide suprà v. 4 & 14.

Cor enim tuum non est rectum coram Deo. Multi qui insyncero sunt corde in Dei conspectu, plerunque Spiritûs donis excellunt. Neque enim fecit Judæ proditoris perversitas atque hypocrisis quin Spiritûs donis polleret: nec Spiritûs dona adeo corrupta fuissent 1 Cor. 14. si cor syncerum ac ab omni pravitate alienum habuissent. Non itaque causam assignat Petrus cur Simon donorum Spiritûs compos fieri nequeat, utì supponunt ii, qui *Sermonis* nomine per Hebraismum significari putant negotium istud nempe donorum Spiritus-sancti; sed curvitam æternam in Evangelio ab Apostolis prædicato promissam assequi non possit, quia nimirùm cordium scrutator Deus, qui non salvos facit

facit nisi rectos corde, videt ipsius cor esse pravum ac perversum, & per obliquos recessus ab Evangelica synceritate deflexisse.

22. *Pœnitentiam*, &c. Q. d. Si ergo eâ quæ te manet, pœnâ vis liberari, jamjam tuæ te malitiæ pœniteat, & abjectâ omni perversitate atque hypocrisi recte ac syncere ad præscriptum doctrinæ Evangelii à nobis prædicati tuas actiones dirigas, deprecatúmque accedas ad Deum, ut vafræ isti cordis tui donis Spiritus impiè ad quæstum profanum abutendi machinationi clementer ignoscat. Particula *si fortè* hoc loco non dubitationem aliquam significat, sed quantum in deprecanda nefarii sui facinoris pœna difficultatis, & quantum laboris Simon sit habiturus. *Ergo*, inquit Calvinus, *non incutit Petrus Simoni terrorem, qui impetrandi fiduciam evertat in eius corde, vel perturbet: sed spem certam illi faciens, si supplex petierit ac ex animo, tantùm excitandi ardoris causâ, veniam pro sceleris gravitate difficilem esse, commemorat. Necesse enim est, ut fides nobis in adiundo Deo præluceat: imò ut sit precationis mater.*

23. *In felle enim amaritudinis*, &c. Gr. εἰς γὰρ χολὴν πικρίαν, &c. Interpretes accipiunt εἰς *in* cum Accusativo pro ἐν *in* cum Ablativo, quod alibi fatear necessarium esse, an hîc sit dubito; potest enim εἰς Hebraismum continere, qualis est Es. 51. v. 31. וה׳ הרפתן לנערת, *& erit fortis in stupam*, id est, stupa, ופעלו מצרף, *& opus ejus in scintillam*, id est, scintilla. 2 Cor. 6. v. 18. *Ero vobis* εἰς πατέρα, *in patrem*, id est, pater, *& eritis mihi* εἰς υἱοὺς καὶ θυγατέρας, *in filios ac filias*, id est, filii ac filiæ. Sic hoc loco ἐμφατικοτέρως Petrus dicit Simonem esse merum fel amaritudinis meráque impietatis colligationem, quàm esse in felle amaritudinis & obligatione seu colligatione iniquitatis. Q. d. Video te totum, quantus quantus es, scatere peccatis, & inextricabilibus propemodùm viriis irretitum teneri. In verbis Petri duo sunt perelegantes metaphoræ, quarum prior sumta videtur ex Deut. 29. v. 18. & 32. v. 31. altera ex Es. 58. v. 6. Similes phrases vide 2 Tim. 2. v. 26. & Heb. 12. v. 15.

24. *Precamini vos pro me ad Dominum.* Sensit Simon se esse talem intùs, qualem Petrus dixerat. Itaque cùm Petrum ejúsque socium Joannem gratiâ & dilectione à Domino Jesu insigniter honorarum judicet Deo caros, eorum deprecatione uti vult, ut Jobi deprecatione qui eum læserant.

Ut nihil veniat super me horum quæ dixistis. Nempe suprà v. 20. Tametsi autem unus tantùm Petrus loquutus narratur, Joannes tamen ejus verba approbavit, vel eis similia addidit. *Nunc*, inquit Calvinus, *exoritur quæstio, quid sit de Simone sentiendum? Scriptura non longiùs quàm ad conjecturam nos ducit, quòd*

objurgationi cedit, & tactus peccati sui sensu, Dei metuit judicium: deinde ad Dei misericordiam se confert, seque precibus Ecclesiæ commendat. Hæc certè non minima sunt pœnitentiæ signa, conjicere ergo licet ipsum resipuisse. Et tamen veteres uno consensu tradunt gravem posteà fuisse Petro adversarium, & Romæ cum eo per triduum disputasse. Extat etiam scripta disputatio sub nomine Clementis, sed quæ tam putida deliria continet, ut mirum sit à Christianis auribus posse ferri. Deinde ostendit Augustinus ad Januarium varios & fabulosos rumores ea de re suo tempore Romæ vagatos fuisse. Quare nihil tutius est, quàm incertis opinionibus valere jussis, simpliciter amplecti quod Scripturis proditum est. Quod alibi de Simone scriptum legimus, meritò plures ob causas suspectum esse potest. Inter Simonis hæreses Epiphanius recenset quod dixerit Vetus Testamentum esse à malo Deo, cùm tamen alii patres bene multi de eo referant ipsum dixisse se esse Patrem, Filium & Spiritum-sanctum, & in persona Patris in monte Sina Legem dedisse Judæis, & in Filii persona apparuisse Tiberii tempore, mortémque imaginariam passum, posteà se in linguis igneis super Apostolos in persona Spiritus-sancti descendisse: Christum autem nec venisse, nec à Judæis quicquam pertulisse. Rursus alii scribunt ipsum docuisse, se esse Deum, qui in Samaria descenderit quasi Pater, Judæis apparuerit tanquam Filius, in reliquis verò gentibus quasi Spiritus-sanctus adventaverit. Ignatius ad Trallianos Simonem magum vocat τὸν τοῦ ἀρχεκάκου ὄφεως πρωτότοκον, *primogenitum principis malitiæ Serpentis filium.* Romæ in insula Æsculapii ad fluenta Tiberis, inter duos pontes, eundem Simonem ait Justinus Martyr. Apol. 2. ad Antoninum fuisse donatum statuâ & arâ Latinis literis inscriptâ, *Simoni Deo Sancto.* Simonem circumgestasse ait Photius ep. 38. Imaginum cultum introduxisse ait Epiphanius hær. 21. Ab eo genus quoddam tonsuræ fuisse excogitatum videre est apud Bedam lib. 5. hist. Ang. cap. 82. Ab eodem processerunt Angelici, teste Aug. Hær. 39. ita dicti, quòd Angelos religiosè colerent, quos reprehendit Apostolus Col. 2. v. 18. Quam hæresin Apostoli temporibus exortam scribit Theodoretus in locum memoratum B. Pauli: & de iisdem hæreticis esse intelligendum canonem trigesimum quintum Concilii Laodiceni, qui in eadem regione Asiæ Oratoria extruxissent S. Michaeli Archangelo. Processerunt etiam ab eo Collyridiani, qui Christi matrem divino honore colebant, teste Epiphanio. Quotquot in se crederent, aiebat Simon nec legum horrere minas, sed facere tanquam liberos quæcunque vellent: non enim per bona opera obtenturos salutem, sed per gratiam. Id de eo testatur Theodoretus in Hæreseōn epitome. Simonianos ipsius discipulos negasse Jesum esse Filium Dei liquet ex Origenis lib. 5. contra Celsum. Ab eo-

eodem vitari martyrium & idola indiſcriminatim adorari teſtatur idem Origines lib. 6. contra Celſum. Idem Simon ſceleruм ſociam habuiſſe dicitur Selenen, id eſt, Lunam, ſeu, ut alii vocant, Helenam, Tyrium ſcortum, quàm è telonio abs ſe abductam, ut omnibus commendaret, utì ſuam Ægeriam Numa Pompilius, Deam, & Spiritum-ſanctum, & ἔννοιαν divinam appellabat, & eſſe affirmabat, ex qua Angelos procreârit. Propter ipſam Trojanum bellum olim fuiſſe ſuſceptum, quæ eſt ovis illa perdita, quam quæſiturus è cœlis deſcenderit, immutatâ Dei formâ, ne ab Angelis qui cuique cœlo præſunt agnoſceretur. Horum omnium atque aliorum quæ de Simon dicuntur, fides ſit penes autores.

24. *Et illi quidem.* Petrus ſcilicet & Joannes, qui recens Hieroſolymis illuc miſſi erant.

Teſtificati & locuti verbum Dei. Q. d. Ubi fideliter protulerant quæ à Chriſto Domino didicerant, ut ſolida Evangelicæ doctrinæ à Philippo Diacono prædicatæ autoritas conſtaret, ac vigeret tanquam probè teſtata & authentica veritas. Hinc patet non ideo tantùm Hieroſolymis Samariam deveniſſe Petrum & Joannem ut donis Spiritus-ſancti ditarent Samaritas, ſed etiam ut comprobando Philippi doctrinam illos in fide jam recepta ſtabilirent.

Et multis regionibus Samaritanorum evangelizabant. Q. d. Multiſque in oppidis Samaritarum, per quæ tranſibant, evangelium prædicarunt.

26. *Angelus*, &c. Clementiâ & miſericordiâ præſigni Chriſtus Dominus uno ex cœleſtibus nuntiis, qui jam ei in cœlum profecto ſunt ſubjecti, 1 Pet. 3. v. 22. utitur ad ſalutiferam ſui cognitionem homini impertiendam.

Locutus eſt ad Philippum. Diaconum videlicet & jam Evangeliſtam, qui in Samaria doctrinam Chriſti primus prædicavit & miraculis comprobavit.

Surge, &c. Angelus nihil nec temerè dicens nec aſtutè reticens, quò Philippo ſit eundum exprimit, ad probandam ipſius obedientiam, quid Chriſtus ipſum facere velit demonſtrat; quo profectu vel quem in finem abſcondit atque ſupprimit. Ita quiſquis ſucceſſa Domino committens, perrexerit quò ille jubet, tandem experietur feliciter ſuccedere quæcunque ipſius auſpiciis atque juſſis cœpta fuerint.

In Gazam. *Gaza* eſt purum putum nomen Hebræum עזה, id nominis ſonat Latinè, *munitam, fortem.* LXX literam *Ain* per *G* ſolent proferre, & aliquando negligunt, unde hæc Phœniciæ urbs *Aza* & *Gaza* appellatur. Antiquitùs ad Palæſtinos pertinebat, poſteà ad Judæos. Nam Juda eam cepit Judic. 1. v. 18. Deinde volventibus annis Alexander Magnus eam expug-

pugnavit, in cujus obsidione vulnus in humeros accepit, ut tradit Arrianus lib. 2. de expeditione Alexandri, qui ejus situm sic describit: Ἀπέχει δὲ ἡ Γάζα τῆς μὲν θαλάσσης εἴκοσι μάλιστα σταδίους, καὶ ἐστι ψαμμώδης καὶ Βαθεῖα εἰς αὐτὴν ἡ ἄνοδος, καὶ ἡ θαλάσσα ἡ κατὰ τὴν πόλιν τεναγώδης πᾶσα. Μεγάλη δὲ πόλις ἡ Γάζα ἦν, καὶ ἐπὶ χώματος ὑψηλοῦ ὤκιστο, καὶ τεῖχος περιεβέλητο αὐτῇ ὀχυρόν. Ἐσχάτη δὲ ᾠκεῖτο ὃς ἐπ' Αἰγύπτου ἐκ Φοινίκης ἰόντι ἐπὶ τῇ ἀρχῇ τῆς ἐρήμου: id est, *Distat verò Gaza à mari quidem viginti stadiis, & est arenosus & profundus ad eam ascensus, & mare, quod est juxta urbem, limosum omne. Urbs autem ipsa magna, & in alto colle sita, validóque muro cincta est. Ultima porrò incolitur, ex Ægypto in Phœniciam eunti ad principium eremi.* Tandem Alexander Judæorum rex, qui & Jannæus dictus fuit, Aristobuli frater, eam diruit, Josepho teste 13 Antiq. 21. Samson seu Simson Hebræorum judex olim hanc urbem gestis suis suáque morte illustravit. Judic. 16. Ab hujus situ parùm distat *Gaza nova*, autore Justo Hebræo, & Dominico Mario Nigro lib. 4. Constantini Magni tempore à Constantia ejus sorore *Constantia* dicta fuit, autore Eusebio in Chronico. Ex hac urbe fuêre Procopius *Gazæus*, nec non Timotheus *Gazæus*, qui, ut refert Suidas, sub Anastasio imperatore floruit. In ea anno Domini M. DC. LXVI. Surrexit pseudopropheta Nathan, qui unà cum suo pseudomessia Sebathai Sebi decepit stultos Judæos, non eos quibus

Ex meliore luto finxit præcordia Titan.

Facilè homines præsertim stulti credunt quæ desiderant.

Hæc est deserta. Hebraismus, id est, quæ est deserta. Hoc quidam referunt ad viam, quæ respectu alterius viæ eodem tendentis non admodum trita fuerit propter intercurrentes Casii montis solitudines, ut Strabo lib. 16. scribit. Alii potiùs ad Gazam veterem, quæ ab Alexandri Jamnei, seu Jannæi temporibus deserta mansit. Desertam fuisse Gazam hanc quo tempore Lucas hæc scribebat, Strabo, qui sub Tiberio floruit, testatur, in eo tamen deceptus quod ab Alexandri Magni ætate desertam mansisse putat.

27. *Et surgens abiit* Q. d. Philippus voci Angeli obsequuturus abiit illicò quò jussus erat.

Et ecce vir Æthiops, Id est, homo quidam ex Æthiopia, quæ, ut creditur, nunc vocatur regnum Abyssinum. Zaga Zabo Abyssinorum Episcopus apud Damianum à Goes, *Nos*, inquit, *fermè priùs ceteris Christianis omnibus Baptismum ab Eunucho Candacis reginæ Æthiopiæ, cui nomen erat* Indich, *accepimus.* Evangelii semina ab hoc Eunucho apud Æthiopes sparsa, fuisse post-

poſtmodum apud eoſdem exculta & latiùs propagata ab Evangeliſta Matthæo, teſtantur Iren. lib. 3. cap. 12. Euſebius lib. 2. Hiſt. cap. 1. Hier. in Eſ. 51.

Eunuchus. Nomen hoc Græcum derivatur ab εὐνὴ, quod eſt *cubile*, & ἔχω, *habeo*: & ſignificat *cubicularium* ſeu *præpoſitum cubiculi.* Quia verò qui in gynecæo adhibebantur quaſi fœminarum cubilis cuſtodes, plerunque caſtrati erant, hoc nomine vocari ſunt omnes, quorum teſticuli, qui viriliratis ſunt veluti teſtes, execti eliſi, contuſive fuerunt. Hujuſmodi hominibus natura præ nimia frigiditate veneris uſum negavit, quorum operâ Perſarum reges utebantur, nominante etiam Stephano pagum quendam Perſidis *Spadam*, in quo cœperit caſtrationis conſuetudo. Reginarum quoque ſervitiis Spadones adhiberi ſolitos fuiſſe locuples teſtis eſt Terentius Eunuch. Act. 1. ſc. 2.

> ——— *Eunuchum porrò dixti velle te,*
> *Quia ſolæ utuntur his Reginæ, reperti,*

Itaque ſi Æthiops iſte fuit eviratus, impletum eſt in eo quod prædixit Eſaias cap. 56. v. 4 & 5.

Potens. Gr. Δυνάστης. Græco vocabulo utitur Cicero Philippicâ undecimâ, Seneca in Thyeſte. A Tertulliano lib. de Reſurrectione carnis redditur *Potentator*, id eſt, homo ſummâ poteſtate præditus.

Candaces Reginæ Æthiopum. Plinius lib. 6. Nat. Hiſt. cap. 29. Candacem ait eſſe nomen Æthiopum reginis commune, quod multis jam annis ad eas tranſiit. *Huic quidem*, inquit Ludovicus de Dieu, *proprium fuiſſe nomen* Lacata, *catalogus Regum Æthiopiæ, quem Marianus Reatinus Grammaticæ ſuæ ſubjunxit, aſſerit; etſi perexigua catalogo iſti, quippe fabulis ineptiiſque refertiſſimo, fides adhibenda ſit.*

Qui erat ſuper omnes gazas ejus. Gaza dicitur eſſe vox Perſica, ſignificans opes, ſupellectilem, ærarium & quicquid poſſidemus. Fuit igitur iſte, cuſtos regiæ pecuniæ, ſeu præfectus theſauri regalis, qui vocari ſolet *Theſaurarius*. Æthiopicus interpres addit hunc eunuchum fuiſſe מנצח להגר גז, *præfectum urbis Gazæ.*

Venerat adorare in Jeruſalem. Sacrificaturus Deo vero in locum ex Lege huic ſolemni ipſius cultui dedicatum venerat Eunuchus, aut Judæus origine, licèt in Æthiopia natus, aut proſelytus; nam præputii primitiæ Cornelius infrà cap. 10.

28. *Et revertebatur*, &c. Q. d. Et poſt ſacra Hieroſolymis peracta, jam domum in Æthiopiam curru ſuo proprio revehebatur, vacabátque lectioni Eſaiæ Prophetæ. Egregium ſpecimen pietatis, quod tantus Dynaſtes etiam in itinere ſacram Scriptu-

Scripturam intentè legerit, etiamsi esset *laicus*, ut vulgò vocant, & *politicus*. Nam & talibus commendata est sacræ Scripturæ lectio, ut Deut. 17. v. 18 & 19. Jos. 1. v. 8.

29. *Dixit*, &c. Q. d. Spiritus autem sanctus intùs Philippo dictabat, Accede propiùs ad currum, ejúsque lateri adhære.

30. *Accurrens*, &c. Q. d. Philippus alacriter Spiritui sancto morigeratus, ex lectione cui Dynasten intentum deprehendit, captavit occasionem patefaciendi ei Evangelii veritatem.

31. *Quomodo possum*, &c. Loquitur non de quovis Scripturæ testimonio, non de jussis & veritis, quæ per se clara sunt, nihilque indiga explicationis; sed de mystica prophetia, quæ quamdiu eventu caret, aut eventus licèt præsens, alicui est ignotus, non satis intelligitur. At si eventui jam præsenti accedat facta per virum divino Spiritu repletum interpretatio, fit prophetia intellectu præfacilis, sicut hic Dynastes sensum abstrusioris perioches sibi à Philippo semel tantùm propositum statim agnovit & perspexit. *Magnificè*, inquit Aug. 2. doct. Christ. 6. *& salubriter Spiritus-sanctus ita Scripturas sanctas modificavit, ut locis apertioribus sani occurreret, obscurioribus autem fastidia detergeret. Nihil enim ferè de illis obscuritatibus eruitur, quod non planissimè dictum alibi reperiatur.* Itaque in obscurioribus Scripturæ locis explicandis consulendi sunt peritiores qui in eis multùm sunt versati. Sed ita consulendi, ut consulti perspicuè palam faciant, non verò imperent sequendum esse sensum ab iis indicatum quamvis incomperum ante consultoribus. Nam & hîc Philippus Dynasten interrogavit num satis intelligeret quæ legeret; comperta ergo atque intellecta oportet quæ sunt credenda.

Rogavitque Philippum, &c. Magna fuit Dynastæ modestia atque humanitas, qui non tantùm se ab homine ignoto, &, ut apparebat, ignobili interrogari æquo animo passus, sed ultrò & ingenuè suam inscitiam fassus, ipsum quàm amantissimè in currum suum ad sessionem & colloquium atque Scripturæ sibi non claræ declarationem invitavit.

32. *Locus*. Gr. περιοχὴ a verbo Græco Περιέχω, quod est, *contineo*, *complector*; hoc est, verborum quadam circumscriptione comprehensa, conclusáque sententia, quam vulgò *sectionem* & περικοπὴν vocant.

Tanquam ovis, &c. Lenitas & patientia Christi pro expiandis hominum peccatis mortem oppetituri describitur per similitudinem ovis & agni placidè tolerantium tonsuram ipsámque mactationem, cùm cetera pleraque animalia dum vel ad tonsuram ducuntur, vociferari soleant & reluctari.

Sic non aperuit os suum. Q. d. Sic ille, qui Jo. 18. v. 6. uno verbo numerosam cohortem prostraverat, quum captus ducere-

retur, vinciretur, flagris cæderetur, affigeretur cruci, non minaciter expostulavit, indignantiáve verba jactavit. Vide 1 Pet. 2. v. 23.

33. *In humilitate* (Gr. *humiliatione ejus*) *judicium ejus sublatum est.* Id est, tetrâ ac detestabili oppressione ipsius contra jus omne morti damnatus datúsque fuit. Heb. Es. 53. v. 8. מעצר וממשפט לקח, *à coactione & à judicio sublatus est.* Hoc est, postquam nefariâ Judæorum seditione vinctus fuit, atque sacrilegâ Pilati voce damnatus, in crucem sublatus est. Vide Jo. 3. v. 14. & cap. 12. v. 32 & 33. LXX legisse videntur in textu Hebræo בעצרו לקח משפטו.

Generationem, &c. Q. d. Quis oratione consequi posset perversitatem generationis in qua ille vixit, quæ eò impietatis ac nequitiæ processit, ut immerenter ipsum atroci morte multaverint. *Frequentia*, inquit Lightfoot, *sunt hæc & hujusmodi apud ipsos Judæos, Midras Schir. fol.* 173. In generatione, in qua Filius Davidis veniet, Synagoga erit lupanar, Galilæa destruetur, & Gablan desolabitur. —— Sapientia Scribarum putrescet, viri boni & misericordes deficient, & deficiet ipsa veritas, & facies istius generationis erunt sicut facies canum. —— R. Levi dicit: Filius Davidis non veniet nisi in generatione in qua facies erunt impudentes, & quæ meretur excidium. Dicit R. Jannai: Cùm videris generationem post generationem convitiantem & blasphemantem, tum expecta pedes, id est, adventum, Regis Messiæ. Hactenus Cl. Lightfoot.

Quoniam tollitur de terra vita ejus. Heb. Es. 53. v. 8. כי נגזר מארץ חיים, *quia abscissus est* à *terra viventium.* Hoc est, immaturâ morte ac violentâ ipsum immeritissimè mactarunt. Vide Dan. 9. v. 26. Luc. 23. v. 31. Posita sunt autem ista Prophetiæ verba in præterito cùm significationem habuerint futuri. Ex prædictis hîc per Esaiam optime intellexerunt Judæi toleratum iri à Messia labores, angustias, ignominias, violentam denique mortem fœdúmque supplicium. Verùm cùm & supremos ipsi paratos honores, maximam potentiam, regnúmque adeo, ex Prophetarum vaticinationibus compertum haberent, huic discrepantiæ oraculorum, quibus duo portenduntur Christi adventus, humilis alter & inglorius, splendidus alter & magnificus, optimè occurrere se posse sperarunt, si duos Messias comminiscerentur; alterum Josepho illo prisco, Jacobi & Rachelis filio oriturum, qui Nehemias Uzielis filius dicendus esset; infelicem hunc & ærumnis devotum ac cruentæ morti in prælio obeundo adversus impium & monstrosum Armillum; alterum ex prosapia Davidis proditurum, Israelitici regni vindicem, circumfluentem gloriâ, dispersos Israelitarum coacturum, per quem Messias Josephi filius ad vitam

vitam sit revocandus, postquam Armillum & universum Armilli exercitum Deus igne & sulphure de cœlo emissis deleverit. *Traditur*, inquit omni eruditionis genere illustris Huetius, *doctrina hæc in libro sexto partis secundæ Talmudis, qui est de festo Tabernaculorum, cap. 5. Traditur & in Berescith Rabba, & apud R. Davidem Kimchi, Aben-Ezram, R. Makirum in Pulvere aromatico, aliósque Rabbinos complures è recentioribus. In quo mirabile est quantus ipsis error illuserit. Prædicitur unus Messias, duplex adventus; duplicem illi Messiam, unicum adventum expectant. Cujus commenti siquis rationem ab iis postulet, vel nullam dabunt, vel ineptam. Proferunt verba hæc Isaiæ 32. v. 20.* Beati, qui sem natis super omnes aquas, immittentes pedem bovis & asini. *Sationem illam interpretantur stipem in egenos collatam, quam qui erogaverit, dignum illum fore aiunt Elia, & utroque Messia: ac Eliam quidem notari dictione* immittentes, *idcirco quod Mal. 4. v. 5. scriptum est.* Ecce ego mitto Eliam Prophetam. *Pedem bovis exponunt Messiam Josepho oriturum, quòd de Josepho dixerit Moses morti proximus Deut. 13. v. 17.* Quasi primogeniti tauri pulchritudo ejus: *Asinum verò interpretantur Messiam Davidis filium, quem prædixit Zacharias cap. 9. v. 9. futurum pauperem & asinâ vectum iri. Piget has nugas referre, quæ extant tamen in Berescith Rabba; sed utile est sectæ hujus perspectam habere vecordiam. Puduisset verò recentiores resipiscere. Itaque patrum suorum autoritatem sequuntur. At eorum errorem vel hoc ipsum ex Berescith Rabba testimonium coarguit, ubi Messiam Davidis filium, pauperem futurum ex Zachariæ vaticinio agnoscunt. Igitur nescire se fatetur Aben-Ezra, utrum Messiam illic indicet Zacharias: cùm Saadias Gaon eundem indicari velit, cui Daniel cap. 7. v. 14. potentiam, opes & regnum æternum spondet. Altera verò Mosis περιοχὴ, quâ Josephus primogenito tauro comparatur, quâmque in Messiam Josephi filium conferunt, adscribitur Messiæ Davidis filio in Midrasch Thehillim. Aiunt Judæi hæc de Messia Davidis filio prædixisse Jacobum Gen. 49. v. 10.* Donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium; *& ista Ps. 71. v. 17.* Et benedicentur in ipso omnes tribus terræ: omnes gentes magnificabunt eum *At in libro Thalmudico Sanhedrin eadem testimonia referentur ad eum Messiam de quo dixit Isaias cap. 53. v. 4.* Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit. *R. Selomon Jarchi in expositionibus suis ad Gemaram Sanhedrin, & R. Moses Alschech, ad Davidicum Messiam pertinere aiunt quinquagesimum tertium Isaiæ caput, quo Messiæ narrantur dolores, ignominiæ & interitus. Quam opinionem aliquot locis retinet R. Isaac Abrabaniel. Messiam hic quidem Davidicum iis significari docet, quæ habentur Is. 11. v. 3 & 4.* Non secundum visionem oculorum judicabit, neque secundum auditum aurium arguet, sed judicabit in justitia pauperes. *At liber idem Sanhedrin pœnis à Deo affectum*

ſectum iri docet Meſſiam ab Iſaia illic prædictum. Meſſias Ruthe pregnatus, is ipſe eſt qui Davidis nepos fuit; tamen in Ruth Rabbathi lugitur, regnum Meſſiæ huic & calamitates portendi his verbis, quæ ſunt Ruth 2. v. 14. Veni huc & comede panem, & intinge buccellam tuam in aceto. *Itaque Rabbini quidam, nec infimi nominis, Meſſiam unicum. ſed bis venturum eſſe conſentiunt.*

34. *Reſpondens.* Id eſt, loqui incipiens, ſeu orſus. Vide explicationem noſtram literalem Mat. 11. v. 25.

De ſe. Haud abſurdè quidem de ipſo Eſaia, qui multa pertulit mala Manaſſis tempore, intelligi iſta poſſunt aliquatenùs ſenſu typico. Sed ſenſu pleno ac perfecto de alio intelliguntur, nempe de Chriſto dolores, contumelias acerbiſſimúmque interitum perpeſſo, ut nos æternâ ſalute donaret.

35. *Aperiens*, &c. Q. d. Philippus autem orationem prolixam exorſus, ab hoc, qui præ manibus erat, Eſaiæ loco ſumſit occaſionem tradendi Eunucho doctrinam de Jeſu, in quo hæc & aliæ Prophetarum vaticinationes eximio modo ſunt impletæ. Enarravit ei, Jeſum illum è familia Davidis, ortum, Bethlehemi natum ex virgine, noſtríſque pro delictis diram mortem paſſum, à mortuis excitatum ſedere ad dexteram Dei Patris, cujus unigenitus eſt Filius; neminémque æternâ ſalute donandum, niſi qui vehementer vitioſi ſui ſtatûs pœnitens in ipſum Jeſum crediderit ejúſque præceptis paruerit. Fidem iſtam ac pœnitentiam profeſſos immergi debere in aquam ex Chriſti inſtituto, ut eis hac ſacrâ immerſione remiſſio peccatorum, quam eorum pœnitentes per Chriſtum, dum in ipſum credunt, gratìs conſequuntur, quaſi obſignetur.

36. *Et dum irent per viam.* Id eſt, quum pergerent iter, quod Eunuchus Hieroſolomis Gazam habebat.

Venerunt ad quandam aquam. Euſebius in libro de locis Hebraicis, quem interpretatus eſt, & auxit Hieronymus, ait: *Bethur in tribu Juda ſive Benjamin, & eſt hodie Bethſoron vicus octavis nobis ab Ælia Chebron in vicesimo lapide, juxta quem fons ad radices montis ebulliens ab eadem, in qua gignitur, ſorbetur humo. Et Apoſtolorum Acta referunt Eunuchum Candacis Reginæ in hoc eſſe baptizatum à Philippo. Eſt & alia villa Bethſur in tribu Juda, mille paſſibus diſtans ab Eleutheropoli.*

Ecce aqua, &c. Apparet apertè Eunuchum inter cetera à Philippo edoctum iis, qui vitioſæ vitæ pœnitentes Chriſti fidem ſunt amplexi, aquæ Baptiſmum neceſſariò eſſe ſuſcipiendum veluti ſacrum ritum ab ipſo inſtitutum atque præceptum ut novæ in ſe vitæ eſſet ſymbolum, obtentæque per ipſum peccatorum remiſſionis ſigillum.

37. *Si Credis.* Quod non admittitur Eunuchus ad Baptiſmum niſi fidem ſynceram in Chriſtum profeſſus, ſatis indicat quàm

quàm verè dixerit Basilius Magnus lib. de Spiritu-sancto cap. 12. *Fides & Baptismus duo sunt salutis modi inter se cohærentes & inseparabiles; Fides enim perficitur per Baptismum, Baptismus verò fundatur per Fidem: & per eadem nomina utraque res implatur. Sicut enim credimus in Patrem & Filium & Spiritum-sanctum: sic etiam baptizamur in nomen Patris & Filii & Spiritûs-sancti. Et præcedit quidem confessio ad salutem inducens:* ἐπακολουθεῖ ὃ τὸ βάπτισμα, ἐπισφραγίζον ἡμῶν τὴν συγκατάθεσιν, *consequitur autem Baptisma, obsignans nostram confessionem ac pactum.* Est autem pactum Dei promissio de nobis æternâ salute donandis, & restipulatio nostra de Deo colendo juxta revelatam nobis ipsius voluntatem. Idem Ecclesiarum Magister lib. 3. contra Eunomium: *Baptismus est sigillum fidei, fides verò confessio Deitatis. Credere enim prius oportet, deinde Baptismo obsignari.* Juxta hanc regulam Scripturæ ipsique rationi consentaneam, Græcorum plerique ab omni ævo ad hunc diem morem servant differendi parvulorum Baptismum, donec ipsi fidei suæ confessionem possint edere, uti Grotius ad Mat. 19. v. 13. adnotavit. Sed imprimis notatu dignus est canon sextus Synodi Neocæsariensis, cujus hæc sunt verba: περὶ γυναικὸς ὅτι δεῖ φωτίζεσθαι ὁπότε βάλητοι. οὐδὲν γὰρ ἐν τούτῳ κοινωνεῖ ἡ τίκτουσα τῷ τικτουένῳ, διὰ τὸ ἐχάτερα ἰδίαν τὴν προαίρεσιν τὴν ὅτε τῇ ὁμολογίᾳ δείκνυσθαι: *De muliere prægnante ut baptizetur ubi volet: nihil enim puerpera hac in re partui communicat. Nam & hujus & illius quæ sit voluntas ostendit professio.* Utcunque enim alioversum trahant interpretes, apparet ideo de Baptismo prægnantium motam quæstionem, quòd videretur cum matre simul proles baptizari, quæ tamen baptizari non debebat, nec soleret nisi super propria voluntate ac professione. Et sic in compendio canonum titulo quarto explicat Balsamo: ἃ δύναται φωτισθῆναι διὰ τὸ μηδέπω εἰς φῶς ἐληλυθέναι, μηδὲ προαίρεσιν ἔχειν ἢ ὁμολογίας τοῦ ἁγίου βαπτίσματος: *Non potest baptizari, quia nondum in lucem venit, neque habere voluntatem potest professionis faciendæ quæ in sancto Baptismate requiritur.* Et Zonaras, τὸ ἔμβρυον χρείαν βαπτίσματος ὅτε προαιρεῖσθαι δύνηται: *Fœtus tunc opus habebit Baptismate cùm eligere poterit agendo.* Definit autem Synodus Baptismum mulieris utero gravis ideo rectè procedere, quòd ad matrem solam quæ de se professionem ederet, non etiam ad uterum pertineret. Synodus autem ista Neocæsariensis primam Nicænam præcessit; subscriptus namque Neocæsariensi legitur Basilius Amaseæ Episcopus, qui sub Licinio Martyr occubuit, ut refert Eusebius in Chronico. Gregorius Nazianzenus orat. 40. quæ est in sanctum Baptisma, agens de iis qui sine Baptismo decedunt, exemplum ponit in iis, quibus Baptismus non contigit διὰ νηπιότητα, *propter infantiam.* Atque is ipse Nazianzenus, Episcopi cùm esset filius, patris sub cura diutissimè

mè educatus, baptizatus non fuit, niſi cùm ex ephebis exiiſſet; ut ipſe in Vita ſua nos docet. Baſilius ſimiliter Magnus, ſanctiſſimis prognatus parentibus, & ad pietatem formatus à puero, nonniſi in ætate virili baptizatus fuit, ſiqua fides ipſius vitæ quæ ſub nomine Amphilochii circumfertur. Joannes Antiochenus, dictus poſteà *Chryſoſtomus*, parentibus natus Chriſtianis, ut verior habet ſententia, à Meletio Epiſcopo inſtitutus, baptizatus eſt poſt annum primum & viceſimum. Hieronymus quoque, Ambroſius, & Auguſtinus Chriſtianis parentibus oriundi, atque Chriſtianæ diſciplinæ uſque à cunabulis conſecrati non ante trigeſimum ætatis annum fuere baptizati. Unde apparet apertè, *non niſi corroboratis jam confirmatiſque & ingeniis & ætatibus ad Baptiſmum acceſſiſſe ſapientiſſimos noſtrorum in Chriſto patrum*, uti ad ſect. 12. Vitæ Chriſti in Serm. de pœnitentia num. 20. Dunenſis Antiſtes Jeremias Taylor animadvertit. Tertullianus lib. de Baptiſmo cap. 11. ſuadet parvulos venire ad Chriſtum ut inſtituantur, non ut baptizentur, niſi poſtquam vim Baptiſmi intellexerint. *Itaque*, inquit, *pro perſonæ cujuſque conditione ac diſpoſitione, etiam ætate, cunctatio Baptiſmi utilior eſt: præcipuè tamen circa parvulos. Quid enim neceſſe eſt Sponſores etiam periculo ingeri, qui & ipſi per mortalitatem deſtituere promiſſiones ſuas poſſunt, & proventu malæ indolis falli? Ait quidem Dominus*, Nolite illos prohibere ad me venire. *Veniant ergo dum adoleſcunt, veniant dum diſcunt, dùmque veniunt doceantur. Fiant Chriſtiani quum Chriſtum noſſe potuerint. Quid feſtinat innocens ætas ad remiſſionem peccatorum? Cautiùs agetur in ſecularibus, ut cui ſubſtantia terrena non creditur, divina credatur: norint petere ſalutem, ut petenti dediſſe videaris.* Ludovicus Vives ad Aug. 1 Civ. Dei 27. ait *neminem niſi adultum antiquitùs ſolere baptizari.* Illuſtriſſimus Meldenſis Antiſtes, J. B. Boſſuet in tractatu Gallico de Sacra Synaxi ſub binis ſpeciebus p. 127. A l'egard des petits enfants, les pretendus reformés diſent bien que leur baptême eſt fondé en l' Ecriture, mais ils n'en rapportent aucun paſſage précis, et ils argumentent par des conſequences tres éloignées pour ne pas dire tres douteuſes et méme tres fauſſes. Id eſt, *Quoad parvulos, aiunt quidem qui ſibi Reformatorum nomen arrogant* (ſic Pontificii in Gallia Proteſtantes Calvini placitis addictos nominitare ſolent) *eorum Baptiſma Scripturæ autoritate niti, ſed locum ex ea id diſerte affirmantem proferunt nullum, & quas ex eadem ad id probandum deducunt conſequentias, remotiſſimæ ſunt, ne dicam, maximè dubitabiles, nimiumque faliaces.* Huic illuſtriſſimi Præſulis tractatui reſpondens anonymus longè doctiſſimus ait pag. 92.

Quand au Baptême des petits enfants, j' avoue quil n'y a rien de formel ni de precis dans l' Evangile pour en justifier la necessité: & les passages qu'on en tire ne prouvent tout au plus sinon qu'il est permis de les baptiser, ou plûtôt qu'il n'est pas défendu de les baptizer. Si tous les Anabaptistes s'en tenoient là, sans condamner cette pratique de crime et de sacrilege, ils auroient raison, et ne diroient rien qui ne fût fondé sur les principes communs à tous les Protestants. La primitive Eglise ne baptisoit point les petits enfants, et le scavant Grotius en a donné des preuves en ses notes sur l' Evangile. La pratique même de l' Eglise Romaine en est une marque evidente; car il faut demander le Baptême avant que d'entrer dans l' Eglise, & c'est le parain qui le fait au nom de l'enfant; il faut faire une profession formelle et expresse, et le parain la fait au nom de l'enfant; il faut promettre de renoncer au monde et à ses pompes, à la chair et au demon, et le parain fait tout cela au nom de l'enfant: n'est ce pas là une marque visibile que jadis c'étoient les personnes mêmes, qui en leur propre nom demandoient le Baptême, qui faisoient profession de leur foy, & renoncoient à leur vie passée, pour la consacrer desormais à Jesus Christ? Id est, *Quod attinet ad morem infantes baptizandi, fatetor nusquam in Evangelio quippiam disertè nominatí mque scriptum legi, unde constet pædobaptismi necessitas: eáque Evangelii loca, quibus probari solet, ad summum probare, quod ista infantes baptizandi consuetudo sit licita atque permissa, seu potius, impermissa illicitáque non sit. Si Anabaptistæ omnes hac in sententia consisterent, neque istam consuetudinem scelevis & sacriłegii damnarent, ratio staret cum ipsis, nec quicquam dicerent, quod non communibus omnium Protestantium principiis niteretur. Primitiva Ecclesia parvulos non baptizabat, i dque doctus Grotius in suis ad Evangelium notis planum fecit atque probavit. Id ipso Romanæ Ecclesiæ baptizandi ritu evidentissimè apparet; peteudus enim est Baptismus ante ingressum templi, quod infantis nomine præstat sponsor, dilucida ac distincta fidei confessio exigitur, quam idem sponsor infantis dicit recitat; abdicatio mundi, ejúsque pomparum, carnis & diaboli spondinda est, quam pro infante spondet præsinitialis, seu, ut vocant, pa-*

patrinus: nunquid hoc perspicuum est argumentum ipsos olim baptizandos suopte nutu & suo nomine Baptismum petere, fidem profiteri, & antiquam vitam repudiare fuisse solitos, ut quod præsenti vitæ in carne mortali transigendæ supererat, Christo Jesu consecrarent & publicè dedicarent? Curcellæus Dissert. de peccato Originis Num. 56. ait morem infantes baptizandi sine Christi mandato fuisse introductum, *& non cœpisse ante tertium à Christo nato seculum, in duobus verò prioribus nullum ejus vestigium apparere.* Inductus hic mos increbruit multò magis in Africa, quàm in Asia aliisve mundi partibus, & cum majori quàdam necessitatis opinione, ad quam lapsi sunt, qui illud Christi Joan 3. v. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest introire in regnum Dei*, de Baptismo interpretabantur, & quasi infantes etiam includeret; cùm tamen Dominus Jesus adultos tantùm in persona Nicodemi compellet, indicétque quantoperè ex Spiritu aqueo, id est, corda purificante, renasci indigeant. Alludit quidem Christus suâ metaphorâ ad aquæ Baptismum aliquando à se præcipiendum, sed de solo adultorum Baptismo cogitavit, cùm præceperit Mat. 28. v. 19. ut baptizandi priùs in fide instituerentur. *Non enim*, ut ad eum Matthæi locum B. Hieronymus adnotavit, *potest fieri ut corpus Baptismi recipiat Sacramentum, nisi antè anima fidei susceperit veritatem.* Vide quæ adnotavimus suprà ad cap. 2. v. 41.

Ex toto corde, Id est, serio cordis affectu, & fide non fictâ. *Scriptura*, inquit Calvinus, *totum cor sæpè accipit pro syncero & non fucato, cui opponitur cor duplex. Ita non est quod perfectè credere imaginemur eos qui ex toto corde credunt: quando infirma & pusilla fides in eo esse poterit, cui tamen integer erit animus & omni fictione purus. Sic accipere convenit, quod David jactat se diligere Dominum ex toto corde. Philippus certè Samaritanos priùs baptizaverat, quos tamen sciebat longè adhuc à meta distare. Fides ergo totius cordis est, quæ in corde vivas radices habens, ad quotidianos tamen profectus aspirat.*

Licet. Hinc colligere est quàm absurda sit illorum opinio, qui putant per baptismum, fidem in infantibus recens natis & omni rationis usu destitutis produci. Nam si Baptismus id non potest facere in adultis, multò minùs in infantibus. Nec potest dici, nisi perabsurdè, eos credere in Christum, vel in ejus evangelium, cùm ne minima quidem vel fidei umbra in eis appareat. Illi non agnoscunt parentes, & nesciunt quod sit discrimen inter dextram & sinistram, quomodo ergo caperent vel minimum quid de mysteriis regni cœlorum, quæ sunt fidei nostræ objecta? Illi nulli rei humanæ assentiuntur, an ergo assentirentur divinis? Illi nullum adhuc propositum animo formant, an ergo formarent istud propositum vitam secundum Evangelium instituendi? Nec multò sanior est illorum senten-

tia, qui infantibus non quidem fidei actum, sed tamen aliquod fidei semen ascribunt. Nam quodnam est istud semen? In semine latet tota vis & substantia rei aliquando inde oriturae. An tale quid est in infantibus? An hæc vis se exerit spontè in iis cùm adolescunt? Non sanè, nisi instituantur in doctrina evangelica. Sed, inquiunt, *Sine fide impossibile est placere Deo* Heb. 11. v. 6. Ergo statuendum est, aut infantes habere fidem, aut eos, si moriantur in infantili ætate æternùm damnatum iri. *Inepta consequentia*, inquit clarissimus Curcellæus Institut. lib. 7. cap. 8. *quasi verò non appareat illud, sicut & reliqua omnia Evangelii præcepta, ad adultos tantum, & institutionis seu virtutis ac vitii capaces pertinere, eosque solos obligare. Sanè non est magis necessaria fides ad salutem, quam reliquorum Evangelii præceptorum observatio, & quam vivere secundum spiritum, non secundum carnem. Cùm igitur sine istis servari posse credant infantes quidni etiam absque fide?* Produnt sacræ literæ 2 Sam. 12. v. 18. filiolum Davidi ex Bethsabe per adulterium natum obiisse die à natali septimo. Hunc sine circumcisione mortuum non dolebat, quem flebat moriturum. *Flebat*, inquit Ambrosius in concione funebri in obitum Valentiniani, *ne sibi eriperetur: sed flere desivit ereptum, quem sciebat esse cum Christo. Et ut scias verum esse quod assero, incestum Amnon filium flevit occisum, parricidam Absalom doluit interemtum: innocentem filium non putavit esse lugendum; quia illos sibi periisse sciebat pro scelere, hunc pro innocentia credidit esse victurum.* Hæc Ambrosii probatio demonstrat non fuisse illud speciale privilegium de illo infante Davidi revelatum; sed à communi lege, quæ omnes omninò, saltem credentium infantes in infantia morientes complectitur, argumentum consolationis accepisse Davidem.

Credo Filium Dei esse Jesum Christum. Q. d. Ex animo & pectore non ficto profiteor Jesum esse unigenitum æterni Dei Filium, promissum in Lege & Prophetis mundi redemtorem ac doctorem, qui sacrificio mortis suæ Patrem nobis in æternum placavit, & fulgore sui Evangelii absorpsit scintillas illas quæ in veteri Testamento micabant, ut qui ipsum audierit, atque ad normam ab ipso traditam vitam exegerit, deprecatione meritisque ipsius æternâ salute donaretur. Hinc patet *in nomine*, seu *in nomen Jesu Christi baptizari*, nihil aliud esse quàm professum fidem non fictam in Christum, ac pollicitum se serio cordis affectu amplecti doctrinam ab ipso in Scripturis revelatam, atque ad eam mores reformaturum & correcturum baptismo initiari.

38. *Et jussit stare currum.* Id est, imperavit aurigæ ut sisteret currum.

Et descenderunt uterque in aquam, Philippus & Eunuchus. Et baptizaturus & baptizandus in aquam descenderunt, quia ille istum

iſtum non tantùm aquâ aſpergere, ſed in aquam immergere debuit, Chriſto præcipiente βαπτισμὸν, *immerſionem*, non verò ῥαντισμὸν, *aſperſionem*. Ordo Romanus editus cum Scriptoribus de Ritibus Eccleſiaſticis; *Preſbyteri ingrediuntur in fontem intrò in aquam, & baptizantur primò maſculi, deinde fœminæ.* Lutherus Tom. 1. Witebergenſi Latino, fol. 71. de Sacramento baptiſmi; *Nomen* Baptiſmus *Græcum eſt, Latinè poteſt verti*, Merſio, *cùm intingimus aliquid in aquam ut totum tegatur aquâ. Et quamvis ille mos jam aboleverit apud pleroſque, neque enim totos demergunt pueros, ſed tantùm pauculâ aquâ perfundunt, debebant tamen prorſus immergi, & ſtatim retrahi. Id enim etymologia nominis poſtulare videtur. Et Germani quoque baptiſmum* Tauff *vocant à profunditate, quam* Tieff *illi linguâ ſuâ vocant, quaſi profundè demergi conveniat eos, qui baptizantur. Et ſanè ſi ſpectes quid baptiſmus ſignificet, idem requiri videbis; Hoc enim ſignificat, ut vetus homo, & nativitas noſtra plena peccatis, quæ ex carne & ſanguine eſt tota, per divinam gratiam demergatur. Debebat ergo modus baptizandi reſpondere ſignificationi baptiſmi, ut certum ac plenum ejus ederet ſignum.* Idem Tom. 2. Latino de captivitate Babylonica fol. 79. *Alterum*, inquit, *quod ad Baptiſmum pertinet, eſt ſignum, ſeu Sacramentum, quod eſt ipſa merſio in aquam, unde & nomen habet. Nam* Baptizo *Græcè*, mergo *Latinè*, & baptiſma merſio *eſt. Dictum eſt enim, juxta promiſſiones divinas dari & ſigna, quæ id figurent, quod verba ſignificant, ſeu, ut recentiores dicunt, Sacramentum efficaciter ſignificat.* Et paulò pòſt: *Qui miniſter puerum immergit in aquam, mortem ſignificat. Quod autem rurſum educit, vitam ſignificat. Ita Paulus Rom. 6. exponit.* Et poſt pauca: *Quod ergo baptiſmo tribuitur ablutio à peccatis, verè quidem tribuitur, ſed lentior & mollior eſt ſignificatio, quàm ut Baptiſmum exprimat, qui potiùs & mortis & reſurrectionis ſymbolum eſt. Hac ratione motus vellem baptizandos penitùs in aquam immergi ſicut ſonat vocabulum & ſignat myſterium.* Johannes Bugenhagius Pomeranus, *moderato ingenio, & eruditione rarâ excultus*, Thuano, *vir piiſſimus & doctiſſimus*, Zanchio, Lutheri in miniſterio & collega & ſucceſſor Witebergæ, circa finem libelli Germanici anno 1542. editi affirmat *ſe anno* 1529. *Hamburgi teſtem Baptiſmi rogatum fuiſſe, cùmque vidiſſet miniſtrum infantem, faſciis involutum relictum, in vertice capitis tantum aſperſiſſe, obſtupuiſſe: quia tale quippiam nunquam neque viderit, neque audierit, neque in ulla etiam hiſtoria legerit, excepto neceſſitatis caſu, in Cunicis. Convocatione ergo Miniſtrorum verbi omnium factâ, ſe à Miniſtro quodam M. Johanne Fritzs, qui Lubecæ Miniſter quondam fuerit, quæſiviſſe quomodo Lubecæ Baptiſmus adminiſtretur? Qui pro pietate & candore ſuo graviter reſponderit, infantes nudos Lubecæ baptizari, quemadmodum omninò in Germania. Unde verò & quomodo Hamburgum peculiaris ille baptizandi mos irrepſerit ſe igno-*

rare. Tandem convenisse inter ipsos, ut Lutheri & Theologorum Witebergensium hac de re judicium exploraretur: quo facto, *Lutherum rescripsisse Hamburgum, aspersionem hanc abusum esse, quem removere debeant. Ita mersionum Hamburgi restitutam esse.*

Usitata olim baptisteria satis ampla & capacia, mersionibus apta & accommodata fuerunt, in quibus baptisteriis per aquæductus, seu inferiores quosdam meatus aqua baptizato superfusa secedebat, utì vel ex hac quam subjicimus memorabili historia Socratis lib. 7. Hist. Eccl. cap. 17. palàm est. *Impostor quidam Judæus*, inquit in versione Cl. Henrici Valesii, *Christianum se esse simulans, sæpiùs fuerat baptizatus, & hujusmodi fraude multas pecunias collegerat. Ubi verò multas Christianorum sectas hac arte circumvenisset: nam & Arrianorum & Macedonianorum Baptismum susceperat: non habens amplius quos deciperet, tandem ad Paulum Novatianorum Episcopum accessit: séque Baptismi percipiendi desiderio flagrare affirmans, ut per ipsius manus illum susciperet obsecravit. Ille Judæi quidem voluntatem ac studium laudavit, sed Baptismum ti se daturum negavit, priusquam rudimentis fidei institutus fuisset, & complures adhæc dies jejuniis vacasset. At Judæus qui præter animi sui sententiam jejunare compellebatur, eò acriùs instabat ut Baptismo donaretur. Paulus igitur cùm eum instantem atque urgentem prolixiore morà nollet offendere, parat res ad Baptismum necessarias. Cúmque candidam vestem Judæo emisset, & alveum baptisterii aquâ jussisset impleri, Judæum eò tanquam baptizaturus adduxit. Verùm arcana quædam Dei vis atque potentia aquam subitò fecit evanescere. Cùm verò Episcopus & hi qui aderant, nihil ejusmodi quale tunc factum fuerat suspicati, aquam per subjectum meatum effluxisse crederent, quâ etiam emitti consuevérat, alveum denuò implent, meatibus undique diligenter obstructis. Cúmque iterum Judæus ad fontem adductus esset, iterum aqua penitus evanuit. Tum Paulus: Aut impostura facis, ô homo, aut ignarus jam antèa Baptismum susceperis. Hujus ergo miraculi spectandi causâ cum ingens hominum concursus fieret, quidam Judæum agnoscens, eum ipsum esse comperit, qui ab Attico Episcopo jam antèa fuisset baptizatus.* Pertinet huc etiam quod Centuriatores Magdeburgenses de Ratholdo Frisonum duce referunt Cent. 8. cap. 6. *Anno*, inquiunt, *Domini septingentesimo decimo octavo Ratboldus dux Frisonum prædicatione Vulfrani Episcopi ad hoc adductus ut baptizari deberet, cùm uno pede in lavacrum intravisset, alterum pedem retrahens, interrogavit, Ubinam plures suorum majorum essent? In inferno an in paradiso? Et audiens plures esse in inferno, intinctum pedem extrahens, Satius est, inquit, ut plures quàm pauciores sequar. Et ita ludificatus à dæmone, promittente quòd ei tertiâ die abhinc incomparabilia bona daret, ipsâ tertiâ die subitâ & æternâ morte periit. Sigibertus.* Refert eadem Henricus Erphordiensis *ex gestis Vulfrani, cap. 26. Bergomensis annum 729. assignat.* Eodem

dem ſpectat hiſtoria Conſtantini, qui Copronymi cognomen inde nactus, quòd infans cùm baptizaretur, ſacri lavacri aquas ventris excrementis conſpurcaverit anno Chriſti viceſimo ſuprà ſeptingenteſimum. Simile exemplum habemus in Imperatore Wenceſlao Caroli quarti filio, qui natus eſt Noribergæ IV. Kal. Octob. anni M. CCC. LXI. Et hic enim aquam Baptiſmi, cùm baptizaretur, ſtercore egeſto fœdaſſe ſcribitur. Quin & dum aqua adhibenda Baptiſmo Wenceſlai calefiebat paſtoralem domum ad D. Sebaldum periiſſe fama eſt. Quæ certè fieri non potuiſſent, ſi uterque Copronymus, hic in Occidente, ille in Oriente faſciis involutus pauxillulâ aquâ aſperſus aut perfuſus fuiſſet. Sub finem undecimi à Chriſto nato ſeculi Odo ſive Otho Bambergenſis Epiſcopus qui Evangelium primus Pomeranis prædicavit, utì Siffridus ejuſdem Othonis Preſbyter Aſſiſtens teſtatur apud Andream S. Michaelis Abbatem in ipſius Actis lib. 2. cap. 15. *Tribus extructis baptiſteriis ita ordinavit, ut ipſe ſolos mares pueros in uno baptizaret: alii autem ſacerdotes fœminas ſeorſim & viras ſeorſim.* Qualia verò fuerint hæc baptiſteria, & quo ritu omnes baptizarentur, ibidem in hunc modum exponitur: *Tantâ quoque diligentiâ, tantâ munditiâ & honeſtate, Pater optimus Sacramenti operationem fieri edocuit, ut nihil indecorum, nihil pudendum, nihil unquam, quod alicui Gentilium minus placere poſſet, ibi ageretur. Namque dolia grandia valde terræ altius immergi præcepit, ita ut ora doliorum uſque ad genu hominis, vel minus de terra prominerent, quibus aquâ repletis facilis erat in ea deſcenſus. Cortinas circa dolia, fixis columellis, funibuſque inductis, oppandi fecit, ut in modum coronæ velo undique cuppa cingeretur: ante ſacerdotem verò & comminiſtros, qui ex una parte adſtantes, Sacramenti opus explere habebant, linteum ſune trajecto pependit quatenus verecundiæ undique proviſum foret; ne quid ineptiæ aut turpitudinis notaretur in ſacramento, ne honeſtiores perſonæ pudoris occaſione ſe à Baptiſmo ſubtraherent.* Pergit autor & rem adhuc enucleatiùs narrat in hunc modum; *Cum ergo ad ſtadium Catechiſmi turbæ venirent, ſermone, qui talibus competeret, Epiſcopus eos omnes alloquens communiter, ſexúmque à ſexu dextrorſum & ſiniſtrorſum ſtatuens, catechizatos oleo perunxit: deinde à Baptiſterio digredi mandat. Igitur ad introitum cortinæ venientes ſinguli tantum cum patrinis ſuis intrabant, ſtatímque veſtem, quâ fuit amictus is, qui baptizandus erat, & cereum, illo in aquam deſcendente, patrini ſuſcipiebant, & ante faciem ſuam illam tenentes expectabant, donec eam redderent de aqua exeunti. Sacerdos verò, qui ad cuppam ſtabat, cum audiſſet potius, quàm vidiſſet, quòd aliquis eſſet in aqua, velo paululum amoto, trinâ immerſione capitis illius myſterii Sacramentum perfecit, unctúmque liquore chriſmatis in vertice, & albâ impoſitâ, reductóque velo de aqua juſſit exire baptizatum, patrinis veſte, quam tenebant, illum cooperientibus, atque deducentibus. Neque in hyeme Othonis diligentia,*

quod tempori commodum esset, invenire neglexit, nempe, instubis calefactis, & in aqua calida eodem nitore, atque verecundiæ observatione, infossis doliis, & cortinis adhibitis, thure quoque & aliis odoriferis speciebus cuncta respergentibus, veneranda Baptismi confecit Sacramenta. Hæc sancti Othonis accuratissima diligentia probat præposteram fuisse illorum prudentiam, qui post mille & trecentos à Christo annos Βαπτισμὸν à Christo institutum in ῥαντισμὸν immani audaciâ substitutum commutavere, ne in frigidis regionibus vel temporibus baptizandi, si juxta Christi præceptum aquis immergerentur, in morbos inciderent aut astringerentur frigore; huic quippe malo vel periculo aquæ calefactio remedium afferret, uti supra citatus insignis Theologus ac Reformator Johannes Bugenhagius in laudato libello Germanico fusiùs urget. Antiently, infit Chrysostomus hujus ætatis,

Those who were baptized, put off their Garments, which signified the putting off of the body of Sin; and were immersed, and buried in the Water, to represent the death of Sin; and then did rise up again out of the Water, to signify their entrance upon a new life, and to these customs the Apostle alludes, Rom. 6, &c. Hoc est, *Olim*, cum videlicet Baptismo nondum fuisset substitutus ῥαντισμὸς, *qui baptizabantur, vestes suas exuebant, quod quidem exuti corporis peccati imago erat; & immergebantur, atque sepeliebantur in aqua, quod mortem peccati repræsentabat; tumque ex aqua emergebant, quo palam testificabantur se novam vitæ rationem ingressos; hosque ad ritus alludit Apostolus, Rom. 6, &c.* Hæc Reverendus admodum S. T. P. Jo. Tillotson, Decanus Cantuarienſis, vir insigni in pauperes liberalitate (quam me subinde expertum animo grato profiteor) ingenii præstantiâ, animi candore, morum & doctrinæ puritate bonis omnibus commendatus, in Gravi & splendida concione in 2 Tim. 2. v. 19. **Christians,** inquit alter eruditione omnigena, & Synceræ pietatis zelo conspicuus Doctor Theologus, **Being plunged into the Water in Baptism signifieth their undertaking, and obliging themselves in a Spiritual sense to die, and be buried with Jesus Christ (which death and burial consist in an utter renouncing and forsaking of all their sins) that so answerably to**

to his Reſurrection, they may live a holy and a godly life : Hoc eſt, *Chriſtianorum in aquam immerſi dum baptizantur, ſignificat ipſos promittere ac ſpondere ſe velle cum Chriſto mori myſtico ſenſu, ac ſepeliri, (quæ mors atque ſepultura conſiſtit in extirpandis & funditus tollendis ipſorum peccatis) ut ita congruenter ipſius Reſurrectioni convenienterque ſanctam & religioſam vitam vivere poſſint.* Sic vim Apoſtolicorum verborum Rom. 6. v. 4. interpretatur Reverendus Evangelii miniſter Eduardus Fowler Gloceſtrienſis Canonicus in admirabili libro, quem de ſcopo Chriſtianæ religionis Anglicè conſcripſit. Meritò itaque doctiſſimus ille è Gallia Proteſtans Anonymus, qui illuſtriſſimi Meldenſis Epiſcopi Jacobi Benigni Boſſuet tractatui de communione ſub utraque ſpecie reſpondet, ait pag. 24 & 25.

Il eſt vray que juſques icy la plus grande partie des Proteſtans ne baptiſent que par aſperſion, mais aſſeurement c'eſt un abus. Et cette pratique qu'ils ont retenue de l'Egliſe Romaine ſans la bien examiner, comme pluſieurs autres extroſes quils en retiennent encore, rend leur Baptême fort defectueux. Elle en corrompt, et l' inſtitution et l' ancien uſage, et les rapports qu'il doit avoir avec la foy, la penitence et la regeneration. La remarque de M. Boſſuet, que le plongement a été en uſage pendant treize cens ans, merite bien qu'on y reflechiſſe ſerieuſement, qu'on en reconnoiſſe que nous n'avons pas aſſes examiné tout ce que nous avons retenu de l' Egliſe Romaine: et que puis qu'a preſent ſes plus doctes Prelats nous apprennent que c'eſt elle qui a aboli la premiere un uſage autoriſé par tant de fortes raiſons et tant de ſiecles, elle a tres-mal fait en cette occaſion, et que nous ſommes obligez de revenir a l'ancienne pratique de l' Egliſe et a l' Inſtitution de Jeſus Chriſt.

Hoc eſt, *Certum eſt à pleriſque ferè Proteſtantibus hucuſque Baptiſmum non niſi per aſperſionem adminiſtrari, at certè aſperſio hæc abuſus eſt. Hic ritus, quem minus accuratè conſideratum item, ut alia complura ab Eccleſia Romana retinuerunt, ipſorum Baptiſma plurimis vitiis deformat. Vitiat ejuſdem inſtitutionem, priſcumque uſum & eam ſimilitudinis affinitatem quæ ipſum inter atque fidem, pœnitentiam ac regenerationem intercedat neceſſe eſt. Hæc Domini Boſſuet animad-*

verſio,

versio, scilicet immergendi usum totos mille trecentos annos obtinuisse, digna est quæ diligenter attendatur, ut hinc intelligamus nos non solicitè, ut par erat, ea examinasse, quæ ab Ecclesia Romana retinuimus, atque ita, cùm doctissimi illius Ecclesiæ Præsules jam nos doceant morem tot gravissimis argumentis totque seculorum ætatibus firmatum ab ipsa primitùs abolitum fuisse, hoc ipsum fuisse perquàm iniquè ab illa factum, rationémque officii nostri postulare, ut primitivam Ecclesiæ consuetudinem, atque Jesu Christi institutionem repetamus. Idem ibidem paulò pòst: Quand nous accorderions donc à M. Bossuet que la force de ses préuves nous convainc, que l'essence du Bàptême consiste dans l'immersion, qu' espereroit il de notre part, sinon que nous luy sommes fort obligez, et que nous luy scaurons bon gré de nous avoir détrompez sur ce sujet, et comme nous sommes resolus de corriger desormais cet abus, nous le supplions aussi de corriger celuy du retranchement de la coupe. M. Bossuet, s'imagine-t-il que les Protestants veuillent preferer une pratique illegitime, et qu'on leur fait voir être telle, a l'institution de Jesus Christ même, et cela a fin de donner cet avantage à Rome, qu'elle se servira de cet exemple pour violer de son côté les loix de Jesus Christ? A Dieu ne plaise qu'ils soient dans une si malheureuse disposition! ils sont trop attachez à l'autorité de leur divin maitre, pour ne pas se rendre à sa voix si-tôt qu'on la leur fera entendre. Mes brebis suivent ma voix, et moy de mon côte je connois mes brebis. Il n'appartient qu'a ces loups qui viennent déguisez sous la peau de brebis, de la rejetter et de la fuir. Hoc est, *Ut ergo demus Domino Bossuet nos ipsius argumentorum vi convinci, Baptismi naturam atque substantiam in immersione sitam esse, quid à nobis speret nisi ut nos ipsi non vulgari beneficio devinctos profiteamur, eidémque gratulemur, quòd nos hac in re magnoperè errantes errore liberaverit, atque uti nobis quidem stat sententia, hoc erratum corrigere & emendare, sic prece & obsecratione humili ab eo contendamus, ut & illum de calice laicis ad sacram Synaxin accedentibus subtrahendo errorem corrigat atque emendet. Censétne Dominus Bossuet Protestantes majorem consuetudinis, quam gravissimis ac firmissimis argumentis compererunt non esse legitimam, habituros rationem, quàm ipsius Jesu Christi institutionis, idque*

ut

at Roma nanciſcatur opportunitatem ad Chriſti leges pernicioſâ exempli imitatione audaciter & liberè perfringendas? Procul ab ipſis abſit iſta noxia animi affectio! Aſtrictiores ſunt divini ſui magiſtri autoritati, quàm ut ipſius vocem aſpernentur, ubi ejus ſonus ad aures ſuas perlatus fuerit. Oves meæ ſequuntur vocem meam, & ego viciſſim oves meas cognoſco. *Nemo præter lupos ſub ovina pelle latentes eum reſpuit atque averſatur.* Hæc doctiſſimus Anonymus, quæ conſentanea ſunt ipſius paræneſi ad Pontificios ſacro calice Laicis interdicentes in præfatione laudatæ reſponſionis tractatui Epiſcopi Meldenſis de communione ſub utraque ſpecie.

Il n'y a point, inquit, a ſe flatter ici, ſous pretexte que l'uſage d' aujourdhuy eſt paſſé en coûtume, car Jeſus Chriſti ni ſon Evangile n'eſt pas coûtume mais verité. *Et il n' en étoit pas ainſi au commencement*, répond ce même Jeſus à ceux qui luy oppoſoient la méchante et deteſtable coûtume de leurs ancêtres. Quand il faudra comparoître devant le Tribunal de Jeſus Chriſt, il ne jugera pas ſes Diſciples par la coûtume, mais par la parole vivante et efficace de ſon divin Evangile. Il ne faut pas ſe flatter non plus qu'on pourra s' excuſer ſur l'autorité de l'Egliſe, car toute l'authorite, que Jeſus Chriſt a donnée à ſon Egliſe ne luy a été donnée que pour faire obſerver religieuſement ſes Loix et ſes Ordonnances celeſtes, et non pas pour les violer, les abroger, ni les anneantir.

Id eſt, *Palpationi idcircò nihil in hiſce rebus loci eſt obtendentibus hodierno uſui ſpecioſum receptæ conſuetudinis titulum, cùm Jeſus Chriſtus ejuſque Evangelium non ſit conſuetudo, ſed veritas.* Ab initio autem non fuit ſic, *ait idem Jeſus ad eos, qui ipſi peſſimam execrandámque Majorum ſuorum conſuetudinem objiciebant. Quando Chriſti Judicio ſiſtemur, ipſe non ex conſuetudine, ſed ex vivo & efficaci ſui Evangelii verbo Diſcipulos ſuos eſt judicaturus. Neque etiam eſt quòd quiſquam excuſationem ab Eccleſiæ autoritate eruendi ſpe inani capiatur; omnis quippe à Chriſto Eccleſiæ autoritas eo duntaxat fine illi conceſſa fuit, ut Legibus ipſius cœleſtibuſque præceptionibus religioſum conciliaret obſequium, non verò ut eas perrumperet, reſcinderet, atque refigeret.* Hactenus Anonymus noſ.ras, quem bibliopolæ dicunt eſſe celeberrimum Eccleſiæ Reformatæ, quæ Rothomagi eſt, Paſtorem, Dominum *de la Roque*, quem ſcripta demonſtrant Theologum pietate & eruditione nulli ſecundum. Heideggerus in Concilii Tridentini Anatome Hiſtorico-Theologica p. 2.

ad

ad canones sessionis 21. *Ecclesiæ*, inquit, *tam nulla potestas est in mutandis Sacramentorum vitibus à Christo institutis, quàm nulla est in mutando ejus verbo & lege. Sicut enim hoc audibile, ita illi visibile voluntatis divinæ signum continent*: Concludamus itaque cum Sanctissimo Martyre Cypriano in epistola sexagesima tertia ad Cæcilium: *Utique id nos obaudire & facere oportet, quod Christus fecit & faciendum esse mandavit, quando ipse in Evangelio dicat:* Si feceritis quod mando vobis, jam non dicam vos servos sed amicos. *Et quòd Christus debeat solus audiri, Pater etiam de cœlo contestatur dicens*: Hic est Filius meus dilectissimus, in quo bene sensi, ipsum audite. *Quare si solus Christus audiendus est, non debemus attendere, quid alius ante nos faciendum putaverit, sed quid, qui ante omnes est, Christus prior fecerit. Neque enim hominis consuetudinem sequi oportet, sed Dei veritatem, cùm per Esaiam Prophetam Deus loquatur & dicat:* Sine causa autem colunt me, mandata & doctrinas hominum docentes. *Et iterùm Dominus in Evangelio hoc idem repetat, dicens:* Rejicitis mandatum Dei ut traditionem vestram statuatis. Julius hujus nominis primus Episcopus Romanus in Epistola ad Episcopos per Ægyptum, & Paschalis Secundus in epistola ad Poncium Abbatem Cluniacensem, reprehendunt eos, qui populis *pro complemento communionis* intinctum panem porrigebant, cùm in prima celebratione & institutione Eucharistiæ Christus seorsum porrexerit Apostolis panem & vinum, omninoque præcipit Paschalis ne deinceps humanâ & novellâ institutione ab eo, quem Christus servavit & commendavit morem, aliquam recedatur. Verba Julii videre est apud Gratian. de consecratione Dist. 2. cap. *Cùm omne*. Faxit Deus, ut similiter quotquot Christiano censentur nomine, & vel ignoranter vel simpliciter humanâ & novellâ traditione contra Evangelicam & Apostolicam disciplinam à majoribus nostris per mille & trecentos annos ubique gentium cultam institutum à Christo Baptismum in μεταγωγὴν mutavere, vel mutatum retinuere, nunc veritatis luce perspectâ ad radicem atque originem traditionis dominicæ revertantur. neque aliud posthac fiat ab eis, quàm quòd pro nobis Dominus prior fecerit, faciendúmque in Evangelio præceperit. Vide quæ adnotavimus suprà cap. 2. v. 38.

Et baptizavit, eum. Nempe Philippus Eunuchum juxta Christi præceptum aquæ immersit.

39. *Et cùm ascendissent de aqua.* Q. d. Statim verò atque Eunuchus à Philippo fuerat sacrâ immersione initiatus.

Spiritus Domini rapuit Philippum. Quædam exemplaria hoc loco habent, *Spiritus sanctus incidit in Eunuchum, Angelus autem Domini rapuit Philippum*, ut & Hieronymus citavit in Dialogo Orthodoxi & Luciferiani, & Grotius post Erasmum ac Bezam ad-

adnotavit. Id ſi ſequimur, agnoſcendum erit citrà ullam manuum impoſitionem Eunuchum iſtum accepiſſe donum extraordinarium Spiritus ſancti, quod Cornelius cum domeſticis ſuis accepit etiam ante Baptiſmum infrà cap. 10. v. 44 & 47. De Elia è conſpectu abeunte, olim creditum, eum à Spiritu Dei rapi, atque aliò transferri, 1 Reg. 18. v. 12. & 2 Reg. 2. v. 16. Sin hoc accipiatur de Angelo, idem evenit Philippo, atque Abacuco Prophetæ evenîſſe credidit ſcriptor acceſſionis ultimæ ad Danielem cap. 14. v. 35 & 38. Tranſlatus eſt autem Philippus à Spiritu, ſive ab Angelo Domini non *extra corpus*, ſed *in corpore*, ut Paulus loquitur 2 Cor. 12. v. 2. Eunucho ſpectante, ut is addito doctrinæ iſto miraculo in fide in Jeſum Chriſtum confirmaretur.

Et amplius non vidit eum Eunuchus. Ab hoc in Æthiopiam reverſo fertur ibi diſſeminata eſſe religio Chriſtiana, quæ nunc admiſtis erroribus, & retentis præterea Judaicis ceremoniis, ab Abyſſinis utcunque tenetur. Vide quæ adnotavi ſuprà ad v. 27. & de Æthiopia dixi ad Amos 9. v. 7.

Ibat autem. Gr. γάρ, *enim.* Ratio redditur cur Eunuchus Philippum non ultrà viderit, quia nimirùm ipſe iter cœptum in Æthiopiam intendebat, gaudens de Evangelii notitia, quam erat conſecutus operâ Philippi, ſingulari Dei providentiâ, ſibi oblati; Philippus verò aliò aſportabatur, ubi ejus miniſterio opus erat.

40. *Inventus eſt.* Id eſt, extitit atque conſpectus fuit. Eſth. 1. v. 15. הנמצאים, *qui ſunt inventi*, id eſt, fuerunt aut extiterunt. Exod. 35. v. 23. *Apud quem inveniebatur*, id eſt, erat. Mal. 2. v. 6. *Iniquitas non eſt inventa in labiis ejus.* 1 Pet. 2. v. 22. *Nec eſt inventus dolus in ore ejus*, id eſt, non fuit. מצא pro *conſpicere* habemus Gen. 4. v. 13 & 14. & aliàs paſſim. *Itaque*, inquit Grotius, *& per ἰδεῖν*, videre, *vertitur Jer. 23. v. 11. & Thren. 2. v. 9.* Mat. 1. v. 18. *Inventa eſt in utero habens*, id eſt, apparuit gravida.

In Azoto Gr. εἰς cum Accuſativo pro ἐν cum Ablativo, ut ſuprà v. 23. *Azotus*, Heb. אשדוד, primùm à Joſue ſubjugata eſt, Joſ. 11 & 15. dein una quinque Satrapiarum Philiſtæarum fuit, celebris templo Dagonis, cujus fit mentio 1 Sam. 5. v. 4. Judæque Macchabæi morte, qui circa ipſam occubuit, teſte Joſepho, 12 Antiq. 19. ubi perperàm legitur Ἀζὰ pro Ἄζωτα, ut apparet ex 1 Mac. 9. v. 15. Poſteà Jonathas Judæ Macchabæi frater eam cepit, & unà cum templo Dagonis incendit, 1 Mac. 10. v. 84. Joſeph. 13. Antiq. 8. Eam antiquitùs cepit Thartan dux Sargonis Regis Aſſyriorum, quem Hebræi Sennacherib interpretantur, Eſ. 20. v. 1. Fuit munitiſſima urbs, ſiquidem per viginti novem annos obſidionem Pſammetichi

metichi Regis Ægypti sustinuit, à quo tandem capta est, ut rerum monumentis tradit Herodotus lib. 2. ubi eam vocat magnam Syriæ urbem, quia sub Syria comprehendebatur Palæstina, Judæa, Phœnicia & Idumæa. Inclyta quoque fuit Arabicis mercibus, quarum erat emporium, ut refert Mela lib. 1. cap. 10. Ejus quoque meminere Ptolemæus Geographiæ lib. 5. cap. 16. Plinius 5 Hist. cap. 14. Hujus fœminæ Nehem. 13. v. 23. אשדודית, *Azotides* vocantur, quas Judæi in uxores accipiebant, ac earum filii *Azoticè* loquebantur, ut patet ex eodem capite v. 24. Distare dicitur *Azotus* à Gaza, de qua suprà v. 26. quadragenis milliaribus.

Et pertransiens, &c. Q. d. Profectus autem Azoto *Cæsaream* Palæstinæ, in cunctis, per quæ transibat ad cœpti itineris metam, oppidis Evangelium prædicabat. Hæc *Cæsarea* priùs *Stratonis turris* dicta, à Magno Herode magnificè restaurata, portubus ac templis exornata, in honorem Augusti Cæsaris ab eodem Herode *Cæsaræa* nominata fuit, Josepho teste 15 Ant. 13. Opus decimo anno, postquam cœptum fuerat, absolutum refert idem 16 Antiq. 9. Huic civitati natales suos debet Eusebius Pamphili, ejusdem postmodùm Episcopus. Item Acacius Libanii Sophistæ æqualis, cujus vitam habemus apud Eunapium Sardianum, & Procopius rhetor & historicus, Belisarii ducis Justiniani Imperatoris amanuensis, omniúmque ejus bellorum socius, quorum historiam conscripsit. Fuit & alia ab hac *Cæsarea* ad Paneadem, quæ Mat. 16. v. 13. & Joseph. 20 Antiq. 8. *Cæsarea Philippi*, Ptolemæo lib. 5. cap. 15. *Cæsarea Paneas* dicitur, quam Rex Agrippa junior, quum ejus pomœria protulisset, mutato nomine in honorem Neronis vocavit *Neroniada*, ut̀ Josephus tradit loco mox laudato. Vide explicationem nostram literalem Mat. 16. v. 13.

CAP.

CAP. IX.

1. *SAulus autem.* Ut lupus cruentus. Vide dicta ſuprà cap. 8. v. 1 & 3.

Adhuc ſpirans minarum & cædis in Diſcipulos. Helleniſmus, id eſt, anhelans ex infimo pectore crudelitatem adverſus Chriſti Diſcipulos. Ita Cicero dixit *Catilinam furentem audaciâ, ſcelus anhelantem, peſtem patriæ nefariè molientem.*

Acceſſit ad Principem ſacerdotum. Id eſt, ad ſummi Synedrii Principem, qui forſan fuit adhuc idem Annas, de quo ſuprà cap. 4. v. 6.

2. *Petiit ab eo.* Simúlque ab aliis ejuſdem magni Synedrii Senatoribus, ut videre eſt infrà v. 14. & cap. 22. v. 5. & cap. 26. v. 12.

Epiſtolas. Id eſt, Senatorias literas.

In Damaſcum. דרמשק, ſive ut 1 Par. 18. v. 5. legitur, דרמשק, *Damaſcus* ſeu *Darmaſcus* urbs celeberrima, olim Syriæ *Damaſcenæ* caput & regia, teſte eloquentiſſimo Prophetarum Eſaia cap. 7. v. 8. ſita erat ſub monte Hermon, ex quo defluebant duo flumina *Amana* ſeu *Abana*, & *Parpar* ſeu *Pharphar*, quem Stephanus Byzantius *Bardinen*, ceteri Græci Chryſorrhoa nominitare videntur. *Amana* mediam perfluebat urbem, *Parpar* extra urbem aquas devolvebat, teſte Benjamine Thudelenſi in ſuo itinerario. Horum fluminum fit quoque mentio 2 Reg. 5. v. 12. Vide Explicationem noſtram literalem Amos 1. v. 5. *Damaſci* conditor jacet in antiquitatis ſepulchro, etſi Joſephus Antiq. lib. 1. cap. 7. circa calcem ediſſerit, עוץ *Uſen* Arami filium, Semi nepotem, cujus fit mentio Gen. 10. v. 23. eam condidiſſe. In eandem ſententiam loquitur Hieronymus in queſtionibus in Geneſim, ubi Semi poſteros enumerat. Verùm paulò pòſt ageus de Damaſco Eliezere Abrahami verna, ibi infit, *Ab hoc aiunt Damaſcum & conditam, & nuncupatam fuiſſe.* Idem initio lib. 7. in Eſ. *Damaſci primum nomen in Geneſi legimus, qui ante Iſaac fuit vernaculus Abraham, & putabatur heres, niſi eſſet Saræ filius ex promiſſione. Interpretatur autem, aut ſanguinis oſculum, aut ſatiguinem bibens, aut ſanguis cilicii. Sin autem,* ait idem in Ezech. 27. *Damaſcus interpretatur ſanguinem bibens, & Hebræorum vera traditio eſt, campum in quo interfectus eſt Abel à parricida Cain*

Cain fuisse in Damasco, unde & locus hoc insignitus vocabulo sit; justè & Paulus post interfectionem Stephani primi in Christo Martyris pervexit Damascum, ut credentes in Christum vinctos duceret Hierusalem, Ut nempe in eodem loco erga Abelis imitatores Caini imitaretur opera. Tulit *Damascus* aliquammultos viros celeberrimos, inter quos primum locum tenet *Nicolaus Damascenus*, Philosophus Peripateticus, qui inter alia scripsit historiam universalem librorum octoginta, secundum Suidam centum viginti quatuor juxta Josephum; centum quadraginta quatuor secundum Athenæum lib. 6. ex quibus paucula fragmenta extant. Fuit Herodi Magno familiaris, amicissimus item Augusto Cæsari, usque adeo ut *Nicolaorum* nomen ab hoc imponeret, sive dactylis, quod est apud Athenæum lib. 14. Plutarchum Symposiacōn lib. 8. Q. 4. Plin. lib. 13. cap. 4. Isidorum in Glossis, Adhelmum lib. de virginitate,& Cœl. Rhodigin. lib. 6. cap. 5. sive Placentæ generi juxta Serenum Sammonicum, Hesychium Milesium, Photium & Suidam. Fuit etiam ex hac urbe Joannes Damascenus ex Judæo Christianus anno Domini 461. & alter Joannes cognomento *Manzur*, quem in cœlum usque extollit Suidas, ut sunt Græci genus in gloriam suam effusissimum. *Etsi vero*, inquit Vossius lib. 2. de Hist. Græcis cap. 24. *Damascenus vir foret egregiè eruditus ac magni nominis: tamen in plerisque credulus fuit plus satis. Hoc ostendunt historiæ ab eo relatæ in sermonibus. Sanè agnoscit etiam Baronius in multis ejus scriptis fidem vacillare & complurib us ipsum scatere mendaciis. Quod ejus judicium* Casaubonus firmat exercit. 13. *adversus Baronium sect.* 38. *ubi varios & spissos errores annotavit. Etiam aliis in scriptis judicium desideres: inter cetera in narratione illa de anima Falconillæ precibus B. Theclæ primæ Martyris ab inferorum supplicüs liberata, etsi in gentili errore & idololatria obiisset. Item quod ait animam Trajani Imp. similiter pœnis infernis exemtam precibus Gregorii Magni. Quorum utrumque legas apud Damascenum Oratione de his, qui in fide migraverunt.* Hic imaginum acer propugnator contra Imperatorem Iconem Isaurum, ejúsque filium Constantinum hujus nominis quintum, qui cognominatur Copronymus, in convocata ab eodem Constantino Synodo trecentorum triginta octo Episcoporum, quæ celebrata est Constantinopoli anno D. 754. & septima oecumenica dicta est, anathemate nominatim condemnatus fuit cum Germano & Georgio quondam Patriarchis Constantinopolitanis, ut idololatra, xylolatra & iconolatra, ut patet ex ejusdem Synodi gestis, quæ extant inserta actis Synodi secundæ Nicenæ, actione sextâ. Inter suos *Chrysorrhoas* dictus est ob eloquentiam. Obiit anno D. 760. Celebrantur etiam *pruna Damascena* ab urbe *Damasco* Romam advehi solita unà cum *Cottanis*, de quibus Juvenalis Sat. 3. v. 85. Erant *cottana*, ut hæc obiter adnotemus, species ficorum par-

parvorum, teſte Heſychio in Κότλαντε, ſic dicta ab Hebræa voce קטון *parvus*. Unde non illepido lepore Martialis Epigram. lib. 13. Epigram. 28. cecinit:

Hæc tibi, quæ tortâ venerunt condita metâ,
Si majora forent Cottana, ficus erat.

Significabat etiam id nominis apud Cretenſes *virginem*, autore eodem Heſychio loco citato, quod ab eadem radice deductum eſt קטנה *parva*, ſcilicet puella. Si plura de hac antiquiſſima urbe & regione ſcire deſideres, conſulas Itinerarium Thudelenſis & Hofmanni Lexicon univerſale.

Ad Synagogas. Quanta Judæorum frequentia Damaſci fuerit, ex eo colligi poteſt, quod Joſephus de Bel. Jud. lib. 2. cap. 25. narrat ſub Nerone à Damaſcenis in ſua urbe decem Judæorum millia, quos in publicis thermis fortè collectos habebant, inermes oppreſſos ac trucidatos fuiſſe. Perquàm probabile eſt multos è Judæis ad Chriſtum converſos, ut effugerent perſecutionem Hieroſolymis excitatam, confugiſſe Damaſcum. Itaque Saulus non contentus eos divexaſſe Jeroſolymæ, etiam illuc eos perſequendi laborem ultrò deſumit. Qui autem nomine Aretæ Arabiæ Petræ atque Damaſci reguli Damaſcenis præerat Magiſtratus, eorum, qui Chriſti Diſcipulos perſequebantur, fautor & adjutor erat, utì patet ex 2 Cor. 11. v. 32.

Ut ſiquos inveniſſet, &c. Q. d. Ut ei daretur licentia & libertas vinctos ut maleficos abducendi Hieroſolymam, abſque ſexûs diſcrimine, quotquot inveniſſet Chriſtianæ religionis profeſſores. *Romani*, inquit Grotius, *Synedrio permittebant jus prehenſionis & verberum, non tantùm in Judæos Palæſtinæ, verùm etiam extra Palæſtinam, ubi erant Synagogæ quæ ſponte ſuâ juriſdictionem Synedrii in rebus ad religionem ſpectantibus agnoſcebant.*

Hujus viæ. Id eſt, ſectæ & inſtitutionis, ut infrà cap. 19. v. 9 & 23. cap. 22. v. 4. cap. 24. v. 14.

3. *Circumfulſit eum lux de cœlo.* Inſtar fulguris ſole ſplendidioris, ut videre eſt infrà cap. 22. v. 6. & cap. 26. v. 13.

4. *Et cadens in terram.* Quia illius lucis cœlitùs ad ſe demiſſæ eximio fulgore perculſus ac quaſi ſideratus fuit.

Audivit vocem. Nempe cœlitùs cum illa luce demiſſam.

Dicentem. Hebræâ ſcilicet dialecto, utì dicit ipſe Paulus infrà, cap. 26. v. 14.

Saule, Saule, quid me perſequeris? Præclare pro more Aug. tract. 10. in epiſt. Joannis: *Aſcenſurum caput in cœlum, commendavit membra in terra & diſceſſit. Jam non invenis loqui Chriſtum in terram. Invenis illum loqui, ſed in cœlo, & de ipſo cœlo. Quare? Quia membra calcabantur in terra. Perſecutori enim Saulo dixit deſuper*, Saule, Saule, quid me perſequeris? *Aſcendi*

in cœlum, sed adhuc in terra jaceo: hîc ad dexteram Patris sedeo: ibi adhuc esurio, sitio & peregrinus sum. Credentes sunt mysticum Christi corpus, mysticáque membra, unde quicquid ipsis fit, id Christus ita accipit quasi sibimet fiat, ut videre est Mat. 25. v. 40 & 45. & Luc. 10. v. 16.

5. *Quis es Domine?* Q. d. Cujam vocem audio?

Et ille. Gr. ὁ δὲ Κύριος εἶπεν, *Dominus autem dixit.* Q. d. Qui autem in cœlo & ex ipso cœlo loquebatur Christus respondit.

Ego sum Jesus, &c. Q. d. Jesu illius Nazareni vocem audis, quem tu persequeris, dum in famulos meos

Effundis cunctam rabiem iramúmque procellas.

Durum est. Id est, ærumnalis & cassus est labor. Plautus in Truculento Act. 4. sc. 2. v. 55.

——*Si stimulos pugnis cædis, manibus plus dolet.*

Contra stimulum calcitrare. Proverbium hoc Græci & Romani scriptores passim usurpant in eos, qui res sibi malè cessuras moliuntur. Boves enim si aratrum aut currum trahentes stimulo puncti ac fodicati recalcitrent, dum stimulo nocere volunt, non ei sed sibimet nocent: quia μᾶλλον πλήττονται, *gravius feriuntur*, ut ait Scholiastes ad Pindarum in fine Pythiæ secundæ, & calcem contra stimulum acutum impingentes, ejusdem acumine repunguntur. Proverbiali itaque hac locutione indicat hîc Dominus Jesus Saulum frustrà & magno suo malo ipsi reluctari atque ita, nisi Christianorum in perniciem incumbere desistat, fore ut gravi sternatur exitio.

6. *Et tremens ac stupens*, &c. Q. d. Saulus verò lucis cœlestis fulgore, ac voce cœlitùs demissâ exterritus, exuit lupinam ferocitatem, ovinúmque ingenium induit, atque summi pastoris animarum quem nuper spernebat justis exequendis liberè se ac libenter dedit. Dominus autem Jesus amandat eum ad urbem Damascum, ut ibi ab eo, cui hujus rei curam cœlitùs erat demandaturus, doceatur quid ipse eum facere velit.

7. *Qui comitabantur cum eo.* Id est, qui Sauli itineris Damascum comites erant.

Stabant stupefacti. Hoc est novitate rei mirabilis attoniti manebant immoti, seu ut Virgilianâ phrasi utar, solò immobiles hærebant. Stare hîc non notat corporis situm sed simplicem mansionem, atque opponitur progressioni, non vero prostrationi, cùm infrà cap. 26. v. 14. Sauli comites dicantur humi fuisse prostrati. Sic Gen. 19. v. 17. *Ne stes in omni circa regione:* Id est,

eſt, ne maneas, ſeu conſiſtas & commoreris. Lev. 13. v. 37. *Siſteterit macula*: id eſt, non longiùs ac latiùs ſerpſerit.

Audientes quidem vocem. Nempe cœlitùs demiſſam, quæ ipſorum aures feriebat, quamvis verborum mentem, ſenſum, & ſignificationem non intel igerent, utì dicitur infrà cap. 22.v 9. ſive quia dialecti Hebraicæ, quâ Chriſtus Saulum alloquebatur, utì videre eſt infrà cap. 26. v. 14. non erant periti, ſive quia audiebant quidem vocis ſonum, ſed interim ſoni illius verba diſtinctè non percipiebant. *Audierunt*, inquit Cl. Lightfoot, קול *vocem, ſed non audiverunt* דבר *verbum*. Simile quid contigit Jo. 12. v. 29. Ergo ἀκούειν *audire*, infrà cap. 22. v. 9. ponitur pro *intelligere*, ut Gen. 11. v. 7. 42. v. 23. Deut. 28. v. 49. 2 Reg. 18. v. 26. Eſ. 36. v. 11. Jer. 5. v. 15. & 1 Cor. 14. v. 2 & 21.

Neminem autem videntes. Nimirum etſi oculos verſus cœlum, unde ſonus edebatur, attollerent, ut cernerent eum qui Saulum alloquebatur. *Hæc*, inquit Beza, *eſt vis verbi* θεωρεῖν *hoc loco. Nam alioquì mirum non eſſet neminem fuiſſe ab iis conſpectum, qui metu perculſi oculos attollere non eſſent auſi.* Tantùm Saulus cernebat eum qui cum ipſo loquebatur, ut Daniel cap. 10. v. 7.

8. *Surrexit autem Saulus de terra.* Gr. ἠγέρθη, *excitatus eſt.* Nempe ut Daniel cap. 8. v. 18.

Apertiſque oculis nihil videbat. Id eſt, palpebris, quæ antèà erant occluſæ, diductis, nihil omninò videbat, quia nimio ſplendore lucis cœleſtis, quæ ipſum circumfulſerat, ſuprà v. 3. oculi ejus erant perſtricti, ut apparet ex verſu mox ſequenti & v. 12, 17 & 18. & infrà cap. 22. v. 11.

Ad manus autem illum trahentes, Ut cœcis fieri ſolet. Ita Saulus qui Chriſti Diſcipulos Damaſco Hieroſolymam vinctos ducere volebat, ipſe velut vinctus Damaſcum ducebatur.

9. *Et erat ibi tribus diebus non videns.* Iſto triduo, quum viſu corporali eſſet deſtitutus, credibile eſt Dominum Jeſum ei per internas animi viſiones doctrinam evangelicam patefeciſſe, ut verè dicere poſſet ſe Evangelium non ab homine ullo mortali accepiſſe ac didiciſſe, ſed revelante Jeſu Chriſto ad Patris dexteram collocato, Gal. 1. v. 12.

Et non manducavit neque bibit. Ut olim Judæi Eſther 4. v. 16. per triduum. Id autem fecit, tum ad externam teſtificationem internæ pœnitentiæ anteactorum, tum ut ſe ad preces ardentiùs concipiendas exacueret. Nam rectè Tertullianus adverſus Pſychicos, *Multò pollentioris mentis & vivacioris cordis ſumus ad ſpiritualia jejuni, quàm cum illud domicilium interioris hominis eſcis ſtipatur, vinis inundatur.* Hebræis eo die, quo jejunant, interdiu quicquam bibere prohibitum eſt: adeo ut fractum jejunium cenſeant, ſiquis guttulam vini aut aquæ trajiciat. Abluere

ere os permittunt, & abstergere, dummodò rursus expuat, ut videre est in שלחן ערוך, tract. de jejunio. Excipiunt ab hac concessione jejunium, quod obeunt *die venie*, quem ipsi vocant יום כפור & die nono quinti mensis, quem אב nuncupant, in his quippe nec os abluere fas putant.

10. *Erat autem quidam discipulus.* Oecumenius Ananiam hunc vocat Diaconum, & existimat fuisse unum ex LXX discipulis, qui in terris versanti Jesu Christo adhærebant, Apostolis proximi. Augustinus eum vult fuisse Presbyterum. Dorotheus eum scribit postea factum Episcopum Damasci.

In visu, Id est, in visione divinitùs excitata. Vide quæ diximus suprà cap. 2. v. 17.

Ecce Ego, Domine. Hebraismus, id est, paratus sum jussa accipere & facere.

11. *Vade in vicum qui vocatur Rectus.* Id est, in viam Damasci quæ nominatur *Recta*, Græcis, *Euthia*, εὐθεῖα, fortè quòd aliis plateis & viis ejusdem urbis planior ac rectior esset.

Tarsensem. Id est, ex illustrissima Ciliciæ urbe Tarso oriundum. Vide infrà cap. 21. v. 39. & cap. 22. v. 3.

Ecce enim orat. Ostendit Lucas Saulum in triduano jejunio assiduè precibus fuisse intentum.

12. *Et vidit.* Nempe Saulus oculis animi. Gr. additur, ἐν ὁράματι, *in visione*. Verba sunt Lucæ narrantis Ananiam Saulo visum sibi manus imponentem eo ipso tempore, quo Dominus Ananiæ de Saulo loquebatur: *Visio est*, inquit Macrobius, *cum quis id videt, quod eodem modo quo apparuerat evenit.* Suetonius in Augusti vita. *M. Cicero C. Cæsarem in Capitolium prosecutus, somnium pristinæ noctis familiaribus fortè narrabat, Patrum facie liberali demissum cœlo catenâ aureâ, ad fores Capitolii constitisse, ei que Jovem flagellum tradidisse: deinde repentè Augusto viso, quem ignotum adhuc plerisque avunculus Cæsar ad sacrificandum accivérat, affirmavit ipsum esse, cujus imago secundum quietem sibi obversata sit.* Ibidem paulò antè de Q. Catulo, *Ac die proximo obvium sibi Augustum cùm incognitum aliàs haberet, non sine admiratione contuitus, simillimum dixit puero de quo somniasset.* Ovidius

> ——— *Qualésque ex ordine somni*
> *Visus eram vidisse viros, ex ordine tales*
> *Aspicio, agnoscoque.*

Apuleius lib. undecimo Asini aurei: *De Pastophoris unum conspexi statim præter indicium pedis, cætero etiam statu atque habitu examussim nocturnæ imagini congruentem, quem Asinum Marcellum vocitari cognovi postèa.* Qui loci, quanquam ex ethnico penu depromti, per-

percommodè hanc narrationem illustrant. Nam etsi nominis, manúsque tantùm impositæ Lucas meminerit, credibile est ita Saulo Ananiam visum ac si eum oculis usurpasset. Nimirùm vultum, staturam, totámque reliquam ejus habitudinem Sauli animo obversata fuisse: eóque singula ab eodem haud multò pòst inter videntes numerato, secundum ὁράματος veritatem fuisse agnita. Vide dicta suprà cap. 2. v. 17.

Imponentem sibi manus, &c. Vide notata suprà cap. 8. v. 17. & infrà v. 17.

13. *Quanta mala fecerit sanctis tuis.* Ita vocantur passim Christiani: tum quia per ipsam Christi doctrinæ ac fidei in ipsum professionem, sunt à vulgo hominum infidelium in populum Dei peculiarem selecti, quem ipse Deus Christi meritis ac intercessione hereditate cœlesti donare constituit; tum quia vitæ sanctimoniâ, quàm profitentur præ ceteris mortalibus conspicui sunt, si non nomine modò, sed & re ipsâ sint Christiani.

14. *Et hîc*, &c. Q. d. Atque ut alia ejus flagitia omittam, nunc etiam venit cum potestate vinciendi omnes qui tibi nomen dederunt.

A principibus Sacerdotum. Id est, à Synedrii principibus. Est autem Synecdoche, quâ ex parte nobilissima designatur totum magnum Synedrium.

Qui invocant nomen tuum. Invocare Christum, seu nomen Christi, est Christo nomen dare, séque ipsius discipulum profiteri. Sic infrà v. 21. & 1 Cor. 1. v. 2. Pro eodem dicitur *nominare nomen Christi*, Rom. 15. v. 20. & 2 Tim. 2. v. 19.

15. *Vas electionis est mihi iste.* Hebraismus, id est, vas electum, seu instrumentum exquisitissimum. *Vas usûs Dei*, ait Rabbi Israel ad Ps. 51. *Nec aliter*, inquit Grotius, *vocem σκεῦος*, Vas *usurpat Polybius de Damocle loquens*, ὁ ἦν ὑπηρετικὸν σκεῦος πολλὰς ἔχον ἀφορμὰς εἰς πραγμάτων διοικονομίαν: Erat autem ille vas ministerio perutile, tractandísque negotiis peropportunum. Confer 2 Tim. 2. v. 20 & 21.

Ut portet nomen meum. Id est, ut sit gloriæ meæ præco.

Coram gentibus, & Regibus &, filiis Israel. Q. d. Ut ipsius præconio nomen meum inclarescat apud gentes, imò & Reges earum juxta ac Judæos. Respicitur ad locum Esaiæ 49. v. 6. & Jerem. 1. v. 10.

16. *Ego enim ostendam illi*, &c. Q. d. Ego enim ei prænonstrabo quàm multa ipsum pro nominis mei prædicatione subire oporteat, odia videlicet popularium, furorem gentium, carceres, verbera, famem, sitim, naufragia & mortem atrocem: & tamen prædicabit nomen meum, libentérque feret quæ aliis nominis mei causâ fecit.

17. *Introivit in domum.* Illius scilicet Judæ, in qua Saulus diversabatur, ut dicitur suprà v. 11.

Imponens ei manus. Manuum impositio est visibile signum orationis, unde infrà cap. 28. v. 8. & Jac. 5. v. 14. reddita miraculo sanitas utrique conjunctim tribuitur.

Dominus &c. Q. d. Christus voluntatis suæ interpretem misit me discipulum vulgarem, non Apostolum, ut visum, quem claritate luminis cœlestis perstrictus amisisti, per illius gratiam recipias, quod signum tibi erit internæ visionis, quam absque humana opera per copiosam donorum Spiritûs-sancti communicationem ab ipso Christo accipies, simul atque corporalem recuperaveris.

18. *Tanquam squammæ.* Quæ cùm Sauli oculi luce cœlesti perstricti essent, humoribus è cerebro defluxis & coagulatis concreverant.

Et Surgens baptizatus est. Juxta Christi institutum, monente Anania, ut videre est infrà cap. 22 v. 16.

19. *Et cum accepisset cibum, confortatus est.* Non refecit cibo corpus tridui inediâ confectum, donec suscepto baptismo vegetatæ fide animæ cumulatè satisfecisset.

Fuit autem cum Discipulis qui erant Damasci. Id est, Christi asseclis, quales aliquammulti erant Damasci à tempore dispersionis illius, de qua suprà cap. 8. v. 1 & 3. se mox adjunxit.

Per dies aliquot. Nam, ut ipse Paulus scribit Gal. 1. v. 17. brevì ex urbe Damasco quæ tunc sub Arabum erat regno, digressus fuit in Arabiam, quæ prima est Gentium, cui Paulus Evangelium annuntiavit. In hoc Mosi similis, cui post relictam Ægyptum, prima statio in Arabia. Sic impletum mysticè vaticinium Esaiæ 42. v. 11.

20. *Et continuò,* &c. Q. d. Nullâ morâ interpositâ, in Judaicis conventibus urbis Damasci gravissimis & firmissimis argumentis, quæ à nullo hominum, sed ab ipsomet Christo didicerat, docebat Jesum Nazarenum esse Messiam seu Christum in Lege ac Prophetis promissum. Confer v. 22. & Gal. 1. v. 15 & 16.

Quoniam hic est Filius Dei. Hoc mox v. 22. dicit, *Quoniam hîc est Christus.* Apparet hoc cognomen vulgò Messiæ datum. Nathanael enim Jo. 1. v. 50. *Rabbi,* inquit, *tu es Filius Dei, tu es Rex ille Israel.* Nimirum ex Psalmo secundo quem Hebræi veteres κατὰ τὸ μυστικώτερον, *secundum abstrusiorem sensum,* de Messia interpretabantur. Itaque ubi apud Matthæum cap. 16. v. 16. à Petro dicitur esse *Christus Filius Dei vivi,* Marcus & Lucas contenti fuerunt *Christi* vocabulo. Nec mirum, Siquidem, ut præclarè Origenes, τὸ ἐν τῷ νοουμένῳ ἀνθρώπῳ Ἰησοῦ

θεῖον;

θεὸν, ὅπερ ἦν ὁ μονογενὴς τοῦ Θεοῦ, *quod in homine illo Jesu quem intelligimus erat divinum, id ipsum erat unigenitus Dei Filius.*

21. *Nonne*, &c. Q. d. An & Saul inter Prophetas? 1 Sam. 10. v. 11.

Expugnabat in Jerusalem eos, qui invocabant nomen istud. Id est, adversus omnes Christi discipulos magnâ grassabatur sævitiâ Hierosolymis. Gr. ὁ πορθήσας. Πορθεῖν, inquit Grotius, *hîc est vexare. Utitur eodem vocabulo in hac historia Paulus, Gal. 1. v. 13 & 23.*

Et huc. Damascum scilicet.

22. *Saulus autem multò magis convalescebat.* Gr. non est *multò*, sed tantùm μᾶλλον ἐνεδυναμοῦτο, *magis corroborabatur*, notitiâ videlicet ac loquendi libertate. Unde in quibusdam codicibus additur, τῷ λόγῳ, *sermone.*

Et confundebat Judæos. Q. d. Atque ita corroboratus per Spiritum-sanctum, confutabat, redarguebat, & convincebat Judæos.

Affirmans. Gr. συμβιβάζων, supple αὐτοὺς, id est, *docens eos*, ut vertit Arabs, seu *docens eos certò*, ut reddit Æthiops. Respondet Hebræo הבין, *instruere, facere ut intelligas*, Es. 40. v. 14. Dan. 9. v. 22. הוריע, *notum facere*, Exod. 18. v. 16. Deut. 4. v. 9. Es. 60. v. 13. הורה, *docere*, Exod. 4. v. 12 & 15. Levit. 10. v. 11. Ps. 32. v. 10. Συμβιβάζειν proprie est, res arte compingere, ut nexu indissolubili cohæreant. Qui autem docet aliquem, eum ad se allicit, ac persuadendo convincendóque secum quasi compingit ac coagmentat. Hinc apud Hesychium, Συμβιβασις, πίσις. διδαχὴ, πίσις, *persuasio, doctrina, fides.* Συμβιβάτο, διδαξάτο, *docuit.* Συμβιβασθέντες, διδαχθέντες, διαλεχθέντες, *edoctis cum quibus dissertatio habita est.* Huc pertinet illud 1 Cor. 2. v. 16. *Quis novit mentem Domini,* ὃς συμβιβάσει αὐτὸν, *qui instructurus sit eum?* Id est, Clarissimo Ludovic. De Dieu interprete, *qui rationes suas ità ei sit probaturus, ut eum sibi quasi compingat, & suum esse cogat?*

23. *Cùm autem implerentur dies multi.* Multi illi dies intelligendi sunt de triennio quod à Paulò actum est in Arabia, quò ut suprà v. 19. ex Gal. 1. v. 17. adnotavimus, brevì post conversionem suam erat profectus, etsi Lucas hoc iter non enarrat, qui ei non adfuit. *Paulus*, inquit Capellus, *Gal. 1. v. 17. negat se statim post conversionem venisse Jerosolymam ad Apostolos, sed rectà Damasco abiisse in Arabiam, indéque rediisse Damascum, demum* μετὰ ἔτη τρία, *hoc est, exacto triennio venisse Jerosolymam* ἱστορῆσαι Πέτρον. *Initium illius triennii non aliunde quàm à Pauli conversione, ut hoc velit Paulus se nonnisi exacto demum triennio à conversione sua venisse Jerosolymam* πρὸς τὸς πρὸ ἐμοῦ Ἀποστόλους. *Hoc posito uxisse est triennium illud à Paulo non Damasci, sed in Arabia actum fuisse.*

Nam si magna ejus pars Damasci acta fuisset, cùm Damascus Hierosolymis paucorum admodum dierum itinere distet, & frequens fuerit Damascenorum & Jerosolymitanorum Judæorum commercium, qui fieri potuit, ut cùm Damasco Paulus Jerosolymam venit, omnes fideles eum refugerent, nescientes eum esse ad Christi fidem conversum? Hinc ergo firmum duci posse videtur argumentum, Paulum statim post conversionem Damasco in Arabiam profectum esse, atque istîc triennium illud egisse, quo exacto cùm Damascum reversus esset, & mox ei à Judæis struerentur insidiæ, noctu per mœnia sportâ demissum Jerosolymam venisse, & ab iis fideles initio refugisse, quia totum tempus à conversione sua egerat in Arabia, inter populos illos, quibus parum aut nihil cum Jerosolymitanis erat commercii, ita ut hoc pacto conversionem ejus potuerint ignorare, quod non ita facilè fieri potuit, si Damasci Paulus totum illud triennium, aut maximam ejus partem egisset.

Consilium fecerunt in unum Judæi ut interficerent eum. Velut Judicio zeli, de quo diximus suprà cap. 7. v. 57.

24. *Custodiebant autem & Portas.* Judæi scilicet urbis, ne elabi & abire posset. Vide quàm citò impletum sit quod à Christo prædictum suprà v. 16.

25. *Per murum demiserunt eum.* Ut olim Rahab exploratores *demisit per funem de fenestra*, Jos. 2. v. 15. Sic & David demissus est per fenestram 1 Sam. 19. v. 12. Optimè Clemens Alexandrinus strom. 4 & 7. quæ pericula subeunda, quæ vitanda sint, animo mortem neque optanti neque metuenti, ex Dei gloria & hominum usu æstimandum reliquit. Κἂν φεύγῃ ὁ χριστιανὸς, inquit adversus Celsum Origines, ὑ διὰ δειλίαν φεύγει, ἀλλὰ, πρῶν ἐντολὴν τὸ διδασκάλε, κὶ ἑαυτὸν φυλάττων καθαρὸν, ἑτέρων ὠφελιθησομένων σωτηρία: *Etiamsi fugiat Christianus, non pre formidine fugit, sed servans Magistri præceptum, Mat.* 10. *v.* 23. *& seipsum servans purum ad salutem aliorum quibus utilis esse poterit.*

Submittentes in sporta. Gr. χαλάσαντες, ἐν σπυρίδι, *funibus erat vas vimineum* (vel *vasculum*) *demittentes in sporta.* χαλᾷν vel χαλάζειν est funibus demittere, ut Jer. 38. v. 6.

26. *Cum autem venisset in Jerusalem.* Paulus Apostolus tendens Damascum conversus est ad cognitionem veritatis cœlestis & fidem Jesu Christi. *Hic annus*, inquit Camerarius, *ponitur primus Apostolici muneris ipsius, & incidit in annum Christi trigesimum quintum, & imperii Tiberiani vigesimum. Anno secundo abiit in Arabiam, & illinc reversus Damascum, illud adiit periculum quo liberatus fuit corbe de mœnibus demissus. Hic annus Pauli jam tertius est, & Christi trigesimus septimus. Et incidit tempus istud in finem imperii Tiberiani. An. Christi trigesimo octavo, & primo Caii Cæsaris, & suo quarto Hierosolyma venit, videndi Petrum gratiâ.* Vide Gal. 1. v. 17 & 18.

Tentabat se jungere Discipulis. Id est, conabatur se familiariter illis adjungere, cúmque illis conversari, ut Fideles cum Fidelibus

delibus conversantur, suprà cap. 5. v. 13. & infrà cap. 10. v. 28

27. *Barnabas autem.* De quo suprà cap. 4. v. 36.

Duxit ad Apostolos. Qui nempe tum erant Hierosolymis: ad Petrum, cujus invisendi causâ precipuè illuc venerat, & Jacobum fratrem Domini. Gal. 1. v. 18 & 19.

Narravit. Barnabas videlicet.

Fiducialiter egerit in nomine Jesu. Hoc est, palàm & apertè Jesum ipsiùsque doctrinam prædicaverit.

28. *Et erat cum illis.* Id est, cum Petro & Jacobo.

Intrans & exiens. Hoc est, Apostolico munere fungens. Vide de hac loquendi formula suprà cap. 1. v. 21.

Fiducialiter agens in nomine Domini. Q. d. Christi causam fortiter tutans.

29. *Loquebatur quoque gentibus.* Vox *Gentibus* redundat, neque enim extat in codicibus Græcis, neque in Syriaca interpretatione, atque, ut bene adnotavit Beza, hoc tempore Gentes non modò non disputabant adversus Evangelium, sed etiam tum Judæos tum Christianos deridebant.

Disputabat cum Græcis. Quinam hîc dicantur *Græci* Ἑλληνισταὶ exposuimus suprà cap. 6. v. 1. & cum eis Paulum utpote Tarsensem, seorsim & peculiariter disputasse mirum non est, eò quidem cupidiùs quod ab his ipsis ortâ contentione adversus Stephanum, nullum repererant magìs partibus ipsorum faventem quàm hunc ipsum Paulum, *eum etiam*, inquit Beza, *calumniati, quòd cùm obtinere conjugium cum Pont. Maximi filia non potuisset, indignatus Christianismum esset amplexus: cujusmodi multas fabulas hodie quoque idem homicida spiritus adversus fidos Dei servos tum vivos, tum mortuos comminiscitur.* Ebion certè Hæresiarcha, utì refert Epiph. Hær. 30. calumniabatur Paulum, cùm Græcus esset, atque ex Græco patre prognatus, Hierosolymam ascendisse, illícque aliquantisper commoratum arsisse amore filiæ summi Pontificis sperantémque, frui ipsius conjugio, circumcisum fuisse, atque Judaismum amplexum: verùm spe frustratum, irâ excanduisse, contráque Legem scripsisse. Crassam hanc calumniam satis refellit ipsa veritatis simplicitas, quâ Spiritus-sanctus Pauli historiam divinis literis iterum atque iterum consignavit.

Quærebant occidere eum. Sæva ac crudelis hypocrisis & superstitio, ubi se impares ad veritati resistendum vident, ad eam persequendam tanquam rabidæ belluæ cœco & præcipiti impetu ruunt.

30. *Deduxerunt eum.* Præmonitum per visionem, utì videre est infrà cap. 22. v. 17 & 18. ut Hierosolymis excederet. Syrus addit, *noctu.*

Cæsaream. Philippi videlicet, circa Montem Libanon ad confluentem Jor & Dan sitam, ubi Jordanes originem ducit.

Vide

Vide quæ de hac urbe adnotavimus suprà cap. 8. v. 40. & Mat. 16. v. 13.

Et dimiserunt Tarsum. Ciliciæ urbem illustrissimam, Sauli ipsius natalem, ut videre est infrà cap. 21. v. 39. & cap. 22. v. 4. De hac sic Strabo lib. 14. Ἡ δὲ Ταρσὸς, &c. *Tarsus in planitie posita est, condita ab Argivis, qui Iûs quærendæ causâ cum Triptolemo vagati sunt. Mediam eam perfluit Cydnus ad ipsum adolescentum gymnasium: utpotè scatebris non procul dissitis, & alveo profundam convallem permante, indè que statim in urbem fluvio incidente; fluvius est frigidus atque asper; unde tam pecori quàm hominibus nervorum crassitie & podagrâ laborantibus auxiliatur. Tantum autem Tarsensibus studium Philosophiæ & disciplinæ, quam* encycliam *vocant, incessit; ut superaverint Athenas, Alexandriam, & alium quemcunque locum, qui nominari possit, ubi Scholæ & diatribæ Philosophorum, & literarum fuerint.* Protulit Tarsus viros literaturâ insignes, inter alios Hermogenem, qui de arte Rhetorica maxima cum laude scripsit, cujus opus adhuc hodiè exstat. Stephanus Byzantius Tarsum à Sardanapalo ultimo Assyriorum Rege conditam tradit. Alii apud Dionem Chrysostomum ab Heroibus aut gigantibus. Ammianus Marcellinus lib. 14. Perseum Jovis & Danaes filium ait fuisse Tarsi conditorem, in qua sententia fuêre Solinus cap. 41. & Lucanus, à quo proinde *Persta* vocatur lib. 4.

Deseritur Tauri que nemus, Persæaque Tarsos.

31. *Habitbat pacem.* De flagrante nimirùm persecutione, quum jam satis furens ac violentus Ecclesiæ hostium impetus, Sauli consPectu incitatus deferviſſet. Ecclesiæ paci nullum contrarium est bellum nisi persecutio.

Ædificabatur. Id est, confirmabatur, quomodo Paulus hac voce utitur 1 Cor. 1. v. 10, &c.

Ambulans in timore Domini. Hebraismus: id est, reverentissimè Dominum colens. Similis constructio 1 Mac. 6. v. 23 & 59.

32. *Dum transiret universos.* Hoc est, dum ad fratres animandos hâc illâc circuncursaret.

Qui habitabant Lyddæ. Lydda, quæ posteà vocata fuit *Diospolis*, urbs est tribûs Ephraim non procul à mari Mediterraneo in confinio tribûs Dan. לוד vocatur in textu Hebræo 1 Par. 8. v. 12. Hanc civibus Hierosolyma ad festum Tabernaculorum profectis vacuam Cestius exussit, utì refert Josephus 4 Belli Jud. 23. Benjamin in itinerario Lyddam ait suo tempore כנורס dictam, hodiè vulgò *S. Georgius* appellatur.

33. *Nomine Æneam.* Æneas, seu ut Poetæ efferunt, Ἀινείας Græcum interpretamentum Judaici nominis הלל *Hillel.*

54. *Surge,*

34. *Surge, & sterne tibi.* Grabatum nempe, de quo versu præcedenti. Non jubetur surgere & abire, sed lectum incompositum & inæqualem, cubantíque molestum, ut volutantibus ægris contingere solet, non jam alii, ut fieri consueverat, sed ipsemet, qui ab annis jam octo membrum nullum movere poterat, surgens componere, complanare, æquare & cubationi aptum reddere: quod vigorem habilem membris reveniſſe certum erat argumentum.

35. *Saronæ.* שרון *Saron*, ſive *Sarona*, ſeu *Saronas* appellatur regio cis Jordanem in confiniis tribuum Dan & Ephraim ad oram maris Mediterranei, à Joppe ad Palæſtinæ Cæſaream uſque, exordiendo infrà Lyddam, de qua regione 1 Par. 27. v. 29. & Eſ. 33. v. 9. Vide explicationem noſtram literalem Cant. 2. v. 1. Hujus regionis metropolis dicebatur לשרון, τῷ Σαρωνί, vel ἡ τῶ Σάρων, *quæ ad Saronum pertineret.* Unde Joſ. 12. v. 18. inter Reges à Joſua devictos eſt אחד לשרון, Onkelus מלכא דלשרון חד. LXX, Βασιλέα Λεσαρὼν ἕνα. Vulgatus & Pagninus, *Rex Lazaron unus.* Recte Judicarunt *Lamid* pertinere ad urbis denominationem, ut & in mappa Judaica לשרון eſt urbs regia, ſuper montem, cui הר שרון *mons Saronis* nomen eſt in tribu Ephraim. Hanc urbem videtur hîc ἐμφατικῶς Lucas appellare ἡ Σάρωνα, ſeu Σάρωναν, vel ut alii codices legunt, ἡ Ἀσσάρωνα ſive Ἀσσάρωναν. Eſt & alia urbs שרון *Saron* ultra Jordanem in tribu Gad, ad fluvium Arnon, de qua 1 Par. 5. v. 16.

36. *Tabitha, quæ interpretata dicitur Dorcas.* Id eſt, cujus proprium nomen Syrum טביתא *Tabitha* ex Hebræo צבי *capra*, proprio iſto nomine *Dorcas* à Græcis proferebatur. *Dorcas*, inquit Grotius, *vocabatur inter Græcos, quomodo Thomas* Δίδυμος *Didymus*, Cephas Πέτρος *Petrus*. Vide infrà v. 39.

Plena operibus bonis & eleemoſynis quas faciebat. Hebræa locutio, id eſt, mirificè dedita laudabili cuique operi, præſertim verò officiis charitatis, quibus proximi juvantur, pauperúmque inopia ſublevatur.

37. *Quam cùm lavissent.* Mos lavandi defunctorum cadavera Græcis, Latinis & Hebræis uſitatus fuit. De Dardanenſibus Illyricis Scribit Ælianus 4 variæ hiſtoriæ 1. τρὶς λούσασθαι μονὸν ἅπαντα τὸν ἑαυτῶν βίον, ὅς ὠδῖνων, καὶ γαμόντας, καὶ θανόντας, *Ter duntaxat per univerſam vitam lavari, poſt partum ſcilicet, quum nuptias ineunt, & quum mortem obierunt.* Apud Euripidem in Phœniſſis Creon Thebanorum Rex Jocaſten advocat ut cadaver filii lavet. In funere Miſeni Æn. 6. v. 218 & 219.

Pars calidos latices, & ahena undantia flammis
Expediunt, corpusque lavant frigentis, & ungunt.

Ubi Servius ex Ennio,

Tarquinii corpus bona fœmina lavit & unxit.

Maimonides in sua summa Talmudica יד חזקה inscripta partis quartæ lib. 4. Tract. *De luctu & lugentibus* הלכות אבל cap. 4. *Mos*, inquit, *est in Israele circa mortuos & eorum sepulturam, ut quum quis mortuus est, ejus oculos occludant, etsi os habuerit apertum, claudatur, fasciâ maxillis circumligatâ ne iterùm aperiatur. Obturatur etiam locus per quem excrementa ejiciuntur, sed hoc postquam corpus fuerit lotum. Unguentis deinde ex diversis aromatum generibus confectis ungitur, & detonso capite, convolvitur corpus albis vestibus lineis ad hoc ipsum paratis, quæ non sunt magni pretii, ut possit æqualitas servari inter divites & pauperes. Tegitur quoque facies mortui, priusquam imponatur feretro, sudariolo, cujus pretium non excedat quadrantem sicli*, qui quadrans par est drachmæ Atticæ, denarióque Romano, atque valet de moneta hodierna Anglicana septem denariis cum obolo seu denarii dimidio. *Feretro deinde impositum*, pergit Maimonides, *humeris hominum gestatur usque ad sepulturam: & ibi antequam corpus tradatur sepulturæ, quædam recitantur à majoribus eorum ad hoc conscripta, quibus divina justitia commendatur, & hominum peccata exaggerantur, quibus mortem commeriti sunt, ac oratur Deus ut ita justitiam suam exercetat, ut si misericordem quoque obliviſci nolit. Postea cadaver simul cum feretro, in quo supinum jacet, in fovea positum tegitur. Denique ad lugentes itur, & quædam apud eos recitantur ad consolandum. Quibus peractis abeunt unusquisque ad sua negotia: nec ullum discrimen apparet inter divites & pauperes, inter nobiles & ignobiles, nec in sepultura mortuorum, nec in consolatione viventium.*

38. *Cùm autem propè esset Lydda ad Joppe.* Sex dicuntur Joppen inter & Lyddam interjacere milliaria. Vide quæ de Joppe diximus in explicatione nostra litterali Jon. 1. v. 3.

Ne pigriteris. Id est, ne cunctéris. Cicero Attic. lib. 4. *Tu quæso quicquid erit novi, multa autem expecto, scribere ne pigrere*; id est, ne moreris. Lucr. lib. 1.

Quòd si pigrâris, paulùmve receſſeris ab re.

39. *Ostendentes ei tunicas & vestes.* Hoc est, *textilia manuum ejus monumenta*, ut Virgilius loquitur. Gr. χιτῶνας καὶ ἱμάτια, *tunicas & pallia.* χιτὼν ab Hebræo כתונת, *subucula*, *interula*,

la, tunica. Plurali verò ἱμάτια significantur ſummæ ſeu exteriores veſtes.

Quos faciebat illis Dorcas. Gr. ὅσα ἐποίει μετ' αὐτῶν ὅτε: *Quæ Dorcas faciebat quum unà cum ipſis eſſet.* At Vulgatus interpres hæc accepit ac ſi diceretur, ὑπὲρ αὐτῶν ἐποίει, *pro ipſis faciebat.* Sic quoque capit Cyprianus in libro De opere & eleemoſynis. *Tabitha,* inquit, *operationibus juſtis & eleemoſynis præſtandis plurimùm dedita, cùm infirmata eſſet & mortua, ad cadaver exanime Petrus accitus eſt: qui cùm impigrè pro Apoſtolica humanitate veniſſet, circumſteterunt eum viduæ flentes, & vocantes, pallia & tunicas, & omnia illa, quæ prius ſumſerant indumenta monſtrantes, nec pro defuncta ſuis vocibus, ſed ipſius operibus deprecantes. Senſit Petrus impetrari poſſe quod ſic petebatur; nec defuturum Chriſti auxilium viduis deprecantibus, quando eſſet in viduis ipſe veſtitus. Cùm itaque genibus nixus oraſſet, viduarum ac pauperum idoneus advocatus, legatas ſibi preces ad Dominum pertuliſſet, converſus ad corpus, quod in tabula jam lotum jacebat:* Tabitha, *inquit,* exſurge in nomine Jeſu Chriſti: *nec deſuit Petro, quo minùs ſtatim ferret auxilium, qui in Evangelio dari dixerat quicquid ſuiſſet ejus nomine poſtulatum. Mors itaque ſuſpenditur, & ſpiritus redditur: & mirantibus ac ſtupentibus cunctis, ad hanc mundi denuò lucem redivivum corpus animatur: tantùm potuerunt miſericordiæ merita, tantùm opera juſta valuerunt. Quæ laborantibus viduis largita fuerat ſubſidia vivendi, meruit,* id eſt, obtinuit, *ad vitam, viduarum petitione revocari.* Priſcæ porrò Heroides ſuis manibus textiles veſtes facere ſolebant, uti Servius adnotavit ad Æneid. 11. v. 74. Vide 1. Sam. 2. v. 19. Prov. 31. v. 13. Tob. 2. v. 11. &c.

40. *Ejectis autem omnibus foràs.* Id eſt, exire juſſis, ut liberiùs in ſolitudine ac ſeceſſu precaretur.

Petrus ponens genua oravit. Ut omnes ipſius partes ad Dei cultum applicarentur, atque ut mentis imbecillitatem adjuvaret exterum corporis exercitium. *Nobis autem,* inquit Calvinus, *quoties in genua procumbimus, videndum eſt ut ceremoniæ, ne fallax ſit ac luſoria, interior cordis ſubmiſſio reſpondeat.*

Tabitha, Surge. Iſta allocutio ad corpus exanimum clariùs exprimit Dei potentiam in ſuſcitandis mortuis, quàm ſi in tertia perſona diceretur, Corpus hoc rurſus animetur & reviviſcat. Itaque Ezechiel cap. 37. v. 4. liberationem populi ſub reſurrectionis typo adumbrans, *Oſſa arida,* inquit, *audite verbum Domini.* Et Chriſtus Jo. 5. v. 25 *Mortui audient vocem Filii Dei, & qui audierint, vivent.* Fuit iſta verè Chriſti vox, quæ per os Petri emiſſa, ſpiritum reddidit Corpori Tabithæ. Circunſtantiæ quæ ſequuntur, ad miraculi certitudinem poſitæ ſunt.

41. *Aſſignavit.* Id eſt, exhibuit.

42. *Crediderunt,* &c. Jam multiplex apparet miraculi fructus.

fructus. Pauperes enim Deus solatus est, Ecclesiæ reddita est pia matrona in cujus morte multum jacturæ factum erat, & multi ad fidem vocantur. Nam etsi Petrus tantæ virtutis fuerat minister, homines tamen in se non retinet, sed ad Christum potiùs dirigit.

43. *Apud Simonem quendam coriarium.* Mos erat etiam doctissimis Judæorum opificium aliquod discere, unde ubi res ferret, se sustentarent, nec alios gravarent. Sic Rabbi Jose coriarius erat, hoc est, מעבר עורות, *pellio*, Rabbi Jochanan סנדלר *sutor*, Rabbi- Juda נחתום *pistor* Rabbi Meir לבלר *librarius*. De Asinæo & Asilæo in Babylonia Judæis Josephus 18 Antiq. 12. Ἀυτὸς ἡ μήτηρ προσέταξεν ἱςῶν μαθήσει, ποιήσεως οὐκ ὄντος ἀπρεποῦς τοῖς ἐπιχωρίοις, ὥςε τὸς ἄνδρας ταλασιεργεῖν παρ' αὐτοῖς: *Eos mater ad textrini opificium discendum adhibuerat, quod non indecorum habetur illis gentibus, ubi & viri exercent lanificium.* Sic Apostoli post Christi resurrectionem erant piscatores. Paulus diligenter in Græcis disciplinis institutus Tarsi, & Sacris Hierosolymæ, tentoria in usum militarem faciebat, ut & Aquila Ponticus infrà cap. 18. v. 3.

CAP.

CAP. X.

1. *Erat in Cæsarea.* Quæ Romanorum tempore totius Palæstinæ caput erat, ut discimus ex Tacito lib. 8. Hujus urbis Episcopus fuit constitutus à Petro Cornelius Centurio, quo de hîc agitur, ut ait Isidorus in Chronico, aut potius Lucas Tudensis in suis ad illud additionibus.

Cornelius. Hoc nomen indicat eum fuisse Romanum, aut saltem Italicæ originis, atque in eo cœpta est impleri prophetia Es. 2. v. 4 & 11.

Centurio cohortis, quæ dicitur Italica. Id est, ex legione Italica. *Legio Italica,* inquit Grotius, *est in veteri lapide, cujus meminit Lipsius ad Tacitum Hist. 2. & ipse Tacitus sæpè.*

2. *Religiosus ac timens Deum.* Id est, veri Dei cultor, secundum id quod ratio & Lex Mosis ei dictabat internæ pietati maximè esse consentaneum. Tales חסידי אומות *pii ex gentibus* dicuntur Talmudicis, σεβόμενοι Ἕλληνες, *Græci religiosi,* infrà cap. 17. v. 4.

Cum omni Domo suâ. Familiam in Dei timore instituit Cornelius, contemto periculi metu, quod inde instabat. Valde enim exosa erat tunc temporis Judaica religio: nec impune erat civi Romano peregrinam, ut vocabant, religionem suscipere. *Quare,* inquit egregiè Calvinus, *etsi hodie pessimè in mundo audit sincera Evangelii professio: tamen nimis vitiosa est timiditas, siquem impediat injustum illud odium, ne suam familiam Deo audeat in sacrificium suâ piâ institutione offerre.*

Faciens eleemosynas multas plebi. Id est, passim omnibus egenis Judæis, quos ideo amabat quòd unum verum Deum colerent, quasi apertis visceribus erogabat quod ei suppeditabat Dei liberalitas.

Et deprecans Deum semper. Hoc est, assiduus in fundendis precibus ad unum verum Deum, sicuti assidua Dei beneficia illuc nos invitant & stimulant.

3. *Is vidit in visu manifestè.* Non in somnis, sed vigilans oculis corporeis, non in spiritu extra se raptus, ut accidit Petro infrà v. 10. & cap. 11. v. 5.

Quasi horâ nonâ. Id est, circa horam precationis & sacrificationis vespertinam. Vide quæ adnotavimus suprà cap. 3. v. 1.

An-

Angelum Dei. Ad Centurionem benè utentem, datis sibi cœlitùs donis, Dei benignitate Angelus & Apostolus mittitur, ut plenâ Evangelii luce donetur.

4. *Quid est, Domine?* Q. d. Jube quod vis, Domine, jussa tua exequar.

Ascenderunt in memoriam in conspectu Dei. Id est, eleemosynæ tuæ atque preces Deo perplacuerunt. Locutio est sumta à suffitu Legali. *Nam,* inquit Grotius, *is propriè vocatur* אזכרה, *Græcè* μνημόσυνον memoriale *Levit.* 2. *& alibi. Et de suffitu dicitur* ἀναβαίνειν ascendere. Apoc. 8. v. 4. *Is autem suffitus symbolum erat precum, Apoc.* 5. *v.* 8. *&* 8. *v.* 3. *Precationem subvehi alis duabus aiunt Veteres, jejunio & misericordiæ operibus.*

5. *Et nunc.* Id est, nunc itaque. Angelus Apostolum monstrat, Apostolus Christum.

6. *Hic dicet tibi quid te oporteat facere.* Hoc est, ut exponitur infrà cap. 11. v. 14. *Qui loquetur tibi verba, in quibus salvus eris tu & universa domus tua.* Q. d. Hic te instruet scientiâ Christi, quæ unica est ad salutem via, ut tu domúsque tua tota servari possitis. Non solet Deus hominibus Evangelii notitiam aliter instillare, quàm instrumento prædicationis. **This is Gods ordinary way which he hath established, and we may not expect another:** *Hæc est ordinaria Dei dispensatio, quam ipse instituit, neque nos aliam expectare indulsit,* verissimè ait, atque ex Rom. 10. v. 14. probat charissimæ conjugis patruus, pl. Reverendus Samuel Gardnerus Doctor Theologus, & Regiæ Majestati à Sacris, in gravi ac docta concione de Ministrorum Evangelicorum dignitate & officio.

Militem metuentem Dominum. Domestici Cornelii omnes metuebant Dominum, utì dictum est suprà v. 2. at non omnes qui sub ejus imperio erant milites pii erant ac religiosi. Militum & Domesticorum πραλληλισμὸν similem habemus Mat. 8. v. 9.

Ex his qui illi parebant. Id est, ad illius jussa exequenda pro foribus adsistebant. Ovidius de amatore & milite loquens ait:

Ille fores Dominæ servat, at ille Ducis.

8. *Quibus cùm narasset omnia,* &c. Militi & famulis Cornelius omnia exposuit, ut magis eos animet ad exhauriendum mandatum, quod Dei potiùs quàm hominis esse vident. *Quos tutem,* inquit Calvinus. *ingenuè priùs instituerat, eos non dubitat a ntæ rei nunc facere conscios.*

a 9. *Ascendit Petrus in superiora.* Gr. ἐπὶ τὸ δῶμα, *super tectum.*

tectum. Tecta Judæorum plana erant, non in coni formam fastigiata. Hieronymus in epistola, quæ est ad Suniam & Fretelam, Δῶμα *in Orientalibus provinciis ipsum dicitur quod apud Latinos tectum. In Palæstina enim & Ægypto, vel ubi scripti sunt divini libri, vel interpretati sunt, non habent in tectis culmina, sed domata, quæ Romæ vel* solaria, *vel* meniana *vocant, id est plana tecta qu transversis trabibus sustentantur.* Voce hac pro tecto usus est vulgatus interpres Prov. 21. v. 9. & 25. v. 24. Anselmus in Matthæam fol. 45. *Mos architecturæ in Palæstina, ut tecta desuper plana, non cacuminata habeantur. Similiter & Templum Solomonis factum erat planum desuper & in gyro cancelli deambulatorii, ne quis incautus inde laberetur, & erat ibi sedes doctorum, ut inde loquerentur populo.*

Ut oraret. Secretò nimirum ac sine interpellatione. Suetonius de Augusto: *Siquando quid secretò ac sine interpellatione agere proposuisset, erat illi locus in edito singularis,* &c.

Circa horam sextam. Id est, Cl. Drusio interprete, *tempus precationis, quam vocant* תפלת מנחה precationem sacrificii *sive* muneris: *quæ incipiebat horâ sextâ & dimidiâ, & durabat usque ad nonam & dimidiam. Erat etiam hora prandii: unde in libro qui* Principium sapientiæ *inscribitur,* tempus כעורה refectionis *vocatur. Ante hanc precationem non gustabant quicquam, tràtque in magno pretio apud veteres.* Vide dicta suprà cap. 2. v. 15 & cap. 3. v. 1.

18. *Voluit gustare.* Hoc est, comedere. *Metonymia effecti distinati,* inquit Piscator, *nam ideo cibos gustamus, ut, si sapiant, comidamus,* Colligere hinc licet etiam Judæos de meridiè, quæ ipsis hora sexta, cibum capere solitos, & hanc fuisse Judæis prandii horam sabbato, testatur Josephus in vita sua. Vide quæ diximus suprà cap. 2. v. 15.

Cecidit super eum mentis excessus. Hoc est, extra se raptus est, ut præsentium memoria menti excideret, nec quicquam sensit perciperet, sed totus converteretur in imagines intùs objectas. Ἔκστασις *hoc loco est,* inquit Pricæus, *ut in Apologia Apuleius,* ad oblivionem præsentium externari, & paulisper remotâ corporis memoriâ ad naturam eam, quæ est immortalis & divina. *Augustinus de matre sua 9 Confess.* 5. Defectum animæ passa est, & paululùm substracta à præsentibus.

11. *Et vidit cœlum apertum,* &c. Q. d. Cœlum ei visum est findi, velut magno hiatu: quáque patuerit, descendere ad se involucrum tanquam linteum magnum quatuor angulis devinctum, à cœlo pendens in terram. *Videbatur autem,* inquit Grotius, *linteum illud à cœlo pendere, ut significaretur libertas cœlitùs indulta.* Vide quæ diximus suprà cap. 7. v. 56.

Vas quoddam velut linteum. Gr. σκεῦός τι ὡς ὀθόνην. *Quanquam non ignorem,* inquit Clarissimus Heinsius, *quàm latè aut Hebræorum* כלי, *aut Romanorum* vas *pateat, malim tamen* involucrum *hoc loco, aut simile* σκεῦος, ὡς ὀθόνην, involucrum, tanquam linteum: *cùm præsertim & ὀθόνη pro* involucro *Græcis usurpetur. Doctissimus interpretum Hesychius:* Ὀθόναι, τὰ περιβόλαια πάντα. *Fortè & ad pastorum Hebræorum* כלי *sic allusit, quod vel involucrum vel saccus erat, in quo cibos, calicésque è quibus bibebant, aliáque quæ ad victum aut usum, reponere solebant. Quale est illud Zachariæ* 11. *v.* 15. σκεῦος ποιμένος ἀπείρου. *Quanquam ibi multitudinis numero utantur Hellenistæ.*

Quatuor initiis submitti de cœlo in terram. Hoc est, quatuor angulis devinctum cœlo dependere in terram.

12. *In quo erant.* Non in veritate, sed in imagine, ut ait Cyrillus Alexandrinus lib. 9. contra Julianum.

Omnia. Hoc est, omnigena.

Quadrupedia & serpentia terræ. Gr. τετράποδα τῆς γῆς, καὶ τὰ θηρία, καὶ τὰ ἑρπετὰ, *quadrupedia terræ, & feræ, & reptilia.* Appellatio בהמות, *quadrupedia* in vulgata editione tam latè hîc patet atque apud Physicos; at in textu Græco domestica duntaxat complectitur, & quæ ad communem hominum usum ali solent, ut sunt cameli, equi, asini, canes, boves, oves, porci, & alia id genus; ideóque additur καὶ τὰ θηρία, *& feræ.* Hebræum nomen בהמה sumitur quadrifariàm. Primò pro bruto quovis, putà cùm soli homini opponitur, ut Ps. 36. v. 7. Unde est, quod etiam serpens recensetur inter בהמות Gen. 3. v. 14. Secundò pro quovis terrestri quadrupede viviparo aliquantæ molis, quoties volucribus, reptilibus, & aquatilibus opponitur. At ubicunque בהמה & חיה opponuntur, ut Gen. 1. v. 25. tum בהמה jumenta, greges, & omne domesticum pecus, חיה significat agrestes feras, quibus aliud nomen זין Ps. 50. v. 11. & 80. v. 14. videtur à motu factum; quia זון Hebræis & *Hazaza* Arabibus est *movere* vel *movere se.* Nempe cùm cicuribus & mansuetis animalibus fixæ sint apud dominos suos sedes & pastus domi paratus: feræ contrà quoquoversùm prædabundæ discurrunt, éstque earum vita pastoritia ex Philosopho, ad pastum è loco movere necessitate coacta. Sed feras quoque sub nomine בהמות non rarò contineri patet ex 1 Sam. 17. v. 44. Es. 18. v. 6. Jer. 27. v. 33. Proinde Deut. 14. v. 4 & 5. inter species בהמות, quorum esus ex Lege licitus est, censentur cervi, capreæ, bubali, &c. Denique Job. 40. v. 10. nomen בהמות terminatione plurale, sed sensu singulare, est hippotamus.

Serpentia. Serpens seu reptile Hebræis רמש *à calcando terram,* & שרץ *à copia,* & זחל *à tarditate motûs* dicitur. Reptilis

tilis nomen Gen. 9. v. 3. atque alibi non rarò ſumitur pro quovis greſſili. Quandoque quadrupedibus atque avibus opponitur, ita ut piſces includat, ut hîc, & Levitic. 11. v. 46. Rom. 1. v. 23. Aquaticum quippe animal Hebraeâ phraſi dicitur חיה רומשת במים *animal repens in aquis.* Quamvis enim שחה *natare* ſit proprium aquatilium, unde vocantur νηκτὰ, *nantia*, Sap. 19. v. 18. illa tamen repere in aquis ſcriptura dicit paſſim, natare nuſquam. *Omne ſcilicet quod natat*, ut ait Ambroſ. Hexaem. lib. 5. cap. 1. *reptantis habet ſpeciem vel naturam. Nam etſi in profundum cùm ſe demerſerint, aquam videantur findere, tamen cùm ſuprà innatant, repunt toto corpore, quod trahunt ſuper quædam dorſa aquarum. Etiam amphibia, quæ pedes habent, & ambulandi uſum: tamen cùm in alto aquarum ſunt, non ambulant, ſed natant, nec veſtigio utuntur pedis ad incedendum, ſed tanquam remo ad reptandum.* Denique reptile in Scriptura dicitur quodvis animal, quod neque quadrupes aliquantæ molis, neque avis, neque piſcis eſt. Sic reptilibus Moſes accenſet minima quadrupedum, putà mures & talpas Levitic. 11. v. 29. & exſanguia omnia, ſive ſuper ventrem ſerpant, ut vermes; ſive volucria ſint, ut præter locuſtarum nonnullas muſcæ, papiliones, &c. ſive quadrupeda ſint ut locuſta, ſive multipeda ut ſcolopendra, Levit. 11. v. 42.

Volatilia Cœli. Id eſt, aves. *Avis*, inquit Bochartus, *eſt animal bipes, alatum & plumigerum. A quadrupede plurimùm differt, cùm neque pilos habeat, neque labra, neque dentes, neque cornua, neque pedes anteriores, ſed* נוצה plumam *pro pilis, &* מוקר roſtrum *pro labris & dentibus, &* כנפים alas *pro pedibus anterioribus, & pro cordibus nonnullæ* כרבלה criſtam. *Etiam avibus cilia deſunt. & ſupercilia, & nares, & auriculæ. Buboni & otidi plumæ ſunt velut aures; ceteris cavernæ ad auditum. Intùs neque venes habent, neque veſicam, adeſque lotium & ſtercus unico meatu excernunt. Quod in pecude eſt* קבה rumen *vel ὀισοφάγος* gula, *Deut.* 18. *v.* 3. *id in ave eſt* מראה φάλοβος, ingluvies, *Levitic.* 1. *v.* 16. *Ibidem* נוצה, *ut quidam volunt, eſt avis* ventriculus, *quem in aliis animalibus Hebræi vocant* כרש *ex Jer.* 51. *v.* 34.

13. *Et facta eſt vox ad eum*, Cœlitùs ſcilicet, quâ voce purificavit Deus quæ antè fuerant immunda, & abrogavit legem de animalium delectu, ut ſimul doceret nullum à ſe populum rejici.

Occide & manduca. Id eſt, macta omnia iſta, atque de omnibus comede abſque ullo diſcrimine. Hâc voce cœlitùs datâ, ſicut oſtendebat Deus libertatem à ſe indulgeri Judæis ad Chriſtum converſis quibuſlibet cibis veſcendi, ita ſimul ſignificabat nullam eſſe cauſam abſtinendi à communione alienigenarum, poſtquam cœleſti ope ab idololatria & pravis moribus,

fide præsertim in Christum purgati, pietati sese penitùs dedissent. Nam obstaculo sive intergerino pariete Legis ceremonialis, quæ arctiorem inter Judæos & gentes communionem prohibebat, remoto, nihil erat cur ampliùs animis fide & pietate in Christo & Deo conjunctis, propter externa illa à se invicem sejungerentur.

14. *Absit*, &c. Simile dedit responsum Ezechiel cap. 4. v. 14. aliquid immundum delibare jussus. Daniel ejúsque socii Dan. 1. v. 8 & 12. maluerunt solis leguminibus vesci, quàm regio cibo pollui. Eleazarus dum ore per vim deducto cogebatur suillam edere 2 Mac. 6. v. 18. extrema quæque passus est potiùs quàm ut Regi hac in parte obsequeretur. *Ne parvum*, ait apud Josephum, *hoc peccatum esse æstimes, si pollutos cibos sumamus. Proinde enim est, sive in magnis aut in parvis transgrediaris, quia per utrumque Lex pariter contemnitur.* Eleazari virtutem imitati septem fratres unà cum matre eadem de causa multa perpessi vitam martyrio finierunt. Horum agon describitur 2 Mac. 7. & in Josephi libro de Macchabæis.

Commune & immundum. Q. d. Profanum vel impurum. Cùm enim Deus sibi Judæos elegisset in populum peculiarem, formam vivendi illis præscripserat, quæ à profanis gentibus illos distingueret. Quicquid ergo gentibus in usu erat præter Legis normam, id vocabant *commune* vel *immundum* : quia nihil sanctum aut purum nisi quod Deus in usum populi sui destinaverat.

15. *Quod Deus purificavit, tu commune ne dixeris.* Q. d. Cùm Deus jam leges de cibis immundis antiquaverit & abrogaverit, ne tu inani scrupulo quibusdam cibis abstineas tanquam profanis vel impuris. Sublatam autem esse à Christo distinctionem pecudum in mundas & immundas, etiam ante diluvium Gen. 7. v. 2. usitatam, non tantùm ex facta hîc cœlitus ad Petrum voce constat, sed & ex Mat. 15. v. 11. Rom. 14. v. 14 & seqq. 1 Cor. 10. v. 25, 26 & 27. Col. 2. v. 16, 17, 20 & 21. 1 Tim. 4. v. 4. Tit. 1. v. 5. Itaque, siquis adhuc more Judaico distinguit cibos, ut hodie præter Judæos Arabes & Mahumetani, tenetur inani scrupulo, nec eâ fruitur libertate, quam Christus nobis suâ morte peperit. Verbum טמא, quod hîc vertitur Κοινὸν, propriè est polluere, impropriè pro polluto habere vel declarare, seu, ut exponitur infrà v. 28. Κοινὸν ἢ ἀκάθαρτον λέγειν, *commune aut immundum dicere.*

16. *Hoc factum est per ter.* Ad significandam divini consilii immutabilitatem, eámque penitùs animo infigendam.

Et statim receptum est vas in cœlum. Linteum de cœlo delapsum adumbrat Ecclesiam cœlitùs collectam ex Judæis simul & gentibus fide purgatis, qui quod ad spiritualem originem attinet, sicuti pariter è cœlo descendunt, Apoc. 3. v. 12. & 21. v. 2. ita

ita ad cœlum sunt redituri ut linteum hoc iterùm in cœlum sublatum est.

17. *Dum intra se hæsitaret Petrus quidnam esset visu quam vidisset.* Q. d. Dum Petrus secum volutaret quid rei portenderet visio sibi cœlitùs data.

19. *Dixit ei Spiritus.* Id est, præcedit ei Spiritus. אמר *dixit* sæpè Hebræis, semper autem Arabibus valet *jubere, mandare.* Quale & illud Luc. 12. v. 13. *Dic fratri meo ut dividat mecum hereditatem.* Hoc est, jube fratrem meum mecum partiri hereditatem.

20. *Nihil dubitans.* Proficisci eò, quò viri isti te accersunt, licèt is ad quem accerseris Judæus non sit.

Quia ego misi illos. Spiritus dicitur fecisse quod per Angelum jusserat suprà v. 5. *Hinc,* inquit Calvinus, *monemur non aliter tranquillas fore conscientias ut tutò agant homines quod agunt, quàm ubi verbo Dei edoctæ, nihil se nisi ejus auspiciis ac jussu aggredi statuunt.*

21. *Descendens autem Petrus ad viros.* Qui scilicet, ut supplet-ur in textu Græco, ad ipsum missi fuerant à Cornelio.

22. *Testimonium habens ab universa gente Judæorum.* Q. d. Non unius aut alterius laudibus, sed totius Judæorum nationis ornatus. Solinus de Scipione Nasica: *Vir optimus judicatus est non privato testimonio, sed totius Senatus sacramento.*

Audire verba. Id est, mandata, seu quid ipsum oporteat facere, ut suprà v. 6. Angelus fuerat locutus. Sic דברי־כם *verba,* LXX interpretes vertunt ἐντολὰς, *mandata.* Deut. 17. v. 19. Jer. 19. v. 15, &c.

23. *Quidam ex fratribus,* &c. Prudenti consilio Petrus sex ex fratribus sibi comites assumit, ut testes essent gestorum. Vide infrà cap. 11. v. 12.

24. *Altera autem die.* Quàm scilicet ab urbe Joppe profectus est Petrus.

Convocatis, &c. Cornelius Rachabæ Hierichuntinæ Jos. 2. v. 12 & 13. similis, non sibi privatim bonum fidei retinere studet, sed etiam cognatos & affines gratiæ ejusdem participes fieri exoptat, utpote quos omnes domûs suæ nomine comprehendi posse intelligebat.

Necessariis amicis. Gellius 13 Noct. Att. 3. *Qui ob jus affinitatis familiaritatisve conjuncti sunt, necessarii dicuntur.* Festus: *Necessarii sunt, ut Gallus Ælius ait, qui aut cognati, aut affines sunt, in quos necessaria officia conferuntur præter ceteros.* Nonius *necessarios* interpretatur *affines, cùm,* inquit, *Necessitas, affinitas, unde & hoc jure conjuncti necessarii appellantur.* Sed non solos affines, verùm etiam cognatos hoc nomine denotari satis manifestum ex hoc loco Valerii Maximi lib. 2. cap. 1. *Connivium solemne Majores in-*

instituerunt, idque Charistia appellaverunt, cui præter cognatos & affines nemo interponebatur: ut siqua inter necessarios querela esset orta, apud sacra mensæ, & inter hilaritatem animorum, fautoribus concordiæ adhibitis tolleretur. Marcellus *necessarios* ab amicis & propinquis distinguit, quasi arctiore quadam benevolentiâ devinctos, lib. 4. Epist. fam. 2. ad Ciceronem: *In summa paucitate amicorum, propinquorum, ac necessariorum qui verè meæ saluti faverent, te cupidissimum mei, singularémque mihi benevolentiam præstitisse cognovi.*

25. *Et factum est, cùm introisset Petrus.* Gr. ὡς δὲ ἐγένετο εἰσελθεῖν τὸν Πέτρον, *ut autem factum est ut introiret Petrus.* Id est, cùm Petrus domum Cornelii jamjam esset ingressurus. *Sunt enim,* inquit Clarissimus Beza, *hæc non palàm sed domi apud Cornelium gesta, & quidem in ipso ædium vestibulo, ut apparet ex vers.* 27 & 28.

26. *Petrus verò,* &c. Petrus non admittit religiosam venerationem sibi tanquam Dei legato exhiberi, sicut Prophetis olim exhibita, quia jam unicus tantùm mediator Dei & hominum homo Christus Jesus legationem cum tali autoritate conjunctam sustinet; ceteri omnes in causa religionis non domini aut magistri, sed conservi & condiscipuli sunt. Vide Apoc. 19. v. 10. & 22. v. 8 & 9.

Et ego ipse homo sum. Terrenus videlicet, divini & cœlestis hominis illius Christi Jesu minister, conservus tuus.

27. *Et loquens cum illo.* Ab ædium vestibulo, ubi obviàm ei factus est, ad ipsas ædes.

28. *Quomodo abominatum sit.* Gr. ὡς ἀθέμιτόν ἐστιν, *quòd illicitum sit.* Id est, pro illicito censeatur.

Conjungi aut accedere ad alienigenam. Gr. Κολλᾶσθαι ἢ προσέρχεσθαι ἀλλοφύλῳ, *agglutinari aut accedere ad alienigenam.* Cùm non possent Judæi omne cum alienigenis colloquium & commercium vitare, ita rem temperaverant, ut eorum ædes non adirent, neque cum eis comederent. Unde Petrus suprà v. 21 & 22. viros à Cornelio missos primùm pro foribus alloquitur, nec in ædes introducit, nisi certior factus eos esse, de quibus à Deo erat præmonitus; & infrà cap. 11. v. 3. Petrus redarguitur à Judæis quòd ad viros præputium habentes introiisset, & unà edisset cum eis. Hinc & illud apud Justinum Historicum de Judæis: *Quoniam metu contagionis pulsos se ab Ægypto meminerant, ne eâdem causâ invisi apud incolas forent, caverunt ne cum peregrinis communicarent: quod ex causa factum paulatim in disciplinam religionémque convertit.* Et Apollonius Molo Judæos ait μὴ κοινωνεῖν τοῖς καθ' ἑτέραν βίου ζῆν προαιρουμένοις, *non uti eorum consuetudine, qui aliam à Judaica vitæ rationem sequebantur. Quod,* inquit clarissimus Seldenus, *& verum fuisse palàm asserit*

Jose-

Joſephus, dum rem ipſam ex Græcorum aliquot de peregrinis more pluribus defendit.

Sed mihi oſtendit Deus, neminem communem aut immundum dicere. Id eſt, neminem deinceps ob præputium pro immundo eſſe reputandum.

29. *Sine dubitatione veni.* Gr. ἀναντιῤῥήτως ἦλθον, *nihil oblocutus veni.* Præclarè Calvinus: *Hoc eſt ſanctum fidei ſilentium, quum Deo non obſtrepentes, placidè ſuſcipimus quicquid mandat, adverſas rationis, quæcunque ſe ingerant, procul abigendo.*

30. *A nudiusquarta die uſque ad hanc horam.* Græcè additur, ἄχρι τῆς νηστείας, *eram jejunans.* Doctiſſimus Ludovicus de Dieu exiſtimat horam præſentem indicari, & quidem ejus diei matutinam. *Quum enim,* inquit, *Joppe novem milliaribus, ſive diei itinere diſtaret Cæſarea, Petrus pridie Joppe profectus, poſtridie manè Cæſaream intravit, & cum Cornelio ſermones miſcuit. Ad hanc ipſam, inquit Cornelius, horam quartus dies eſt elapſus, quo me jejunio dabam; verto enim ἄχρι τῆς νηστείας,* eram jejunans, *non* jejunus.

Orans eram horâ nonâ. Gr. ᾗ τὴν ἐνάτην ὥραν προσευχόμενος, *& horâ nonâ,* ejudem ſcilicet diei, *quo me jejunio dabam, precans.*

Et ecce, Quum ad precandi ſtudium probè intentus eſſem, ac mentem ſolutam haberem omnibus impedimentis, quæ nos phantaſmatibus ac ſpectris obnoxios reddere ſolent.

Vir. Id eſt, Angelus virili ſpecie. Sic promiſcuè Moſes nunc homines, nunc Angelos appellat, qui viſi ſunt Abrahæ humanis corporibus induti.

In veſte candida. Gr. λαμπρᾷ *ſplendida. Veſtis ſplendida,* inquit Calvinus, *cœleſtis gloriæ indicium fuit, & quaſi inſigne divinæ majeſtatis, quæ fulgere in Angelo debuit. Talem in Chriſti veſte ſplendorem Evangeliſtæ fuiſſe teſtantur, quum gloriam ſuam tribus diſcipulis in monte patefaceret. Idem & de Angelis narrant, qui ad teſtandam Chriſti Reſurrectionem miſſi ſunt. Nam ſicuti Dominus hucuſque infirmitati noſtræ concedit, ut Angelos ſuos ſub carnis noſtræ forma deſcendere jubeat, ita ſimul quoſdam gloriæ ſuæ radios illis aſpergit, ut reverentiam mandatis, quæ perferenda commiſit, ac fidem conciliet.*

31. *Exaudita,* Vide quæ adnotavimus ſuprà v. 4.

33. *Benè feciſti veniendo.* Id eſt, perquàm laudabiliter feciſti, qui adveneris. Vide ſimilem laudativam locutionem 2 Pet. 1. v. 19.

In conſpectu tuo. ἐνώπιόν σου, quomodo legit & Syrus, & Arabs, cùm vulgares Græci codices habeant, ἐνώπιον τοῦ θεοῦ, *in conſpectu Dei.* Q. d. Deum habentes præ oculis, cui per ſimulationem illudere fas non eſt.

Audire omnia, &c. Prudenter Cornelius inter Deum & hominem diſcernit; Nam Deum facit præceptorum autorem, homini

mini verò nihil relinquit præter ministerium & legationem. Attentos, inquit, discipulos & obsequentes habebis in omnibus quæ tibi Deus mandavit: ut solus ille imperium habeat, tu sis duntaxat minister: ipse solus loquatur, sed ex ore tuo. Atque hoc omnibus servis suis in Ezechielis persona Deus præscribit Ezech. 33. v. 7. *Et tu fili hominis speculatorem dedi te domui Israël: audiens ergo ex ore meo sermonem, annuntiabis eis ex me.*

34. *Aperiens autem Petrus os suum.* Phrasis est emphatica, quæ tunc adhiberi solet, cùm quis incipit loqui post aliquod silentii intervallum, ut Job. 3. v. 1. & de re aliqua singularis momenti, ut Ps. 78. v. 2. Prov. 8. v. 6. Mat. 5. vi 2. & 13. v. 35; idque cum vehementia quadam acri, cum ardore ac contentione, tum animi, tum vocis, ut Jud. 11. v. 35. Job. 33. v. 2. Ps. 49. v. 4. Sic Apostolus vult Ephesios precibus a Deo efflagitare, ut sibi detur sermo ad apertionem oris sui Ephes. 6. v. 19. ubi voces ἐν ἀνοίξει στόματός, ἐξηγητικῶς exponuntur per phrasin sequentem ἐν παῤῥησίᾳ, *cum fiducia.*

In veritate compèri. Quòd videlicet ipse prejudicio impeditus antea non intellexeram. Ἐπ' ἀληθείας καταλαμβάνομαι *dicitur*, inquit Heinsius, *qui reipsâ persuasus sententiam mutare cogitur. Petro persuasum fuerat nefas Judæo esse cum gentibus versari. Hanc opinionem quamquam visione è cœlo, cujus mentio fit supra v. 11. & 16. concepta, eripere ei Dominus conatus esset, edoctus jam amplius Cornelii exemplo, verum esse, quod significatum ei ænigmaticè* κατ' ὄναρ *fuerat*, ἐπ' ἀληθείας καταλαμβάνεσθαι *se ait, quod est, vero vinci, sui ipsa veritate ad mutandam sententiam cogi.*

Non est personarum acceptor Deus. Id est. Nemo est hominum qui acceptus sit Deo propter eas prærogativas, quæ bonis & malis communes esse possunt. *Notandum est*, inquit Estius ad Rom. 2. v. 11. *hunc phrasin, qua quis dicitur* acceptor personarum, *quæ quidem Sacris literis peculiaris est, manasse ab Hebræis, quibus* accipere *vel* sumere faciem *vel* respicere in faciem hominis *dicuntur, qui eum propter aliquam qualitatem, quam in illo conspiciunt aut noverunt, ut propter potentiam, opulentiam, nobilitatem, consanguinitatem ita reverentur aut amant, ut propterea ab eo quod verum, justum, rectum est, judicando discedant. Hinc illa est ad judices imprecatio Ps. 81. v. 2.* Usquequo judicatis iniquitatem, & facies peccatorum sumitis? *Unde & Pharisæi cum Herodianis Christo fallaciter assentantes dicebant:* Nec enim vides in faciem hominum, sed in veritate viam Dei doces, *Mar.* 12. v. 14. *Pro quo Mat.* 22. v. 16. *noster vertit*, respicere personam. *Quò pertinet quod justitia solet cæca pingi: quia nimirùm facies hominum non aspicit. Quoniam autem vox Græca* πρόσωπον *à qua compositum* προσωποληψία, personæ acceptio, *significat & faciem & personam: inde factum ut interpretes Latini modò faciem, modò* personam accipere *sint interpretati, cùm Hebraica dictio* פנים

פנים *propriè tantùm significet facies. Unde & Syrus interpretatur* acceptionem facierum, *hîc, & Jac.* 2. Hactenus Estius.

35. *Sed in omni gente*, &c. Non opus ergo fuit ut extranei à populo Israelitico Legem rituum susciperent, ut gratiam invenirent apud Deum. Id tantùm fuit requisitum ut terræ Canaan & benedictionum temporalium ei alligatarum participes essent. Sed quoad spirituales semper verum fuit, quod hîc dicit Petrus, *In omni gente qui timet Deum & operatur justitiam, acceptus est illi*, etsi ipse præjudicio impeditus illud antea non intellexisset. Loquitur enim de gentilibus incircumcisis, & qui Legem Mosaicam non servabant, qualis erat Cornelius Centurio. Ideo Propheræ cùm scelera populorum idololatrarum reprehendunt, & judicia Dei ipsis denunciant, nunquam eos omissæ circumcisionis, aut Sabbati, aliorúmque ejusmodi rituum violatorum accusant, vel ad eos observandos hortantur: sed tantùm peccatorum adversus legem naturæ meminerunt. Nimirum fœdus istud nullos alios obligabat præter Israelitas eum quibus initum fuerat: Qua de re vide Esaiam à cap. 13. ad caput vigesimum secundum, & Ezechielem à cap. 25. ad tricesimum tertium. Item Abdiam, Jonam & Nahum. Proptereáque cum reliqui populi per Evangelium vocati fuerunt ad veri Dei cognitionem, Deus noluit eos Legis ceremonialis onere gravari, infrà cap. 15.

Qui timet eum. Id est, qui nihil magìs veretur, quàm ut ne quid committat aut omittat quo Deum à se alienet, & ipsum minùs propitium faventémque experiatur.

Et operatur justitiam. Id est, & castè integréque vivit.

Acceptus est illi. Ex dignatione acceptantis, non verò ex dignitate operis vel operantis. *Hoc habet*, inquit Augustinus, *non pondus humani meriti, sed ordo divini consilii.* Hinc Paulus 2 Thes. 1. v. 5. non dicit Fideles dignos esse regno Dei pro quo patiuntur, sed dignos haberi καταξιωθῆναι, numirùm ex gratia & misericordia Dei, qui eos vult reparare tales. Neque alia fuit mens Christi Apoc. 3. v. 4. quamvìs simpliciter & absque ulla restrictione dicat fideles dignos esse qui secum ambulent in albis, rempe quia tales ex gratia eos æstimat.

36. *Verbum misit*, &c. Gr. τὸν λόγον ἀπέστειλε, quod idem est ac Hebraicè את הדבר אשר שלח, *hoc est verbum quod misit*, id est, per nuntium significavit. Particula את quæ Accusativum format, in hujusmodi constructionibus, valet pronomen זה cum verbo substantivo subintellecto, & per Nominativum est reddenda. Exempla fidem facient. Aggæi 2. v. 5. את הדבר אשר כרתי אתכם, LXX ad verbum pro זה הדבר, *hoc est verbum quod pepigi vobiscum.* Zac. 7. v. 7. הלא את הדברים אשר קרא יהוה pro הלא אלה, *annon illa sunt verba, quæ clamavit Dominus?* ibid. v. 17.

v. 17. כי את כל אלה אשר שנאתי pro כי המה כל אלה, *Nam hæc sunt omnia ea quæ odi.* 2 Reg. 9. v. 24. אני ואתה את רכבים pro המה הרכבים, ἐγὼ & *tu sumus illi qui equitabamus.* Ita hoc loco, ὃ λόγον ὃν ἀπήγειλε. idem est ac ὅτι ὁ λόγος ὃν ἀπήγειλε. *Quod*, inquit Ludovicus De Dieu, *magis etiam confirmat usitatissimus Rabbinis loquendi modus, qui dicturi* ὅτι ὁ λόγος, ὃν ἀπήγειλε, *dicent* אותו הדבר אשר שלח, *quod ad verbum est*, λόγον ὃν ἀπήγειλε. אותו *propriè est*, eum, *sed usurpatur ipsis pro* id est. Sic אותם propriè est *eos*, & à Rabbinis adhibetur pro *illi sunt*. Hebraismum hujus loci optimè intellexit Syrus interpres, qui vertit, *Sermo enim is est quem misit.*

Annuntians pacem per Jesum Christum. Hoc est, cùm prænuntiaret pacem ac reconciliationem Dei cum hominibus per Jesum Christum futuram. *Respici videtur*, inquit mox Laudatus De Dieu, *illud Dei apud Esaiam cap.* 56. *v.* 1. Sic dicit Dominus, Custodite jus, & operamini justitiam: nam propinqua est salus mea ut veniat, & Justitia mea ut reveletur. *Annuntiatur ibi pax sive salus quæ instabat per Jesum Christum, sed simul mittitur verbum, id est, mandatum filiis Israel ut operentur justitiam. Atque ita docentur ipsi filii Israel, eos demùm verè esse acceptos Deo, & eos quidem omnes qui justitiæ student. Quamobrem statim additur*, Beatus vir, qui hoc faciet, & filius hominis qui hoc tenebit. *Quisquis sit, sive ex Judæis, sive ex gentibus, sine ulla personarum acceptione. Atque ita verè, id quod versu trigesimo quinto dixerat, dicit esse eundem illum sermonem quem Deus jamdudum filiis Israel miserat, quum per Esaiam annuntiaret pacem, per Jesum Christum futuram.*

Hic est omnium Dominus. Q. d. Neque enim Christus unius gentis, sed omnium Dominus est. Moses Legis minister fuit, & quidem unis Judæis; Christus verò potentia est Dei ad salutem cuivis credenti, Judæo primùm, deinde & Græco, Rom. 1. v. 16. Huc pertinet quod Paulus ait Rom. 3. v. 29. *An Judæorum Deus tantum? Nonne & Gentium? Imò & Gentium*, &c. Et Ephes. 2. v. 14. *Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum, & medium parietem maceriæ solvens*, &c. Hinc Luc. 2. v. 14. nato Christo Angeli annuntiant pacem in terra hominibus; resurgenti datur potestas omnis in cœlo & in terra, Mat. 28. v. 18. Ipséque discessurus præcipit discipulis, ut annuntient Evangelium omni creaturæ, Mar. 16. v. 15.

37. *Vos scitis*, &c. Q. d. Accepistis famâ & auditione dissipatum esse per universam Judæam rumorem, qui primùm ortus est à Galilæa ex quo Joannes, ut populi animos ad Christi expectationem erigeret, Baptismum prædicavit.

Incipiens enim. Particula causalis abest à textu Græco. Et meritò quidem, refertur enim ad *verbum*, quod hîc ponitur pro

pro *fama* seu *rumore de Jesu*, qui rumor jam dicitur ortus à Galilæa.

38. *Jesum à Nazareth quomodo unxit eum Deus.* Particula ὡς, *quomodo*, trajecta est, ut Rom. 12. v. 3. Relativúmque αὐτὸν, *eum*, redundat more Hebræorum. *Quod autem*, inquit Beza, *ad verbum* ungendi *attinet, hæc quoque formula loquendi orta est ex Hebræorum consuetudine, apud quos ungebantur Reges, sacerdotes ac Prophetæ. Inde factum ut dicantur* ungi à Deo, *quos ipse donis ac virtutibus imbuit.* Respicitur autem locus Es. 61. v. 1. citatus Luc. 4. v. 18. quem etiam David Kimchi mystico sensu ad Messiam refert.

Spiritu-sancto. Id est, donis Spiritûs sancti.

Et virtute. Hoc est, potentiâ evangelizandi cum fructu & successu.

Qui pertransiit, &c. Id est, Judæam triennio peragravit, ut nullus angulus expers beneficiorum ejus esset.

Oppressos à diabolo. Id est, desperatis morbis affectos. *Sunt quidem*, inquit Calvinus, *omnes morbi, totidem ferulæ quibus nos Deus castigat: sed quum Deus mitiùs nobiscum agit pro paterna indulgentia, tunc dicitur manu suâ nos ferire: in gravioribus autem flagellis Satanam iræ suæ ministrum, & quasi carnificem adhibet. Atque hæc distinctio sedulò tenenda est: Absurdum enim esset dicere, A diabolo torqueri, qui febri aut alio quolibet communi morbi genere laborat: sed mentis alienatio, rabiosus furor, & cetera quasi prodigiosa mala, aptè & propriè Satanæ tribuuntur. Secundum quam rationem Scriptura Dæmoniacos vocat, arreptitios homines, qui tantâ impotentiâ feruntur, ut videantur propè in belluas convertsi.*

Quoniam Deus erat cum illo. Q. d. Quia Deus eum unicè amabat, sempérque exaudiebat. Mat. 3. v. 17 & Jo. 11. v. 42.

39. *Et nos.* Scilicet Apostoli.

Sumus testes. Oculati.

40. *Et dedit eum manifestum fieri.* Hoc est, cúmque redivivum Exhibuit palàm.

41. *Non omni populo.* Qui ipsum crudelissimè interfecerat, seu interficiendum tradiderat.

Sed testibus præordinatis à Deo. Id est, priùs designatis à Deo per Christum. χειροτονεῖν verbum, quod propriè denotat *manibus sublatis eligere*, generaliter pro *eligere* hîc Lucas usurpavit, quod à Josepho & Philone quoque factum esse adnotat Grotius.

Qui manducavimus & bibimus cum illo. Id est, qui cum eo quàm conjunctissimè viximus.

Postquam resurrexit à mortuis. Hæc connectenda sunt cum fine versûs præcedentis, ut optimè advertit Camero.

42. *Et*

42. *Et præcepit*, &c. Ne quis existimet Apostolis quidem illa fuisse revelata, quæ cognitu erant necessaria ipsorum ætate, sed alia præterea esse quæ sequentibus seculis Deus reservare voluerit, notandum est Dominum Jesum, qui hîc dicitur jussisse Apostolos omnibus annuntiare se a Deo constitutum esse judicem vivorum ac mortuorum, prædixisse Mat. 24. v. 14. Evangelium per quod judicaturus est orbem, annuntiatum iri in universa terra, ut sit testimonio omnibus gentibus, & tunc venturum finem. Quo spectant etiam hæc Pauli verba, Deum judicaturum occulta hominum secundum Evangelium per Jesum Christum, Rom. 2. v. 16. Non ergo per aliquam perfectiorem doctrinam aut revelationem.

Constitutus est à Deo judex vivorum ac mortuorum. Judex ex Hebræorum consuetudine declarat hoc loco talem judicem, qui simul principatum & summam potestatem in eos quibus judex datus est, obtinet. Unde Rom. 14. v. 9. in hunc finem dicitur Christus esse mortuus ac revixisse, ut supremum dominium cum summa potestate conjunctum haberet, tum in animas mortuorum, tum in corpora simul atque animas viventium. *In hoc*, inquit, *Christus mortuus est & resurrexit, ut & vivorum, & mortuorum dominetur.*

43. *Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent.* Esaias cap. 53. v. 4, 5 & 6. cap. 59. v. 20 & 21. Jeremias cap. 31. v. 34. Daniel 9. v. 24. Mich. 7. v. 18 & 19. Zach. 13. v. 1. Malach. 3. v. 17.

Remissionem, &c. Q. d. Unius Christi beneficio peccatorum remissionem consequi omnes, qui sive ex Gentibus, sive ex Judæis sincero animi affectu Christum amplectuntur, ut unicum Servatorem à Deo constitutum iis, qui vitam ex ejus doctrinæ præscripto instituunt.

44. *Cecidit Spiritus-sanctus super omnes.* Id est, effusa sunt dona Spiritus-sancti in omnes. Unde Petrus infrà v. 47. & cap. 11. v. 17. Gentes incircumcisas Christo & Ecclesiæ Dei per Baptismum esse initiandas concludit, cùm Spiritualium donorum in eas effusione Deus palàm fecerit ipsas à se per solam fidem absque Legis Mosaicæ observatione in populum assumendas. Eodem argumento Paulus pugnat Gal. 3. v 2 & 5.

45. *Ex circumcisione fideles.* Id est, sex Judæi in Christum credentes, quos Petrus secum adduxerat. Hinc jam incipit Lucas circumcisos credentes ab incircumcisis distinguere, sicut consuevit Paulus illos quidem *Judæos*, istos verò *Græcos* appellare, ut & ipse Lucas infrà cap. 19. & 20.

46. *Loquentes linguis.* Variis videlicet ac peregrinis.

48. *Et jussit eos baptizari in nomine Domini.* Hoc est, præcepit eis ut juxta Christi institutionem fidem in ipsum Christum professi Baptisma susciperent.

Tunc,

Tunc, &c. Huic Cornelii & eorum qui cum eo erant petitioni Petrum obſecutum eſſe apparet ex cap. ſeq. v. 3. Sic hoſpes & conviva Gentilium factus, oſtendit non illicitum eſſe viro Judæo quod hactenus nefas putaverat, cum gentibus Deum timentibus comedere. Eodem modo comedit cum gentibus Antiochiæ, ſdque gentili more communibus cum ipſis cibis veſcens, quòd cùm ob adventum fratrum Hieroſolymitanorum facere poſteà intermiſiſſet, eo nomine à Paulo coram univerſo fidelium cœtu arguitur, Gal. 2. v. 11 & ſeqq.

CAP. XI.

1. *Et fratres.* Id eſt, ceteri fideles.
Gentes. Incircumciſæ.

2. *Diſceptabant*, &c. Increpabant Petrum Chriſtiani ex Judæis facti, non quòd verbum Dei gentibus annuntiaſſet; nulla quippe lex aut traditio antiqua vetabat ſalutis viam ſcire & inire volentibus indicari; ſed quòd cum illis fuiſſet converſatus, familiaritérque per dies aliquot convixerit. Vide dicta ſuprà cap. 10. v. 28.

3. *Quare*, &c. Verbum iſtud *Quare* hîc non notat interrogationem ſed reprehenſionis argumentum indicat.

4. *Incipiens autem Petrus.* Id eſt, comiter ſe, ut decet inter fratres fieri, excuſaturus.

Exponebat illis ordinem. Hoc eſt, *omnem ordinem rei geſtæ ſumma cum fide ac veritate percenſuit*, ut loquitur Apuleius in Apologia. Porrò eadem eſt narratio, quam proximè ſuperiori capite habuimus, & iiſdem propè verbis repetitur: ſiquid interpretatione indiget, inde petant lectores.

12. *Ingreſſi ſumus domum viri.* Ejus videlicet de quo mecum expoſtulaſtis, quòd ad eum ſim ingreſſus.

15. *Cùm autem cœpiſſem loqui.* Q. d. Dum diligenter cum iſtis ſermocinor, ipſique fidem adhibent ſermoni meo. Vide dicta ſuprà cap. 1. v. 1.

Sicut & in nos. Apoſtolos alióſque ex Judæis credentes.

16. *Sicut dicebat.* Id eſt, quod dixerat, cùm nempe mandatum nobis daret de promiſſo Patris Hieroſolymis expectando, ibíque commorando, donec induceremur virtute ex alto, ut videre eſt ſuprà cap. 1. v. 5. collato cum Luc. 24. v. 49.

Joannes,

Joannis, &c. Vide quæ diximus suprà cap. 1. v. 5.

17. *Si ergo*, &c. Petrus se gentibus fraternam societatem negare non potuisse dicit, quos a Deo in filios fuisse adoptatos donorum Spiritûs-sancti in ipsos effusio palam fecit.

18. *Tacuerunt*. Hoc est, nihil ultrà conquesti sunt, de voluntate Dei edocti.

Et Gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam. Q. d. Etiam iis qui ex gentibus incircumcisis in Christum credunt, sine carnali circumcisione circumcidit Deus Spiritu suo corda, sicut dicit Moses Deut. 30. v. 6. & ex lapideis carnea fecit, uti loquitur Ezechiel cap. 11. v. 9. ut sic reformati ac regeniti ad vitam æternam pervenire possint.

19. *Et illi quidem*, &c. Nunc ad contextum superioris historiæ redit Lucas. Attigerat suprà cap 8. v. 1 & 4. post occisum Stephanum, crescente impiorum rabie, omnes metu perculsos huc illuc fugisse, ita ut soli Apostoli Hierosolymæ subsisterent. Quum hoc modo laceratum esset Ecclesiæ corpus, profugorum dissipatione factum est, ut Evangelium usque ad regiones procul dissitas spargeretur, quod priùs unius urbis mœnibus quasi horreo inclusum erat. Eadem ratione factum est ut Christi nomen montes & maria trajiciens, usque ad ultimos orbis fines manaret. Atque hoc modo, secundum Esaiæ vaticinium cap 10. v. 22. consumtio exundavit in justitia. Vide quæ notavimus suprà cap. 8. v. 1.

A tribulatione. Id est, ex persequutione.

Sub Stephano. Gr. ἐπὶ Στεφάνῳ, *super Stephano*, hoc est, ut rectè interpretantur Erasmus & Beza, *ob Stephanum*. Quo sensu Latinè dicimus, *super hac re doleo*, id est, ob hanc rem. *Sic*, inquit Ludovicus de Dieu, *propriè* ἐπὶ *cum Dativo est* super, *deinde* ob, propter. *Luc.* 1. *v.* 29. διεταράχθη ἐπὶ τῷ λόγῳ αὐτοῦ, *perturbata fuit super sermone ejus*, id est, *propter sermonem ejus*. Hinc discimus, siquando unius hominis constantia impiorum animos ad crudelitatem acuit, ipsi iniquè adscribi mali culpam; neque enim Stephanum ignominiâ notat Lucas, quum ejus occasione Ecclesiam solito gravius fuisse vexatam recitat: sed hoc magis in laude eius ponit, quod tanquam antesignanus reliquos ad fortiter pugnandum animaverit suo exemplo.

Usque Phœnicem. Phœnicia Syriæ contigua est & vicina Galilææ, ejúsque præcipuæ civitates fuere Sidon, Tyrus, & Berytus. Regio palmâ maximè commendabatur, quæ Græcis φοίνιξ, *phœnix*, dicitur, unde propius vero est nomen fortitam fuisse. Huc merentur afferri Sidon. Appollin. carmina in Panegyrico ad Cæs. Jul. Val. Majorianum:

Que-

——— *Quæque suos provincia fructus*
Exposuit, fert Indus ebur, Chaldæus amomum,
Assyrius gemmas, Ser vellera, thura Sabæus,
Atthis mel, Phœnix palmas, &c.

Et Cyprum. Vide quæ de hac regione diximus suprà cap. 4. v. 36.

Et Antiochiam. Urbem celeberrimam Syriæ, quâ parte Ciliciam attingit.

Nemini loquentes verbum, nisi solis Judæis. Veriti videlicet ne panem filiorum canibus projicerent, si gentibus Evangelium prædicarent.

20. *Cyprii & Cyrenæi.* Incolæ scilicet, at origine Judæi atque in Judaica religione educati. Vide quæ diximus suprà cap. 2. v. 5 & 10.

Loquebantur & ad Græcos. Singulari Dei impulsu. *Græci*, inquit Calvinus, *isti non* Ἕλληνες *vocantur, sed* Ἑλληνισταί. *Ideo exponunt multi, fuisse illos ex Judæis quidem oriundos, sed Græciæ incolas: quod ego nequaquam recipio. Nam Judæos de quibus paulò antè meminit, quum partim Cypriі essent, necesse esset in illo numero censeri: quia Cyprum in parte Græciæ Judæi numerant. Atqui Lucas ab illis discernit, quos postea* Ἑλληνιστὰς *nominat. Præterea, quum dixisset, nonnisi Judæis annuntiatum initio fuisse Sermonem, & eos notaret qui patriâ extorres in Cypro & Phœnicia degebant: quasi exceptionem hanc corrigens, dicit Græcos ab eorum quibusdam fuisse edoctos. Ista certè antithesis de Gentibus cogit exponere. Significat enim Lucas, paucos liberiùs Evangelium sparsisse, quod illis non ignota esset Gentium vocatio, quum promiscuè jussisset Christus* Marc. 16. v. 15. *à resurrectione sua toti mundo Evangelium prædicari.* Quin & eruditissimus Grotius ait hoc loco non legendum esse Ἑλληνιστάς, ut habent vulgares Græci codices, sed Ἕλληνας, quomodo habet codex Alexandrinus manuscriptus in Anglia, & legit Syrus, Latinus & Arabs. Porrò Ἕλληνες, inquit, *jam à tempore imperii Græci, id est, Macedonici, dicebantur Judæis omnes incircuncisi à parte prædominante. Sic sumitur ea vox 2 Mac. 4. v. 36. Et hinc* Ἑλληνικὸς χαρακτὴρ, 2 *Mac. 4. v.* 10. Ἑλληνικὰς δόξας 2 *Mac. 4. v. 15.* τὰ Ἑλληνικὰ, 2 *Mac. 6. v. 9. & 11. v. 24. institutа Gentilium, seu extranea. Et apud Paulum sæpè.*

Annuntiantes Dominum Jesum. Tota Evangelii summa in Christo comprehenditur, qui nos Patri reconciliat, atque regenerat suo Spiritu, ut profligato Satana, regnum Dei in nobis erigatur. Vide quæ adnotavimus suprà cap. 8. v. 12.

21. *Et erat manus*, &c. Q. d. Atque Deus Cypriis & Cyrenæis Græcos seu Gentiles Evangelium edocentibus præsens præstabat

præstabat auxilium, ita ut eorum doctrinâ multi Græci commoti ac persuasi in Christum crederent.

22. *Pervenit*, &c. Q. d. Ubi fama de horum Græcorum seu Gentilium ad Christum conversione pervenit ad aures Ecclesiæ Hierosolymitanæ, quæ Petri excusatione didicerat Deum evidentibus signis testatum fecisse, Gentes suo ductu ad participandam Christi gratiam fore unà cum Judæis vocandas, fraternâ unanimitate illius Ecclesiæ membra miserunt Barnabam Cyprium, qui fidei rudimenta Antiochiæ altiùs proveheret, & ædificio inchoato formam daret, ut legitimus ibidem esset Ecclesiæ status.

23. *Vidisset gratiam Dei.* Id est, gentiles sincerè ad Christum gratuito divini Spiritûs afflatu fuisse conversos.

In proposito cordis. Hoc est amore firmo.

Permanere in Domino. Id est, Christo adhærere, ejúsque justitiæ devinciri.

24. *Plenus Spiritu sancto & fide.* Id est, donis Spiritus sancti eximiis, atque imprimis fide vivâ quàm cumulatissimè instructus & ornatus.

Et apposita, &c. Quum jam copiosus esset numerus Gentilium credentium, Lucas Barnabæ hortatu crevisse dicit. *Ita*, inquit Calvinus, *progreditur Ecclesiæ ædificium, quum alii alios mutuo consensu adjuvant, & quod ab uno cœptum est, candidè alter probat.*

25. *Profectus*, &c. Non meruit Barnabas nequid sibi detrahat Pauli adventus, modò Christus emineat prospero Evangelii successu.

26. *Christiani.* Joannes Antiochenus in Chronologicis suis cum Evodii illic Episcopatu Christiani nominis Antiochiæ ortum conjungit. Verba sunt, Seldeno interprete. *Sub initia imperii Claudii Cæsaris, post ascensum Domini nostri ac Dei Jesu Christi, decennio transacto, primus post S. Petrum Apostolum creatus est Antiochiæ magnæ Syriæ Urbis Episcopus Evodius, factus item Patriarcha. Et tempore ejus nominabantur Christiani, conversante cum iis Episcopo Evodio, & nomen illud eis imponente. Prius enim Nazaræi vocabantur & Galilæi Christiani.* Evodius Antiochiæ creatus est à Petro Episcopus juxta Hieronymum anno tertio Claudii Augusti & æræ Christi vulgaris quadragesimo quarto. Certè sub Claudii initia primùm vocatos Antiochiæ credentes in Christum, ut solent alii ab eo, cujus disciplinæ sunt sequaces, *Christianos*, qui aliàs vocabantur *Discipuli, credentes, fratres*, & per contemtum *Nazaræi*. & *Galilæi*, ex iosis de Claudio verbis statim sequentibus v. 28. elici potest. Hoc autem nomen Latina non Græcâ formâ à *Christo* deflexum, à nonnullis tam veterum quàm recentiorum dicitur esse nomen illud novum, quo ser-

servos Dei vocandos prædixit Esaias cap. 65. v. 15. *Sed verò* inquit Seldenus, *tametsi ita ibi cœptum hoc nomen, usus nihilominus ejusdem non ita frequens videtur inter Apostolos ipsos, aut in eorum lingua per annos aliquot sequentes. Nam præter locum illum, quo memoratur in Actis primùm tunc vocatos Antiochiæ discipulos* Christianos, *bis tantùm in Novo Testamento occurrit. Agrippa Rex ad Paulum*, Ferè me suades Christianum fieri. *Et Petrus ad Dispersionis Judæorum*, Si autem ut Christianus patiatur, non erubescat. *Sed nec ulla Epistola Apostolica alia* Christiani *expressim nominis memor est, nisi cum eos quibus dirigitur Christianos expressiùs universos nuncupat. Sed fermè aut* Sanctos, *aut* Fideles, *aut* Ecclesias, *adjectis sive loci, sive Jesu Christi, sive Dei nomine, aut ejusmodi quid, aut planè Judæos, ut Jacobi & Petri quælibet alloquitur. Per septennium, igitur ab Ascensu Christi aut circiter, ut antè, nemo in credentibus, qui postea* Christiani *dicti præter Judæos sive originarios, sive Proselytismi jure integro adscitos.*

27. *In his autem diebus.* Id est, eodem anno, quo credentes in Christum, sive ex Judæis ac circumcisione essent, sive ex incircumcisis gentibus *Christiani* jam nuncupari cœpere.

Supervenerunt. Gr. κατῆλθον, *devenerunt.*

Prophetæ. Ex credentibus in Christum nonnulli, Apostolis proximi, qui ex speciali sibi divinitùs factâ revelatione particularium quorundam mysterio um ad Ecclesiæ ædificationem spectantium, etiam futura prædicebant. Tales nominantur etiam infrà cap. 13. v. 1. 1 Cor. 12. v. 28. 14. v. 32. Ephes. 4. v 11.

28. *Et surgens.* Id est, actionem quandam exorsus, ut suprà cap. 5. v. 17. Exod 32. v. 1. Deut. 32. v. 38. Esd. 10. v. 6, &c.

Unus ex eis. Nempe Prophetis, qui Hierosolymis Antiochiam devenerant.

Nomine Agabus. Ex Hebræo nomine חגבה *Hagaba* cujus fit mentio Esd. 2. v. 45. vel חגב *Hagab*, cujus meminit versus quadragesimus sextus, qui capite laudato Esdræ proximè subsequitur.

Significabat per Spiritum. Hoc est, divino Spiritu afflatus.

Famem magnam futuram in universo orbe terrarum. Hæc fames universalis ab Agabo prædicta cœpit anno quarto Claudii Cæsaris, quo mortuus est Herodes Agrippa, priusquam ipse moreretur, ut patet ex Eusebii Chronico, & Orosii lib. 7. cap. 6. Hac fame adhuc grassante in Judæa, Helena Adjabenorum in Assyriæ & Mesopotamiæ confiniis Regina, à Judæo quodam ad veri Dei cultum conversa, Judæorum necessitatibus coemtâ ex Ægypto annonâ largissimè ministravit, utì videre est apud Josephum 20 Antiq. 2 & 3. Hanc famem universalem altera particularis

Romæ præcessit Anno Claudii secundo, de qua Dio lib. 60. altera verò successit anno ejusdem undecimo, cujus Tacitus lib. 12. cap. 43. Suetonius in Claudio cap. 18. & Orosius loco suprà laudato meminerunt.

29. *Discipuli autem.* Id est, Christiani qui extra Judæam habitabant, ac præcipuè Antiocheni.

Prout quis habebat. Hoc est, pro ea, quæ cuique erat copia.

Proposuerunt singuli. Id est, decreverunt atque constituerunt.

In ministerium mittere. Id est, in eleemosynam Sic διακονίας *ministerii* vox pro eleemosyna usurpata est 2 Cor. 8. v. 4. 9. v. 1 & 12. Διακονεῖν *ministrare* dicuntur Heb. 6. v. 10. qui egenis sunt subsidio.

Habitantibus in Judæa fratribus. Id est, Christianis in Judæa, maximè Hierosolymæ degentibus, qui se ipsos depauperaverant divenditis possessionibus suis, divenditarúmque pretiis in usus communes collatis, ut videre est suprà cap. 2. v. 45. & 4. v. 34. Hinc & Paulus eos modò Achæis, modò Macedonibus commendat.

30. *Quod & fecerunt.* Hoc est, bonum propositum ad effectum deduxerunt.

Mittentes. Collectam scilicet.

Ad seniores. Gr. Πρὸς τοὺς Πρεσβυτέρους. Hæc prima est Presbyterorum in Ecclesia mentio: *Judæis*, inquit Grotius, זקנים Seniores *dicti, non soliùm qui judiciis publicis, sed & qui Synagogis singulis præerant.* Presbyteros *vertit lex secunda Codicis Theodosiano de Judæis: in alia lege dicuntur* Patres Synagogarum. *Totum autem regimen Ecclesiarum Christi conformatum fuit ad Synagogarum exemplar. Sed & apud Græcos* Πρεσβυτέρους καὶ τοὺς ἀρίστους καὶ τοὺς γέροντας εἰώθασιν οἱ Παλαιοὶ λέγειν, Presbyteros antiqui & optimates appellare soliti erant & Senes, *ait Halicarnassensis Dionysius libro secundo.*

Per manus Barnabæ & Pauli. Pro *per* Hebræi dicunt בְּיַד *per manum.* Hujus ministerii ab ipsis expleti fit mentio infrà cap. 12. v. 25. Unde apparet hanc profectionem à Paulo, quia ad institutum suum non pertinebat, prætermissam fuisse, ubi narrat profectiones à se Hierosolymam susceptas, Gal. 1. v. 18. 2. v. 1.

CAP.

CAP. XII.

1. *Eodem autem tempore.* Quo videlicet fames ab Agabo prædicta cœperat, & Paulus ac Barnabas profecti erant Hierololyma ad collectam illuc deportandam depauperatis fratribus, ut patet ex fine capitis proximè præcedentis, atque etiam ex fine hujus capitis.

Herodes Rex. Herodis magni nepos ex Aristobulo filio, cognominatus Agrippâ, ut eum hic vocat Syrus interpres: à Caio Caligula Cæsare donatus tetrarchiis Philippi ac Lysaniæ cum appellatione Regis, ac posteà etiam Galilææ tetrarchiâ Herodi Antipæ à Caligula ademtâ auctus; deinde à Claudio Cæsare additâ eidem Judææ ac Samariâ: ita ut avi sui regnum quod ab Augusto in tetrarchias divisum fuerat, totum possideret. Joseph. 19. Antiq. 4. Hic anno imperii Caii Caligulæ secundo per Alexandriam iter habens, ab ejusdem urbis civibus ob inveteratam cum Judæis simultatem ægrè ferentibus quempiam ipsorum regio nomine insigniri, in gymnasio scurrilibus & mimographorum ludicris carminibus traducitur. Propulsus quoque ad gymnasium quidam insanus nomine Carabas, qui diu noctúque nudus oberrabat per compita, in superiore loco statuitur, ut spectari possit ab omnibus. Mox capiti diadema imponunt papyraceum, pro paludamento corpori stoream induunt: pro sceptro frustum arundinis humi sublatum quidam ei dedit in manum. Sic ornatum regiis insignibus, & in regem transformatum more histrionico, adolescentes perticas in humeris gestantes stipabant pro satellitio: tum alii salutatum accedebant, alii sibi reddi jura petebant, alii consulebant eum de Republica. Posthæc acclamatum est à circumstantibus, magnâ voce *Marin* appellantibus: quod nomen Syrorum linguâ *Dominum* significat. Hæc Philo in Flaccum. Atque ita Judæorum Rex eodem modo ab aliis est irrisus, quo regiæ dignitati vgri sui Domini Jesu Christi ipsi ante quinquennium illuserant.

Misit manus. Hebraismus, id est, aggressus est. Vide Gen. 3. v. 22. Deut. 12. v. 7. Luc. 9. v. 62.

Ut affligeret quosdam de Ecclesia. Ut institutis & ritibus patriis adversantes: quorum illum religiosissimum fuisse observatorem Josephus indicat lib. 19. antiq. cap. 7.

2. *Occidit autem Jacobum.* Majorem, Zebedæi filium, Atque ita hic Apostolorum primus baptizatus est illo baptismo sanguinis,

nis, de quo locutus est Christus Mat. 20. v. 23. Addit verò ex traditione majorum Clemens Alexandrinus lib. 7 Hypotyposeon apud Euseb. lib. 2. Hist. Eccl. cap. 8. & Suidas in voce Ἡρῴδης, eum ipsum qui Jacobum in judicium aduxerat, quum testimonium Christo Apostolum tam libere perhibentem cerneret, se etiam Christianum ingenuè confessum esse. Ambobus igitur unà ad supplicium adductis, hunc inter eundum à Jacobo postulasse veniam sibi concedi; Jacobum autem paululùm rem animo complexum dixisse, *Pax tibi*, eique osculum dedisse: & sic tandem utrumque securi percussum vitam finiisse.

Gladio. הריגה *occiso cum gladio*, seu *capitis amputatio* species erat pœnæ criminalis ex quatuor generibus mortis, quibus olim Judæi sontes suos afficiebant, utì adnotavimus ad Mat. 20. v. 19. Sanhedrin fol. 3. B. *Si sint pauciores, qui seducunt ad cultum alienum, lapidantur, & opes eorum non rediguntur in fiscum; si verò plures, moriuntur per gladium & in opes eorum non rediguntur, fiscum.* Jacobus quidem erat unus tantùm. *at*, inquit Clarissimus Lightfoot, *novit Herodes Petrum etiam, aliosque plures, qui, ipso judice,* מריחין, *impellerent populum ad cultum irreligiosum, & cum Jacobo agit, sicut acturus erat cum aliis.*

3. *Videns autem quia placeret Judæis.* Cædes scilicet Jacobi

4. *Producere eum populo.* Hoc est, exhibere eum ac tradere publicè morte multandum.

5. *Ab Ecclesia.* Id est, Christianis domesticatim congregatis, ut patet ex v. 12 & 17.

Pro eo. Hoc est, pro ipsius liberatione.

6. Vinctus catenis duabus. Cùm aliàs qui in noxa erat unam duntaxat Catenam manui dexteræ alligatam haberet, quæ eadem vinciret sinistram militis custodiæ ejus præfecti, ut videre est Plin. lib. 10. Ep. 30. Senec. Epist. 5. & lib. de tranq. cap. 10. Eódem respicit Aug quando in Ps. 118. scribit: *Ligantur duo & mittuntur ad judicem, latro & colligatus, ille sceleratus, iste innocens unâ catenâ ligantur & longè sunt à se.* Nempe prolixior erat illa catena, ut non incommodè incedere pariter possent, *utque cruciatio deesset, & custodia fida permaneret*, ut loquitur codex Theodosianus.

Et custodes ante ostium custodiebant carcerem. Magna diligentia inimicorum in Petrò sollicitè custodiendo describitur, ut tantò major appareat Dei potentia in liberando.

7. *Lumen refulsit.* Adventante scilicet Angelo, ut Luc. 2. v. 9.

In habitaculo. Id est, in ea parte carceris, in qua Petrus constrictus erat catenis, quam Syrus interpres vocat בית *domum.*

Percusso quasi latere Petri. Ut solent qui aliquem tactu excitare volunt.

Velociter. Hoc est, citra moram.

Præci-

8. *Præcinge te.* Hoc est, adstringe tunicam, ut erat moris, Jer. 13. v. 1. Cubaverat Petrus in tunica.

Calceta te caligas tuas. Dio *caligas* Græce vertit σφαιρωτὰ ὑποδήματα, *calceamenta militaria.* Hujusmodi calceamentis maximè utebantur Judæi, quæ textus Græcus vocat σανδάλια, quæ plantas tegunt, & propriè respondisse videntur isti calceamentorum generi, quod vocant κονίποδας, *pulverulenta*, quòd ob brevitatem à pulvere pedem non defenderent.

Circumda tibi vestimentum tuum. Exterius scilicet, ut exituri solent.

9. *Nesciebat*, &c. Q. d. Videbatur sibi somniare, quia liberatio tam improvisa omnem superabat fidem. Nempe quæ maximè exoptamus, ea, cùm fiunt, verè fieri vix credimus. Vide Gen. 45. v. 26. Job 29. v. 24. Ps. 126. v. 1. Sic, cùm Græcos liberos, immunes suis legibus esse, Flaminius per præconem pronuntiavit: *Audita voce præconis,* inquit Livius lib 33. *majus gaudium fuit, quàm quod universum homines caperent. Vix satis credere se quisque audisse. Alii alios intueri mirabundi, velut somnii vanam speciem, quod ad quemque pertineret, suarum aurium fidei minimùm credentes, proximos interrogabant.*

10. *Transeuntes autem primam & secundam custodiam.* Carcer, cui Petrus fuerat inclusus, si Adrichomio credimus, erat in area, quæ Herodis regiam (erat enim Herodis, non civitatis carcer) undequaque ambiebat, ubi regii milites excubias agebant. Inter hujus carceris ostium & Hierosolymæ portam ferream varia erant atria, quæ Gallicè *Corps de garde* dicimus, ubi excubare solebant. Atque ita optimè vertit hîc Æthiopicus: *Et quum exiissent primum atrium & secundum.*

Quæ ultrò aperta est eis. Αὐτομάτως *sponte*, ultrò fieri dicitur quod fit sine cura aut labore humano, Levit. 25. v. 5. 2 Reg. 19. v. 29. Sap. 17. v. 6. Mar. 4. v. 28. Sic *lapis sine manibus excisus* vocatur Dan. 2. v. 34. regnum Christi, hoc est, sine labore aut industria humana præparatum. Et Homerus αὐτοδίδακτον vocat eum, quem Deus docuit.

Et exeuntes processerunt vicum unum. Seu plateam unam intra urbem.

Et continuò discessit Angelus ab eo. Cetera peragenda ipsius Petri jam in tuto locati industriæ relinquens.

11. *Petrus ad se reversus.* Stupore excusso.

Nunc scio, &c. Q. d. Nunc percipio non in visione, sed reverà mihi contigisse liberationem ministerio Angeli cœlitùs emissi à Domino, ne ab Herode, prout hostes Christianæ religionis Judæi volebant, morte macta rer.

12. *Consider insque.* Hoc est, secum deliberans quid agendum esset.

Venit ad domum Mariæ. Videtur hæc matrona fuisse vidua, quòd ejus ista domus dicatur, marito non nominato; unde

etiam apparet dum suprà cap. 4. v. 34. quotquot habebant domos, eas vendidisse dicuntur, excipiendas esse domus, in quibus habitabant & conveniebant, ut & suprà cap. 2. v. 46. indicatur.

Cognominatus est Marcus. Hic Joannes Marcus Mariæ filius videtur dici Barnabæ consobrinus Col. 4. v. 10. Huic cum Paulo intercessit frigusculum infrà cap. 15. v. 39. Sed facilè sanato, ut inter bonos fieri solet, frigusculo successit arcta familiaritas. Hinc Paulus Col. 4. v. 11. eum solum cum Jesu Justo ex circumcisis inter adjutores suos numerat, & 2 Tim. 4. 11. eundem velut utilem sibi ministrum ut Timotheus secum Romam adducat petit.

Ubi erant multi congregati. Cùm enim Fideles, quorum jam magnus erat numerus se in unum omnes conglobare non possent, in variis cœtus distributi multis in domibus congregabantur ad orandum Deum pro Petro, vide infrà v. 17. Hinc autem apparet sacros conventus etiam nocturnos, quando ira necessitas & furor persecutorum cogit, non esse illicitos. Nam hunc conventum noctu esse habitum apparet, ex v. 6. suprà & 18. infrà.

13. *Ostium januæ.* Heb. פתח השער Jud. 18. v. 16 & 17. Ezech. 40. v. 11. *Vocatur*, inquit Kimchi in libro Radicum, פתח, *quicquid portæ est extra valvas. Nam* שער, *porta dicitur janua, vocatur omne illud quod est introrsum & extrorsum cum valvis & limine exteriori, quatenus illud junctum est postibus & limini superiori. Vocatur autem* פתח *qui semper patet, etiam clausis valvis illud patens relinquitur.*

Processit puella ad videndum. Gr. ὑπακοῦσαι, *ad subauscultandum*, hoc est, ad explorandum quis ostium intempestâ nocte pulsaret. *Venit*, inquit Grotius, *ut ex voce cognoscaret quis esset, ne quem temerè admitteret.*

Nomine Rhode. Heb. רבצלת, *Rosa.* Multa mulierum nomina à floribus, herbis & arboribus, ut שושנה *Susanna* à lilio, הדסה, *Hadessa*, à myrto. Græcum nomen *Rhode* ῥόδη est etiam in Menandri fragmentis.

15. *Angelus ejus est.* Hoc est, nuncius ab eo missus. Sic Joannes Baptista vocatur *angelus*, Mat. 11. v. 10. Discipuli Joannis ad Christum missi *angeli*, Luc. 7. v. 24. Discipuli à Christo missi in vicum Samaritanorum Luc. 9. v. 52. exploratores à Josua missi quos excepit Rahab Jac 2. v. 25. Hæc simplex est Græci nominis ἄγγελος interpretatio, nec est cur existimemus hîc aliter accipi à Fidelibus; cùm Angelos cœlestes nunquam audissent pulsare ostium ut aliquò ingederentur; & scirent id non convenire spiritibus, qui subtilitate suâ solidissima quæque corpora penetrare possunt. Putabant ergo ancillam desiderio liberandi Petri, quo tum pii omnes flagrabant, nuncii verba de Petro referentis ita accepisse ac si ipse se Petrum esse diceret. 16. *Ob-*

16. *Obstupuerunt.* Insperato scilicet gaudio perculsi.

17. *Annuens autem eis manu ut tacerent.* Hoc est, nutu manûs silentium postulans, ut infrà cap. 13. v. 16. 19. v. 33. 21. v. 40. Quintilianus de manibus loquens ait: *Annuendi quoque & renuendi ratione demittuntur aut elevantur.*

Quomodo Dominus eduxisset eum. Non Angelum cujus ministerio eductus erat ex Herodis carcere colit Petrus, sed Dominum Angelorum cui in ipsius liberatione ministravit Angelus.

Nuntiate Jacobo. Servo Dei & Domini nostri Jesu Christi eximio, unà mecum & Joanne peculiariter selecto ad Evangelium Judæis prædicandum, Gal. 2. v. 9. qui tunc Ecclesiæ Hierosolymitanæ præfuisse creditur.

Et fratribus. Q. d. Et ceteris in ista arcta societate fraternâ Christi discipulorum viventibus. Ita & alibi nomine fratrum significantur Christiani, ut suprà cap. 2. v. 30. 10. v. 23. 11. v 1 & 12. Jac. 1. v. 2 & 9, &c. Omnibus autem Christianis Hierosolymæ degentibus vult Petrus nunciari liberationem suam, ut anxiâ sollicitudine liberati Deo simul gratias agant.

Et egressus abiit in alium locum. Extra Hierosolymam, ut videtur. Nonnulli aiunt Antiochiam versus, tum Romam longis itineribus, cùm tamen memoriæ prodiderit Lactantius in libro aureo de mortibus persecutorum Petrum non advenisse Romam, nisi Nerone jam imperante, viginti quinque annis à Christi in cœlum ascensu elapsis. Quin & Damasus cui tribuitur Liber Pontificum tomo primo conciliorum insertus, Petrum ait sub Nerone Romam ingressum. Itaque quod Petavius Rationarii temporum par. 1. lib. 5. cap. 3. scripsit: *Reliquorum Apostolorum*, nempe præter Petrum & Paulum, *acta, nullâ ferè certâ ac fide dignâ historicâ comprehensa, in obscuro latent*; hoc etiam de utroque Petri episcopatu Antiocheno & Romano, de hujus extensione ad annos viginti quinque, de Actis Petri Romanis, de sede Pontificia ibi erecta, de certamine cum Simone Mago ibidem inito, & de successore ab ipso instituto quàm meritissimò dici potest.

18. *Inter milites.* Quibus nimirùm custodia Petri erat demandata.

Quidnam factum esset Petro. Hoc est, quid Petro accidisset, ut in carcere non appareret.

19. *Inquisitione factâ de custodibus.* Hoc est, quæstione judiciali de custodibus habita.

Jussit eos duci. Hoc est, ad supplicium rapi. Locutio Romana. Plinius lib. 10. Ep. ad Trajanum de Christianis loquens ait: *Confitentes iterùm ac tertiò interrogavi supplicium minatus, per-*

severantes duci jussi. Et ita passim loquuntur veteres, ut videre est apud Senecam aliquoties in libris de ira, Suetonium de Caligula, &c. Qui Latinè convertit Petri Alexandrini Canonas pro ἀπαχθῆναι *abduci* legit ἀπαγχθῆναι, ut qui verterit *suffocari*, pro strangulari.

Descendensque à Judæa in Cæsaream. Quæ anteà Turris Stratonis dicebatur de qua suprà cap. 8. v. 40. Hujus itineris meminit & Josephus 19 Antiq. 7.

Ibi commoratus est. Græcè est ellipsis adverbii ἐκεῖ *illic*, ut & infrà cap. 14. v. 3.

20. *Erat autem iratus.* Gr. θυμομαχῶν, *animo bellum agitans.* Baronius Cardinalis putavit Herodem populis Tyri & Sidonis, duarum urbium maritimarum in Phœnicia prope fines regni Herodis sitarum fuisse iratum, ob Petrum è fuga receptum. Sed hoc incertum, ut Tirinus benè annotavit. Vide quæ de Tyro & Sidone diximus Mat. 11. v. 20.

Unanimes venerunt. Hoc est, Legati ex communi utriusque populi decreto ad Herodem venerunt.

Qui erat super cubiculum Regis. Hoc est, cubicularii officio fungebatur apud regem.

Postulabant pacem, &c. Id est, vi precum sibi Regis animum reconciliare nitebantur, quòd eorum regio ali sustentarique non posset nisi ex Judæa, Galilæa, & aliis regionibus, quæ in ditione ac potestate Herodis erant.

Abillo. Gr. *à regali*, supple regione. Hoc est, ex regione quam Herodes Rex ditione tenebat.

21. *Statuto autem die.* Hoc est, die ad hoc constitutâ, secundâ nempe ludorum, quos exhibebat in honorem Claudii Cæsaris. Ita Josephus 19 Antiq. 7. *Vestitus veste regiâ.* Hoc est, *amictus veste totâ ex argento mirabili opere contextâ, quæ radiis orientis solis perculsa, & divinum quendam fulgorem emittens, veneretionem cum horrore incutiebat spectantibus.* Joseph. loco mox laudato.

Sedit pro Tribunali. Tribunal βῆμα hîc est suggestum quoddam sublime, positum in theatro, unde à Josepho loco citato dicitur, *processisse in theatrum.* Βῆμα, inquit Grotius, *Græcis dicitur omnis locus editior, ut & Syris* בימא, *qua voce Syrus interpres hîc utitur.*

Concionabatur ad eos. Hoc est, orationem habebat ad Tyriorum & Sidoniorum Legatos, ut eos populos sibi inposterum obnoxios redderet.

22. *Populus autem acclamabat.* Absurdam in adulationem progressus.

Dei voces & non hominis. Mentem hujus adulatoriæ acclamationis sic expressit Josephus: *Mox*, inquit, *adulatores pernicioſi* accla-

acclamantes, Deum consalutabant, rogantes ut faveret propitius; hactenus enim ut hominem revertitos, nunc agnoscere & fateri in eo quicquam mo tali naturâ excellentius.

23. *Confestim autem percussit eum Angelus Domini.* Gravi dolore circa cor & per ventrem omnem, utì patet ex Josepho, cujus hæc sunt verba 19 Antiq. 7. *Paulò pòst suspiciens vidit supra caput suum bubonem funi cuidam insidentem, quem sensit malorum esse ἄγγελον, nuntium, ut olim bonorum fuerat, adeòque ex intimis præcordiis indoluit. Secuta sunt ventris tormina, statim à principio vehementia.* Nempe cùm olim Herodes jussu Caii Caligulæ vinctus, arbori inniteretur, cui bubo insederat, prædixerat Germanus quidam fore ut brevì, mutatis rerum vicibus, ad amplissimam dignitatem eveheretur. *Memento tamen,* inquiebat apud Josephum. 18 Antiq. 8. *quandocunque hanc avem denuò conspexeris, intra quinque dies te esse moriturum.* Hinc Agrippa moriturus eundem bubonem malorum ἄγγελον *nuntium* esse dixit, qui bonorum olim fuerat. Tamen laudatum Josephi locum 19 Antiq. 7. de Agrippa jamjam morituro Eusebius descripsit, bubonis mentione omissâ, quasi apud Josephum significetur ille Angelus, à quo Herodes hîc percussus dicitur, quod non leve est παράδοξον.

Angelus Domini. In malis infligendis Angelorum ministerio Deus utitur, Exod. 12. v. 7. 2 Sam. 24. v. 19. 2 Reg. 19. v. 35.

Eò quòd non dedisset honorem Deo. Id est, impiè adulantes nec castigasset, nec repulisset, ut videre est apud Josephum 19 Antiq. 7. Non statim ob Jacobi cædem & alios Christianos malè tractatos punitus est à Deo Herodes, quia in eo facto potuit esse aliqua ignorantiæ aut Zeli inconsulti excusatio. Sed oblatam numinis majestatem, quum lapsos in impiam adulationem ipse non cohibuit.

Consumtus à vermibus. Græcè ad verbum, *factus vermivorus*, passivâ significatione. In vetustissimo Bezæ codice Græco additur, ἔτι ζῶν, *adhuc vivus.* Josephus torminum cruciatu per continuos quinque dies nihil remittente confectum Herodem dicit, jam torminum causam aperit Lucas, erosis nimirùm à vermibus intestinis, ut ille se Deum non esse vivus sentiret. Hinc conversis in amicos oculis, *En,* inquit apud Josephum 19 Antiq. 7. *ego vestrâ appellatione Deus, vitam relinquere jubeor, fatali necessitate coarguente vestrum mendacium; & quem immortalem salutastis, ad mortem rapior. Sed ferenda est voluntas cœlestis numinis; neque enim obscurus vixi, sed adeò felix ut omnes me beatum prædicent.* Sic de Antiocho Epiphane jamjam moriturο legitur 2 Mac. 9 & seqq. *Ut & vermes ex corpore impii scaturirent, & carnes viventis in doloribus cruciatibusque diffluerunt, & verò teter putre-*

putredinis ejus odor toti exercitui ejus gravis esset: Adeo ut qui paulò antè cœli astra contingere sibi videbatur, eum propter intolerabilem odoris gravitatem, gestare nemo posset. Ibi demum cœpit à sua summa superbia atque à se ipso revocari, occulto saucius vulnere, divinóque flagello monitus ad agnitionem sui venire, quum per singula momenta dolores in eo majores fierent. Et quum ne ipse quidem suum jam fœtorem ferre posset, hæc est loquutus: Deo subjectum esse æquum est, neque hominem mortalem superbis cogitationibus ei se exæquare. Herodes Magnus vermibus circa genitalia putrida scaturientibus exagitatus fuisse paulò ante mortem, scribitur à Josepho 17. Antiq. 8. In Herodoti Melpomene Pheretima Cyrenensium Regina *vivens vermibus ebulliit.* In Pausaniæ Bœoticis Cassander Antipatri filius *aquis inter cutem plenus obiit, & ex viventis etiamnum corpore eruperunt undique vermes.* In Luciani Pseudo-mante impostor Alexander *obiit ut Podalirii filius, pede ad inguen usque putrefacto, & vermibus ebulliens.* Ex Galerii Maximiani Imperatoris visceribus *scaturivisse vermium vim infinitam, quæ lethalem odorem exhalaverit,* tradit Eusebius 8 Hist. 16. *Quum lingua Diocletiani cum ipsis faucibus putrefacta vermium copiam ebulliisset vitam abrupit,* inquit Cedrenus. *Ita verminavit corpus ejus,* ait Eutychius Alexandrinus de eodem Imperatore, *ut vermes ex ipsius carne in terra caderent & lingua quoque cum faucibus decidit, & mortuus est.* De Juliano Juliani Apostatæ patruo, cujus pudendum computruerat, Sozomenus lib. 5. cap 8 *Et ibi putrefactæ carnes in vermes mutatæ sunt, & medicorum artem vis morbi superabat.* Nestorius quoque, si Evagrio credimus lib. 1. cap. 7. *linguâ vermibus exesâ ex hujus vitæ miseriis ad graviora supplicia justo Dei judicio infligenda, eáque sempiterna migravit.* Quale quod ex Surio refert Baronius ad annum 698 de Dodone, qui Lamberrum Tungrensem Episcopum interfecerat. *Dodonis viscera omnia statim computruere, e iique mirè fœtentia per os rejecit, ac tandem, propter nimiam fœtoris intolerantiam, corpus ejus in Mosam projectum est, vermibus & tabe corruptum.*

Expiravit. Quarto anno Claudii Cæsaris, Quinto die post vehementia illa tormina ipsi ab Angelo Domini immissa, quòd non reliquisset Deo suum honorem illibatum, uti fecit Petrus suprà cap. 10. v. 26. Paulus & Barnabas fecêre infrà cap. 14. v. 14 & 15. Herodi Agrippæ superstites fuêre, filius quidem unus Agrippa, annum agens decimum septimum, qui Romæ eo tempore educabatur apud Claudium: filiæ verò tres. E quibus Bernice nupta erat Herodi patruo Chalcidos Syriacæ Regi, nata annos sedecim. Reliquæ duæ tum erant Virgines. Mariamne decennis desponsata à patre Julio Archelao Chelciæ filio: & Drusilla sexennis, ab eodem desponsata Epiphani filio Commagenorum Regis Antiochi. Joseph. 19 Antiq. 7.

24. *Ver-*

24. *Verbum autem Domini crescebat & multiplicabatur.* Q. d. Ita extincto servorum Christi inimico prædicatio Evangelica vires sumebat, & in dies ad fidem plures convertebat.

25. *Expleto ministerio.* Hoc est, pecuniario subsidio ab Antiochenis per eos misso suprà cap. 11. v. 29 & 30. fratrum Hierosolymis habitantium necessitatibus subvenissent.

Assumto Joanne qui cognominatus est Marcus. Filio illius matronæ quæ ab eo descripta est suprà v. 12.

CAP. XIII.

1. *Prophetæ.* Qui occultorum conscii divinitùs facti etiam prædicebant futura, quæ scire Ecclesiæ intererat.

Et doctores. Qui scilicet sensum verbi divini non cuivis obvium capiebant atque interpretabantur.

Herodis Tetrarchæ. Herodes Antipas Tetrarcha Galilææ simpliciter Tetrarcha vocatur, Mat. 14. v. 1. Luc. 9. v. 7.

Collactaneus. σύντροφος, inquit Grotius, *hîc* collactaneus *vertitur à Latino interprete, ut & in Glossis. Extat vox* collactanei *apud Ulpianum in L.* 51. Collactaneus *D. de Manumissis vindictâ. De fœmina* collacteam *dixere Juvenalis & Capella. At vocabulum* σύντροφος *latiùs patet, significatque eum, qui à prima ætate cum altero educatus est, ut* 2 *Mac.* 9. *v.* 29. *Atque ita utuntur Plato, Plutarchus, & alii. Nec aliter hîc accepit Syrus.*

2. *Ministrantibus.* Id est, publicè fungentibus munere suo. Munus hoc videtur fuisse prophetandi & docendi, nam versu mox præcedenti dicti sunt isti fuisse Prophetæ & doctores. Sic intellexit Cajetanus Cardinalis. Itaque Chrysostomus, Theophylactus & Oecumenius λειτουργούντων *ministrantibus* interpretati sunt κηρυττόντων *prædicantibus*. Syrus autem & Arabs εὐχομένων, *precantibus*. Nam λειτουργεῖν hîc restrixerunt ad publicas preces propter adjunctam jejunii mentionem, cui versu mox sequente jungitur precatio. Eodem sensu Erasmus vertit, *Sacrificantibus*; preces enim & laudes Dei habentur pro sacrificiis, Heb. 13. v. 15. *Nemo*, inquit Beza, *est vel mediocriter peritus linguæ Græcæ, qui* λειτουργεῖν *nesciat dici de publicis præsertim functionibus. Unde Paulus ipse Rom.* 13. *Magistratus appellat modò* τοῦ θεοῦ διακόνους, *modò* λειτουργούς.

Et jejunantibus. Jejunium est Deo gratum, quando fit bono fine,

fine, ad domandum scilicet corpus ut animus sit ad opera pietatis expeditior. Vide explicationem nostram literalem Mat. 6. v. 16.

Dixit illis Spiritus-sanctus. Nempe Prophetis Ecclesiæ Antiochenæ, & per eos universæ illi Ecclesiæ.

Segregate mihi, &c. Spiritus-sanctus jubet non Domino sed sibi separari Barnabam & Saulum, quo significatur eandem esse virtutem & potestatem Domini & Spiritus-sancti, qui si minor esset Domino, dicturus fuisset: Segregate Domino vel Deo Barnabam & Saulum. Præcipit ut sibi separentur, ad quod ipse eos vocaverit. Constituit ergo illos ministros sibi, servos suos vocat: at sicut non possumus esse servi hominum in iis, quæ spectant ad religionem & conscientiam, ita nec possumus esse servi Angelorum; eadem enim ratio contra utramque servitutem militat, quam adducit Paulus 1 Cor. 7. v. 23. *Pretio emti estis, nolite fieri servi hominum.* Servus hominum ibi opponitur servo Christi, qui se ipsi totum subjicit quoad animam & corpus: nos enim pretio sanguinis sui redemit & addixit sibi in servitutem, quod idem est ac fecit servos justitiæ. Qui sic est servus Christi, non potest esse eodem sensu servus hominum; à Christo enim sibi est addictus in servum. Ita ob eandem rationem non potest esse servus Angelorum, qui sunt conservi nostri. Spiritus-sanctus ergo, qui sic addixit sibi Barnabam & Saulum in servitium non est Angelus, nec Angelorum cœtus, sed omnium Dominus, *qui cum Patre Filio simul adoratur & conglorificatur*, ut Patres Concilii Constantinopolitani Oecumenici secundi in symbolo illius concilii loquuntur.

In opus, &c. Opus illud quod præstare debuerunt Spiritui-sancto, describitur hoc & sequenti capite usque ad versum vigesimum sextum, ubi dicuntur opus illud absolvisse. Missi fuerunt à Spiritu-sancto ad prædicandum Evangelium, & ad adducendum multos ad obedientiam fidei. Hoc opus peculiariter est opus Spiritûs-sancti, qui est autor, & operator fidei appellari solet, quæ tamen est donum Dei, Eph. 2. v. 8. Spiritus igitur ille Sanctus est Deus, qui illam fidem in sanctis operatur & producit, atque adeò totam regenerationem per superabundantes divitias gratiæ suæ.

Assumsi. Gr. προσκέκλημαι, *advocavi*, Hoc est, addixi.

3. *Tunc*, &c. Q. d. Precibus itaque cum jejunio peractis, solemni impositionis manuum ritu benedictionem nomine Dei & Christi segregatis à Spiritu-sancto Barnabæ & Saulo sunt impertiti, & vale illis dixerunt. χειροθεσία *Pauli & Barnabæ*, inquit Cl. Heideggerus in Anatome concilii Tridentini, *per reliquos Ecclesiæ Antiochenæ doctores facta propriè ad eorum ordinationem non pertinet. Paulus enim non per homines nec ab hominibus voca-*

tus

tus est, Gal. 1. v. 1 & 2. *Fuitigitur symbolum non deputationis ad ministerium, sed simpliciter ἐντυχὸν seu votivum.*

Dimiserunt illos. Id est, valere jusserunt. Sic Mat. 14. v. 15, 22, & 23. 15. v. 23.

4. *Et ipsi quidem.* Barnabas videlicet ac Saulus.

Missi à Spiritu sancto. Id est, iter jubente Spiritu-sancto aggressi.

Abierunt Seleuciam. Antiochiæ vicinam à Seleuco Nicanore Rege Syriæ fundatam & ita nominatam.

Et inde navigaverunt Cyprum. Insulam maris mediterranei, Syriæ adjacentem, Barnabæ patriam. Vide suprà cap. 4. v. 36.

5. *Et cùm venissent Salaminam.* Cypri metropolim à Teucro Telamonis filio conditam, & ab ipso ex patriæ suæ nomine sic nuncupatam. Hæc urbs dein Constantia vel Constantina dicta fuit, tum nova Justinopolis vel Justinianopolis; hodiè Famaugusta dicitur.

Prædicabant verbum Dei. Illud eximium, nempe Evangelium Jesu Christi.

In Synagogis Judæorum. Qui in Cypro multi erant. Autor de locis Hebraicis Actuum sub nomine Hieronymi: *Salamis, civitas in Cypro insula, nunc Constantia dicta, quam Trajani Principis tempore, Judæi interfectis omnibus accolis deleverunt.* Idem habet Hieronymus in Chronico Eusebii ad tempora Trajani.

Habebant, &c. Q. d. Joannes autem cognomine Marcus, de quo suprà cap. 12. v. 12. adjutor illis erat ad prædicandum Evangelium.

6. *Et cùm perambulassent universam insulam.* Nempe Cyprum, cujus Metropolis Salamin versus orientem Jovis delubris apud gentes inclyta erat.

Usque in Paphum. Urbem ejusdem insulæ Cypri versus Occidentem, Veneris templo insignem, cujus visendi cupido incessit Titum Vespasianum, autore Tacito Hist. lib. 2. cap. 2.

Magnum Pseudoprophetam. Hoc est, mendacissimè se Prophetam esse jactitantem.

Cui nomen erat Barjesu. Gr. Βαριησοῦς. Cùm homo iste nefarius dicatur fuisse Judæus, ex lingua Hebræa hujus vocis etymon est depromendum. Itaque Clarissimi Ludovici De Dieu conjectura est quòd huic impostori nomen fuerit בר ישועה, Βαριησύε, & exiguâ mutatione Βαριησοῦς, quod ad literam ex Græco expressit Arabs באר יאסוס, *filius salutis*, qui salutis sanitatisque conferendæ artem profitetur. Sic Syriacè vocatur בר שומא, *filius ulcerum*, hoc est, medicus, qui ulcerum curationem profitetur שומא enim eum duntaxat tumorem, qui cicatricum ulcerúmque est, denotat.

7. *Qui erat cum Proconsule.* Ἀνθύπατος propriè dicitur *Pro-*

Proconsul, seu consulis Romani vicarius, potestate consulari provinciam gubernans. Sed cùm qui Cypro præerat non esset Proconsul, sed Proprætor, est hîc catachresis seu abusio vocis. *Sed*, inquit Grotius, *non mirum est, Græcos, ut egregii erant adulatores, nomen quàm honorificentissimum dedisse provinciarum rectoribus. Generale nomen est Præsidis, quo & hîc Latinè uti licet.*

8. *Elymas.* Nominis hujus variæ afferuntur derivationes & significationes. *Nobis*, inquit mox Laudatus Ludovicus de Dieu, Ἐλύμας *videtur esse Hibræum vel Chaldæum* חלומא, sanator, curator, *à* חלם, sanare, *quo sensu non apud Hebræos tantùm, sed & apud Syros frequenter obtinet. Nec discrepat à* בר ישועה filius salutis, *&* בר שומא, filius ulcerum, *de quibus suprà v. 6. Nec insolens est, durissimæ aspirationis* ח *per* E *reddi. Talia sunt* חנוך, Ἐνὼχ. חוה, Εὔα, *&c. Neque* א *in as mutari, Talia sunt* תאמא, Θωμᾶς, ברנבא Βαρναβᾶς, בראבא, Βαραββᾶς.

Magus, Magiæ & Magorum nomen Persicum per se non malum: abusu ad artes miras, sed nefandas cacodæmonum ope patratas, & ad earum studiosos devenit. Vide explicationem nostram literalem Mat. 2. v. 1.

Sic enim interpretatur nomen ejus. Quod est ex v. 6. *Barjesus.* Itaque *Elymas* non est Arabicum עלים & עאלם, quod est *Magus*, & quadrat in omnes magiæ deditos, cùm Syrus, Arabs, & Æthiopicus vocem *Elymas* non inchoent ab ע *Ain*, sed ab א *Aleph*; sed est interpretamentum nominis huic Mago proprii *Barjesus*, ut textus indicat, atque Syrus interpres confirmat. Vide quæ mox ex Ludovico De Dieu laudavimus.

Quærens, &c. Hoc est, magno conatu studióque Proprætorem Sergium Paulum à fide in Jesum Christum suscipienda avertebat.

9. *Saulus autem, qui & Paulus.* Duplex ei nomen pro duplici ejus relatione. Hebræum *Saulus*, quòd esset genere Hebræus; Romanum *Paulus*, quòd civitate Romanâ donatus esset. *Sub eadem notione*, inquit Clariss. Lightfoot, Silas *est etiam* Silvanus; *erat enim & ille Romanus, ut colligere licet ex Act.* 16. *v.* 37. Idem in 1 Cor. 1. v. 1. *Vulgare*, inquit, *erat in gente Judaica, ut inter Judæos nomine Judaico nuncuparentur, at inter Ethnicos, alio. Vel scilicet eodem in linguam Ethnicam verso: ut* Thomas *Judæis, erat Græcis* Didymus: *& fortè* Silas *Judæis, erat Romanis* Tertius, *Rom.* 16. *v.* 21. *Id est, à* שלוש, *&* Jason, Secundus. *Confer Rom.* 16. *v.* 21. *Act.* 19. *v.* 4. *Vel nomine aliquo diverso: ut* Herodes *Lucæ Act.* 12. *v.* 1. *est Josepho* Agrippa; *&* Johannes *est etiam* Marcus, *Act.* 12. *v.* 12. *Hinc Glossa in Maimonidem in Geruhin cap.* 3. Duo fortè sunt ei nomina, Judaicum scilicet, atque illud quo eum appellant הלועזות

הלועזות, ii qui non ſunt Judæi. *Atque illud Hieros. Gittin fol.* 43. 2. Iſraelitæ extra terram Iſraeliticam nomina habent ſicut nomina Gentilium. *Imò audi quid dicant in eodem tractatu fol.* 45. 3. *de Judæis etiam in terra Iſraelitica degentibus*: Fortè duæ ſunt ei uxores, una in Judæa, altera in Galilæa. Et fortè duo ſunt ei nomina, unum in Judæa, alterum in Galilæa: ſi nomen ſuum, quo in Judæa vocatur, ſubſcribat, ut eam dimittat, quæ eſt in Galilæa, vel nomen, quo in Galilæa vocatur, ut eam dimittat, quæ eſt in Judæa, divortium non eſt. *Non mirum ergo, ſi Saulus extra terram Iſraeliticam natus, & donatus civitate Romana, nomen Romanum haberet conjunctum cum nomine ſuo Judaico. Atque obſervationem meretur eum, jam Apoſtolum Gentilium factum, Gentili nomine ſuo ſe nuncupare ſemper, Judaico nunquam. Lucamque ejus acta perſequentem*, Saulum *eum vocare, dum inter Judæos ſcena eſt hiſtoriæ*; *at* Paulum, *dum inter Ethnicos.*

Repletus Spiritu-ſancto. Q. d Sentiens ſe plenum ſpiritu prophetico, ut vindictam Dei adverſus Elymam prænuntiaret.

Intuens in eum. Id eſt, intentis in eum oculis.

10. *Fallaciâ.* Vox Græca ῥᾳδιουργίᾳ ſonat facilitatem agendi, à ῥᾴδιον *facile*, & ἐργάζομαι *operor*, atque ita ab Eraſmo ſumitur hîc pro *verſutia*, ab aliis verò pro *promta ad quodvis ſcelus audacia.*

Fili Diaboli. Q. e. Qui diaboli ingenium perverſum & mores malignos refers atque imitaris, perinde ac ſi ex eo eſſes natus. Vide Jo. 8. v. 39, 40, 41 & 44.

Inimice omnis juſtitiæ. Q. d. Qui rebus juſtis atque rectis adverſaris.

Non deſinis ſubvertere vias Domini rectas. Q. d. Sempérne rectam doctrinam à Deo profectam, æquitatis ac bonitatis plenam, impiis cavillationibus pro diſtorta, & iniqua ac vitioſitatis plena traduces? Alludere videtur Paulus ad Oſ. 14. v. 10. Vide ibidem explicationem noſtram literalem.

11. *Et nunc.* Hoc eſt, nunc itaque, ut ſuprà cap. 10. v. 5.

Ecce. Præter expectationem.

Manus Domini ſuper te. Hoc eſt, tremenda Dei vindicis manus in te ſublata eſt, ut horribilem tibi plagam infligat.

Et eris cæcus, non videns ſolem. Eadem res geminâ locutione expreſſa fortiùs audientis aures ferit, & loquentis efficaciam demonſtrat.

Uſque ad tempus. Quoddam.

Et confeſtim, &c. Q. d. Vixdum Paulus imminentem Elymæ à Deo plagam prædixerat, quum prædictio effectum ſortita eſt.

12. *Tunc*, &c. Q. d. Cùm itaque Sergius Paulus vidiſſet Evangelii doctrinam à Paulò prædicatam, ſubitâ Elymæ ejus veritati

veritati oblatrantis atque obstrepentis cœcitate confirmatam, credidit Evangelio admiratione perculsus, quòd ista doctrina Christi conjuncta esset cum virtute adeo mirifica.

13. *Paulus & qui cùm eo erant.* ὁι περὶ τὸν Παῦλον, *qui circa Paulum*, hoc est, socii Pauli. *Quum*, inquit Calvinus, *dicit Pauli comites solvisse Papho, primo loco intelligit Paulum ipsum, deinde alios, excepto uno. Ita notando ejus mollitiem, alios laudat, qui indefatigabili constantiâ Paulum secuti sunt.*

Venerunt Pergen Pamphyliæ. Erat Perge una de celeberrimis Pamphyliæ civitatibus, quam illustrabat fanum Dianæ, quod Cicero Verrinâ sextâ *sanctissimum* & *antiquissimum* vocat. Ad hoc singulis annis sacer erat conventus, ut nos docet Strabo lib. 14. Huic urbi suos natales debet Appollonius Pergæus, cujus extant conicorum libri quatuor Græcè & Latinè, ex quibus suæ ætatis hominibus dictus fuit *Magnus Geometra*, autore Andreâ Quenstedt de patriis illustrium virorum. De Pamphylia diximus suprà cap. 2. v. 10.

Joannes. Memoratus suprà v. 5.

Discedens ab eis. Forsan labores & pericula itineris ulterioris fugiturus. Vide infrà cap. 15. v. 38.

Reversus est Jerosolymam. Ad matrem suam.

14. *Pertranseuntes Pergen.* Hoc est, digressi Pergâ.

Venerunt Antiochiam Pisidiæ. Quæ *Colonia Cæsarea* dicta fuit, autore Plinio Nat. Hist. lib. 5. cap. 27. *Pisidiæ nomen*, inquit Beza, addidit, *ut hanc Antiochiam ab altera illa Syriæ distingueret, ex qua profecti erant.* Pisidia fuit Pamphyliæ ad Septentrionem, habuitque ab Ortu Lycaoniam, quæ pars quondam Pisidiæ fuit, ab Occasu Phrygiam Pacatianam, inter has media, olim Præsidialis, dein Prætoriana sub Justiniano Nov. 24.

Ingressi Synagogam. Hoc est, in Judæorum conventum.

Die Sabbatorum. Id est, die Sabbati; Sabbata enim in plurali significatione singulari dicere in more est Evangelistis ex usu septuaginta interpretum, qui Exod. 20. v. 10. *Die septimo erit* שבת *Sabbatum Domino Deo tuo*, dixerunt, σάββατα κυρίῳ.

Sederunt. Nempe ad audiendam lectionem particulæ alicujus de Lege ac Prophetis desumtæ, juxta vetustissimam Judæorum consuetudinem in Synagogis legi solitæ, ut videre est infrà v. 27. & cap. 15. v. 21.

15. *Post lectionem autem Legis.* Causam cur solis quinque libris Mosis appellatio Legis competat, assignat autor הל כת עולם, quia libri Mosis dati sunt omnibus seculis: at Prophetarum sermones sunt דברי הקבלה, quia quamque prophetiam acceperunt à Spiritu-sancto secundum temporis necessitatem, aut alicujus facti. *Quod*, inquit Ludovicus De Dieu, *non omninò est spernendum.* Quinque autem libros Mosis in quin-

quinqnaginta quatuor sectiones, quas פרשיות dicunt, divisos quotannis Judæi perlegunt in Synagogis. Horum lectionem inchoant Sabbato festum Tabernaculorum proximè sequente, atque deinceps unoquoque Sabbato unam sectionem legunt, nisi quòd bis duas minores conjungunt, ut ita anni spatio toti perlegantur, absolvantúrque nono festi Tabernaculorum die, quem Judæi ideo vocant שמחת תורה, *Lætitiam Legis.* Sunt qui Legis lectionem non absolvant in Synagogis nisi singulis trienniis, ואינו מנהג פשוט, *Sed hæc non est communis consuetudo,* inquit Majemonides in יד חזקה, Tract. de precibus & benedictione sacerdotum, cap. 13.

Et Prophetarum. Singulis Sabbatis legunt Judæi in Synagogis sectionem ex Prophetis desumtam, lectæ ex Pentateucho sectioni respondentem, háncque vocant הפטרה *dimissionem,* quòd lectâ Propheticâ sectione populus dimittatur. *Antiochus Epiphanes,* inquit Elias in Thisbi, *edicto interdixerat Israelitis publicam lectionem Legis. Quid fecerunt Israelitæ? Acceperunt unam sectionem è Prophetis, cujus materia erat similis iis, quæ tractabantur in assignata illi Sabbato Legis sectione. Exempli gratiâ, Sabbato, quo legenda esset sectio* בראשית, *legebant è Propheta Esaia cap.* 42. *v,* 5. Sic dixit Dominus Deus creans cœlos, *&c. Quum verò legenda esset sectio Noe, Gen.* 6. *v.* 1. *huic respondentem sectionem substituebant ex Es.* 54. *v.* 9. Quemadmodum in diebus Noe istud mihi est. *Atque ita de singulis aliis sectionibus Nunc verò etsi irritum sit illud Antiochi decretum, non tamen est sublata illa consuetudo legendi sectiones ex prophetis desumtas sectionibus Pentateuchi accommodatas; Nam hodiéque legunt ejusmodi sectiones Prophetarum post sectionem Legis.*

Miserunt Principes Synagogæ. Hoc est, qui negotia Synagogæ administrabant & moderabantur. Grotius ad Mat. 9. v. 18. *Notandum est,* inquit, *Synagogæ Judaicæ præpositos fuisse viros spectatæ probitatis, qui vocabantur vocabulo Chaldaico* פרנס ם, *id est,* οἱ ποιμαίνοντες, pastores, *quæ vox & in Itinerario Benjamini non semel legitur, aut etiam* רבים magistri, *ut Syrus apud Marcum posuit, aut* כשיש ם, *quod est* congregatores *aut* disceptatores, *quod in Actis apud Syrum legitur. Hellenistæ hos vocabant* ἀρχισυναγώγους, *ut docemur Act.* 13. *v.* 15. *ubi plurium Archisynagogorum unius ejusdémque cœtus fit mentio. Sed inter eos unus eminebat, eruditionis nomine præ latus ceteris, cujus proprium erat munus Legem interpretari, & preces concipere, ut Justinus adversus Tryphonem nos docet. Is Hebræis vocabatur* ממנה Præpositus, *aut etiam* ראש הקהל, *Syriacè* ריש כנושתא Princeps Synagogæ, *& per excellentiam* Archisynagogus, *Luc.* 13. *v.* 14. *Philoni,* ὁ πρόεδρος, Præses, *interdum etiam* ὁ πρεσβύτατος, maximus natu, *cui tribuit* τὰ μὴ γνώριμα ἐν τοῖς βίβλοις ἀνα-

διδάσ-

διδάσκειν, quæ in libris obscuriora sunt enodare; *item:* τὸ διαλέγεσθαι καὶ ὑμνον ἄδειν differtare & hymnum præire. *Talis fuit Jairus Capharnaumi.*

Viri fratres, &c. Hinc apparet moris fuisse ut ii qui conciotari posse viderentur, ad hoc extra ordinem invitarentur. Saltem solitum fuisse id permitti aliis præter Rabbinos ordinarios, palam fit exemplo Christi, Luc. 4. v. 15 & 17.

16. *Surgens autem Paulus.* Ut melius à cœtu exaudiretur.

Et manu silentium indicens. Vide dicta suprà cap. 12. v. 17.

Viri Israelitæ. Hoc est, Posteri Abrahami, Isaaci & Jacobi seu Israelis, qui ab origine in populo Dei censemini.

Et qui timetis Deum. Q. d. Et qui ad cultum Dei vivi ex gentibus accessistis.

Audite. Teretibus ac religiosis auribus.

17. *Deus plebis Israel.* Hoc est, plebis oriundæ ex Jacob, qui nominatus est Israel, & à quo omnis ejus proles appellata est Israel.

Elegit patres nostros. Abrahamum, Isaacum & Jacobum peculiariter sibi in servos & amicos.

Et plebem exaltavit. Hoc est, & populum ex illis procreatum magnis incrementis auxit, Exod. 1. v. 7. Metaphora ab ædificiis sumta, quæ ad summum fastigium perducta sunt.

Cùm essent incolæ in terra Ægypti. Q. d. Cùm ipse populus premeretur ab Ægyptiis, quorum terram incolebat.

Et in brachio excelso. Hoc est, potentiâ suâ magnâ insigniter exertâ. Est metaphora sumta ab hominibus, qui aliquid validè acturi, præsertim aliquem percussuri, brachium in altum extollere solent.

Eduxit eos. Tristi subjectos servitio.

Ex ea. Ægypto scilicet, quum in ea laboriosissimam servitutem difficilius tolerarent.

18. *Et per quadraginta annorum tempus* Gr. ὡς τεσσαρακονταετῆ χρόνον, *circiter quadraginta annorum tempus*, quia ad plenum numerum quadragenarium defuisse videtur annus unus.

Mores eorum sustinuit, &c. Q. d. Pervicacem & immorigerum populum non extinxit in deserto Ægyptum inter & Chananæam Patribus promissam interjecto degentem.

19. *Et destruens gentes septem in terra Chanaan.* Deus Gen. 15. v. 19, 20 & 21. Abrahamo promittit decem gentes, *Cinæos, & Cenezæos, Cedmonæos, & Hetthæos, & Pherezæos, Raphaim quoque, & Amorrhæos & Chananæos, & Gergesæos & Jebusæos.* At Paulus hîc septem duntaxat numerat gentes, ope divinâ ab Israelitis deletas. Neque etiam in distributione terræ, & bello eam præcedente, ulla Cinæorum seu Cenæorum, Cenezæorum seu Cenizæorum, Cedmonæorum seu Cadmonæorum mentio re-

pe-

peritur. Consule Deut. 7. v. 1. Josue 3. v. 10. & 24. v. 11. Interdum tantùm sex memorantur, ut Exod. 3. v. 8. & 17. Judic. 3. v. 5. Nehem. 9. v. 8. ubi præter Cinæos, Cenezæos & Cedmonæos duobus primis locis Gergesæi, & tertio loco Raphaim, seu Hevæi sive Hivæi silentio prætermittuntur. Rabbi Salomon Jarchi ad locum laudatum Geneseos ait: *Decem gentes memorantur hîc, at non dedit eas nisi septem. Et tres cetera, Edomitæ videlicet, Moabitæ & Ammonitæ, qui sunt Cinæi, Cenizæi, & Cadmonæi tantùm aliquando accedent hereditati populi, quia dictum est* Es. 11. v. 14. Edom & Moab missio manus eorum, & filii Ammon obedientia illorum. Hæc sententia communior est Judæorum, aliis Arabes, Salmæos & Nuthæos, aliis Damascum, Asiam & Hispaniam; quibusdam etiam Asiam, Turciam & Carthaginem intelligentibus. At unanimi consensu omnes Judæi tres istos populos à Messia subjugandos adhuc pertendunt: cúmque hactenus subjugati non sint, Messiam nondum venisse inde arguunt. Sed missis fabulis Judæorum qui regnum terrenum amantes somnia sibi fingunt, probabile admodum est Cinæos & Cenizæos eo temporis intervallo quod inter Abrahami & Mosis ævum interceslit, vel deletos omninò fuisse, vel certè nomen suum aut amisisse, aut parùm celebre habuisse, adeóque aliis gentibus contributos esse. Nam Josue eorum nec in divisione terræ, nec in censu gentium à se devictarum uspiam meminit. Cinæos quidem habitasse circa Libanum & Amanum scribit Eustathius Antiochenus Episcopus in Hexaemero. Unde verò id hauserit non liquet. Post Josue tempora Cinæorum mentio extat 1 Sam. 27. v. 10. & 30. v. 29. At eosdem fuisse cum illis, quorum Deus loquens, Abrahamo meminit loco laudato Gen. 15. non constat. Cadmonæos quod attinet, iidem fuerunt cum Hevæis. Dicti sunt קַדְמֹנִי Orientales, quia habitarunt in monte Hermon, ad Orientem terræ Chanaan vergente. Post tempora Abrahami attributi videntur iis, quos Deus ipsum Abrahamum alloquens insignit nomine Raphaim, ut colligere est ex Jos. 12. v. 4 & 5. *In populosissima regione familias habitasse diversas plurimas*, inquit Masius ad Jos. 3. v. 10. *est credibile. Neque verò easdem semper iisdem esse appellatas nominibus, certum est. Qui enim in Abrahamico fœdere dicuntur Raphaim, videntur à Josua jam vocari Hevæi.*

In terra Chanaan. Hæc Asiæ majoris regio notissima à Chanaane Chami filio occupata, & inter undecim ejus filios eorúmque posteros divisa, servatis adhuc plerisque nominibus tempore Mosis, communiter vocatur *terra sancta* à Christianis, veneratis nempe cum Helena Constantini Magni matre τὰ βήματα σωτῆρος, terram cui *vestigia servatoris* quondam impressa, apud Eusebium lib. 3. de vita Constantini Magni cap. 42. Hu-

jus limites sunt ad Orientem Jordanes fluvius; ad Occidentem Ægyptus & mare Magnum, quod Mediterraneum dicitur; ad Meridiem desertum Arabiæ; ad Aquilonem mons Libanus.

Sorte distribuit eis terram eorum. Per Josuam ducem Mosi successorem cum Eleazaro Pontifice, Jos. 13. v. 7. & 14. v. 1 & 2.

20. *Quasi*, &c. Numerum quadringentorum & quinquaginta annorum in omnibus libris Græcis, Latinis, Syriacis, Æthiopicis & Arabicis constanter retentum videmus, sed numeri locus atque ordo in variis editionibus varius habetur & diversus. *In vetere enim vulgata Latina translatione*, Inquit Reverendus Usserius Armachanus Præsul Chronologiæ sacræ p. 1 cap. 12. *ita leguntur reddita*, Sorte distribuit eis terram eorum, quasi post quadringentos & quinquaginta annos: & posthæc dedit Judices: *quomodo & in quibusdam manuscriptis Græcis codicibus, se scriptum invenisse Johannes Mariana testatur pro editione vulgata cap.* 15. κατεκληροδότησεν αὐτοῖς τὴν γῆν αὐτῶν ὡσεὶ μετὰ τετρακόσια καὶ πεντήκοντα ἔτη, καὶ μετὰ ταῦτα ἔδωκε κριτάς. *In Petri Taxardi Marchionis Velesii videlicet manuscriptis, quos autextum Latinum & hîc & alibi passim de industria fuisse conformatum magna est suspicio. His verò longè antiquius Alexandrinum, quod in Anglia habemus exemplar majusculis literis exaratum, ita legit:* κατεκληροδότησεν αὐτοῖς τὴν γῆν αὐτῶν ὡς ἔτεσι τετρακοσίοις καὶ πεντήκοντα, καὶ μετὰ ταῦτα ἔδωκεν κριτάς. *Quod ipsum quoque tetet diversas illas lectiones reperitur, quas Novo Testamento Parisiis Anno M. D. LXVIII. Græcè à se excuso Robertus Stephanus subjiciendas curavit: consentiente quoque codice quodam Græco alio Parisiis item edito, & à Beza in annotationibus ad hunc locum prolatis: & Novi Collegii apud Oxonienses exemplari manuscripto altero, nisi quod in hoc absit pronomen αὐτῶν post γῆν, in illo addatur αὐτοῖς post verbum ἔδωκε. In quibus omnibus, annos illos quadringentos & quinquaginta non ad Judicum durationem, sed ad tempus partitionis terræ referri manifestum est. Sed & illam temporum circumscriptionem, ad antecedentia pertinere, doctissimi quidam viri, ut refert Franciscus Junius Parallel. sacr. lib. 1. sect. 95. memoriâ nostrâ putaverunt; etiam vulgatâ Græcorum codicum lectione retentâ. Sic videlicet, ut commodum aliquod Participium subintelligendum judicarint, tanquam si ita legeretur:* καὶ μετὰ ταῦτα ὡς ἔτεσι τετρακοσίοις καὶ πεντήκοντα (γενόμενα) ἔδωκε κριτάς. Et post hæc annis quadringentis & quinquaginta (peractis) dedit Judices. *Hac ratione, principium hujus supputationis à primis illis orationis Apostoli verbis petendum debet, commate* 17. Deus populi hujus Israel elegit patres nostros. *Quum autem Abrahamo filium adhuc non habenti ipsius semini terram Chanaanæam se daturum Deus promisisset Gen.* 12. v. 7. *Act.* 7. v. 5.

Posuit,

Posteà, excluso Ismaele primogenito, in Isaaco Parsum ab eo facta est electio, juxta illud, In Isaaco vocabitur semen tuum, *Gen.* 21. *v.* 12. *Porrò à nato Isaaco usque ad egressionem posterorum ejus ex Ægypto, anni defluxerunt quadringenti quinque; quibus additi anni quadraginta sex cum dimidio, qui inde ad partitionem terræ decurrerunt, annos quadringentos quinquaginta unum cum dimidio conficiunt; qui Paulo, ὡς vel* quasi *quadringenti quinquaginta anni sunt dicti.* Paulò aliter Clarissimus Ludovicus De Dieu: *omnino assentior iis,* inquit, *qui hîc annos, quibus rexerunt Judices, supputari nolunt, (sic enim annos hosce quadringentos quinquaginta cum quadringentis octoginta qui ab exitu ex Ægypto ad Templi Salomonici initium effluxisse dicuntur,* 1 *Reg.*6. *v.* 5. *conciliare impossibile videtur) sed qui à nato Isaaco usque ad Judices fluxere. Quasi scriptum sit,* καὶ μετὰ ταῦτα ὡς ἔτεσι τετρακοσίοις καὶ πεντήκοντα πραχθέντα, ἔδωκε κριτάς. *Ut non quamdiu rexerint Judices, sed quando eos Deus dederit indicetur: nempe post ea, quæ narrata fuerunt v.* 17, 18 *&* 19. *quæ quadringentis quinquaginta circiter annis gesta fuere. Convenit computus. Nam à nato Isaaco ad natum Jacobum sunt sexaginta anni: inde ad introitum in Ægyptum centum triginta. Inde ad exitum, ducenti & decem. Inde ad introitum in terram Canaan, quadraginta. Inde ad distributionem terræ anni septem, qui simul faciunt quadringentos quadraginta septem annos; id est, circiter quadringentos quinquaginta, desunt enim solummodò tres. Rectè autèm ad nati Isaaci tempus refertur illud versus decimi septimi,* Elegit Deus patres nostros. *Tum enim Deus, qui jam Abrahamum elegerat ex omnibus terræ populis, ex omnibus Abrahami liberis elegit Isaacum, in cujus familia fœdus consisteret, dicens,* In Isaaco vocabitur semen tuum.

Dedit Judices. Isti apud Hebræos *Judices* planè similes erant Romanis Interregibus, ac posteà Dictatoribus, neque à Regibus Hebræis ullà re differebant, præter quòd satellitium & pompam regiam non habebant; ac propterea nec tributa nec vectigalia exigebant, ceterùm erant, ut Josephus loquitur, ἡγεμόνες αὐτοκράτορες, *Duces cum summa potestate.* Itaque & *Reges* vocantur Judic. 9.v 6. *Constituerunt Regem Abimelech,* id est, δικαστήν, *Judicem.* Judic. 18. v. 1. Samsone mortuo, *In diebus illis non erat Rex in Israel,* id est, δικαστὴς, *Judex.* Ac sicut Reges absque Synedrio jus interficiendi habebant, ut docet Talmudicus titulus סנהדרין, & 2 Sam. 1. v. 15. & loca alia: sic & isti δικασταὶ, *Judices,* sive Interreges, ut apparet exemplo Gedeonis Judic.8. v. 16 & 17. & Jephtæ Judic 12. v. 6. quæ rectè notata Abarbanieli ad initium libri Judicum. Tales autem δικασταὶ, *Judices,* cùm à Deo dati essent, ac ob id donis instructi Propheticis, Josephus eos *Prophetas* vocare solet.

Usque ad Samuel Prophetam. Qui ex istis Judicibus fuit ultimus.

21. *Et exinde*, &c. Q. d. Deinde verò, quum videlicet Samuel annos unum & viginti Remp. gubernasset, exemplo nationum aliarum Regem petierunt, 1 Sam 8. v. 5 & 19. Atque ad importunam populi instantiam dedit eis Deus in ira sua Os. 13. v. 10 & 11. Saulem filium Cis ex tribu Benjamin, non verò ex tribu Juda, cui videtur olim destinatum sceptrum Gen. 49. v. 10.

Annis quadraginta. Quot annorum quum esset filius Saul Isboseth in regno illi succedens 2 Sam. 2. v. 10. eodem tempore ipsum Isboseth in lucem fuisse editum intelligimus, quo Saul privatim primùm unctus, deinde publicè coram toto populo Mizpæ Rex declaratus est 1 Sam. 10. v. 1, 24 & 25. *Nec longo pòst tempore*, ait Usserius in Annalibus ad Annum mundi bis millesimum nongentesimum nonum, *ut ex* 1 *Sam.* 12 *v.* 12. *apparet, quasi post mensem scilicet, ut expressè habetur apud septuaginta interpretes & Josephum* 6 *Antiq.* 5. *Jabesh Gilehad à Nahasso obsessa est, & à Saule, profligatis Ammonitis, liberata. Unde totius populi conventu Gilgale habito regnum Sauli renovatum est* 1 *Sam.* 11. *v.* 14 *&* 15. *Samuele integritatem suam in munere suo exequendo confirmante, de injuriâ sibi illata conquerente, pluviâ & tonitru messis triticea tempore populum terrente, atque Dei misericordiâ deinde propositâ eundem consolante,* 1 *Sam.* 12. *v.* 17. *Unde apparet circa festum Pentecostes & initium tertii mensis gesta hæc fuisse, annis viginti unum post Arcam à Philistæis, ejusdem messis tempestate reductam,* 1 *Sam.* 6. *v.* 13. *è quibus ut viginti inter reductam Arcam & subactos Philistæos effluxisse ex cap.* 7. *v.* 2 *&* 13. *ita & unum inter terram à Philistæis liberatam & Saulem Regem declaratum intercessisse, ex verbis illis* 1 *Sam.* 13. v. 1. Filius anni erat Saul cùm regnaret ipse, & duobus annis regnavit super Israelem, *Colligimus. Quorum commodior sensus reddi non potest, quam iste: Post Philistæos à Samuele subactos, unum actum esse annum, quum Saul regnare inciperet; & duobus deinde annis regnavisse illum, à jugo Philistæorum liberum. Temporibus enim insecutis, Saul imperio suo à Philistæis ita exutus, populo Israelitico gravi & diuturna servitute ab eis oppresso. Quâ tandem amotâ Saul regnum super Israelem accepisse, id est, deinde recuperasse dicitur,* 1 *Sam.* 14. *v.* 47. *Per multos vero annos duravisse oppressionem illam, argumento est quod cùm octo ante natum Davidem annis cæperit; ante illam tamen finitam, de eodem in regno Saulis successuro pronuntiaverit Samuel,* 1 *Sam.* 13. *v.* 14. Quæsivit sibi Dominus virum juxta cor suum, & præcepit ei Dominus ut esset princeps super populum suum. *Ut enim libertatis recuperandæ Israelitis spem omnem præciderent, ne arma illis suppetevent, fabros omnes ferrarios Philistæi illis abstulerunt: adeò ut, quum ad prælium esset perventum, soli ex toto populo Saul & filius Jonathan ense & hastâ armati deprehenderentur,* 1 *Sam.* 13. *v.* 19, 22. Daniel Brenius

nius in amicâ disputatione contra Judæos q. 26. *Quî*, inquit, *constitit quòd Act.* 13. *v.* 21. *scribitur Saulem, qui primus fuit Rex Israëlis, regnasse quadraginta annos, cùm biennii tantùm mentionem Scriptura faciat? Responsio. Biennium illud quod commemoratur* 1 *Sam.* 13. *v.* 1. *ita accipi potest, ut non notet summam annorum universæ administrationis Saulis, sed illius tantùm imperii quod gessit usque ad delectum horum trium millium, de quibus ibidem mentio fit versu secundo. Alioqui si omninò universum regni Saulis tempus describi volumus, jam hæc orietur difficultas; quomodo scilicet David, qui annos natus triginta regnum inivit* 2 *Sam.* 5. *v.* 4. *tóque si biennium tantùm regnavit Saul, ineunte anno primo Saul, atque adeò cùm Goliathum interfecit, annorum absolutorum viginti octo fuisse deprehenditur* 1 *Sam.* 27. *v.* 33. *à Saule monetur, ne cum Goliath congrediatur quòd puer adhuc esset: item ibidem v* 42. *puer nominatur: quomodo, inquam, puer qui vigesimum nonum annum agebat? Ut taceam quòd ita multa bella adversus tot populos Saulis durante imperio gesta narrantur* 1 *Sam.* 14. *v.* 46. *inque iis varia Davidis cum Philistæis commissa certamina,* 1 *Sam.* 18. *v.* 25. *tum ejusdem postea fuga & toties mutatæ latebræ ob multiplices Saulis persecutiones: denique commoratio Davidis apud Palæstinos ad annum unum, & menses quatuor,* 1 *Sam.* 27. 7. *coll. cum cap.* 29. 2. *ubi Achis dicit Davidem secum fuisse jam diebus vel jam annis, id est, dies aliquot, vel annos aliquot, aliaque Saulis imperio accidisse commemorantur, quæ omnia satis demonstrant inter regnum Davidis & Saulis amplius quàm biennii spatium interjectum fuisse. Atque hæc hactenus ita disputata sunt, quasi locus Samuelis integer & incorruptus in editionibus, quæ hodie extant, haberetur. At nunc porrò sciendum Hebræos codices indicare mutilatum esse hunc locum, quando inter verbum* Schanah *&* ben *vacuum relinquunt spatium. Eorum enim quidam sic habent scriptum* ben--Schanah Schaoul. *Verisimile autem notam numeralem deesse, quæ expresserit numerum annorum quos Saul natus esset cùm regnum inivit: solet enim in his libris Regum ætas & regnandi tempus initio narrationis rerum ab iis gestarum poni, ut.* 2 *Sam.* 2. *v.* 10. *ubi sic scriptum legimus:* Natus erat annos quadraginta Isboschethus Saulis filius, cùm regnum in Israelitas iniit, duos annos regnavit: *quod idem fit in Davide & aliis Regibus. Hinc nonnulli codices Græci numerum hic supplentes scribunt υἱὸς τεσσαράκοντα ἐτῶν. Cùm ergo priore parte versus hic defectus arguatur, quid mirum posteriore ejus parte, quæ regni Saulis spatium definit, simile in numeris peccatum accidisse, ac proinde numerum ab Evangelista expressum, cui nempe locum videre integrum adhuc licuit, in tantum differre ab eo qui hodiernis in exemplaribus conspicitur? Præsertim cùm & apud Josephum in fine libri sexti Antiquitatum Saul dicatur regnasse vivente Samuele annos octo, mortuo autem duos & viginti. Quod indicio est aliam ex itâque quondam hujus loci lectionem, eámque numerorum notis, licèt non ita multùm, variantem.*

22. *Et amoto illo.* Id est, rejectóque Saule adhuc vivente in pœnam contumaciæ 1 Sam. 13. v. 14. & 15. v. 28. & 16. v. 1.

Suscitavit illis David Regem. Hoc est, ut fides vaticinio Jacobi Gen. 49. v. 10. è tribu Juda Davidem, hominem antehac ignotum ac vilem, ad regiam dignitatem promovit, qui Sauli demortuo in regnum succederet. Vide loca mox laudata, & Ps. 78. v. 70 & 71. Ps. 113. v. 7 & 8.

Cui testimonium perhibens dixit. 1 Sam. 13. v. 14. & Ps. 88. Heb. 89. v. 20 & 21.

Inveni, &c. Q. d. Nactus sum virum in persona Davidis qualem volebam, qui nimirum quicquid jussero præstabit, cùm Saul contra expressum mandatum meum perpercerit Amalecitarum Regi & pecoribus opimis. Vide 1 Sam. 15. v. 22 & 28.

23. *Hujus.* Davidis scilicet.

Ex semine. Id est, prole ac progenie.

Secundum promissionem. 2 Sam. 7. v. 12. 1 Par. 17. v. 11, 12, 13. Ps. 89. v. 37. & 38. Es. 11. v. 1 & 2. Jer. 23. v. 5 & 6. Mich. 5 v. 2.

Eduxit Israel Salvatorem Jesum. Hoc est, populo Israelitico promissum suscitavit Servatorem, qui est Jesus salvans populum suum à peccatis eorum. Vide Mat. 1. v. 21. Excitaverat olim Deus servatores, Judic. 3. v. 9 & 15. qui Israelem è servitute corporeâ & miseriis temporalibus eriperent, at Jesum excitavit Deus ut esset causa salutis æternæ omnibus obtemperantibus sibi, Heb. 5. v. 9. causas & media atque modos resipiscendi conferret, ac tempus & locum concederet, resipiscentibúsque plenam peccatorum remissionem meritis ac precibus suis impetraret. Vide quæ diximus supra cap. 5. v. 31.

24. *Prædicante*, &c. Q. d. Joanne ut prodromo viam ei parante juxta vaticinium Malachiæ 3. v. 1. cùm munus suum Jesus jamjam esset auspicaturus, per publicam prædicationem Baptismi suscipiendi ad testandam peccatorum pœnitentiam quæ non solùm fugam mali sed etiam consectationem boni, seu operum pietatis includit.

Ante faciem adventûs ejus. Gr. εἰσόδου αὐτοῦ, *ingressûs ejus.* Hoc est, antequam Dominus Jesus munus suum auspicaretur. *Sic*, inquit Grotius, ingredi consuluatum *dicunt & Jurisperiti.*

Omni populo Israel. Hoc est, publicè, ita ut plerique ad Joannem accurrerent baptizandi, Mat. 3. v. 5.

25. *Cùm impleret autem cursum suum.* Hoc est, doctissimo Heinsio interprete, *Quicunque in eo esset, ut vocationem suam exequeretur. Johannes.* Hoc Col. 4. v. 17. vocatur *implere ministerium quod quis accepit à Domino.* Col. 1. v. 25. *implere verbum Dei.* Rom. 15. v. 19. *Implere Evangelium Christi.*

Quem

Quem me arbitramini esse. Nempe Messiam in Lege & Prophetis promissum. Non verba ipsa, sed sensum retulit Paulus, qui est Jo. 1. v. 20.

Venit post me. Hoc est, post me munus suum auspicabitur.

Calcamenta pedum solvere. Petronius, *vincula calcamentorum resolvere* dixit. Vilissimum ministerii genus exprimere Baptistes voluit. Suetonius in Vitellio, *pro maximo munere à Messalina petiit, ut sibi pedes præberet excalcandos.* Vide explicationem nostram literalem Mat. 3. v. 11.

26. *Qui in vobis timent Deum.* Vide quæ diximus suprà v. 16.

Vobis verbum salutis hujus missum est. Q. d. Mandatum habemus à Domino vobis ex genere Abrahami prognatis, vel in ejusdem familiam per proselytismum adscitis, annuntiandi hanc doctrinam salutarem de Jesu Servatore, cui Joannes tam insigne testimonium perhibuit.

27. *Qui enim.* Vox ista *enim* hoc loco ponitur pro *autem.*

Habitabant Jerusalem & principes ejus. Hoc est, non solum vulgus Jerosolymitanum, sed & Sacerdotes, Scribæ ac Pharisæi, totúmque Synedrium.

Hunc ignorantes. Esse videlicet Messiam promissum. Vide quæ diximus suprà cap. 3. v. 17.

Et voces Prophetarum, &c. Q. d. Neque intelligentes vaticinia Prophetarum de Messia singulis Sabbatis in Synagogis prælegi ipsis solita. Vide quæ adnotavimus suprà v. 15.

Judicantes. Hoc est, condemnantes morte, supple, Jesum.

Impleverunt. Hoc est, ad exitum perduxerunt. supple, voces illas propheticas, quibus prædicebatur fore ut Messias à quibusdam contemnatur, contumeliis afficiatur, irrideatur, affligatur, transfigatur, interficiatur, ut Es. 53. Dan. 9. v. 24, &c.

28. *Et nullam causam mortis invenientes in eo.* Q. d. Nullóque crimine vero, quod esset supplicio dignum, invento in eo, qui Legem bene explicaverat, populúmque plurimis affecerat beneficiis.

Petierunt à Pilato ut interficerent eum. Hoc est, impulsores Pilato fuerunt ut Jesum morti adjudicaret.

29. *Cúmque consummassent omnia,* &c. Q. d. Cùm autem intulissent Christo supplicia omnia ac probra, quæ de vi tormentorum à Messia promisso perferenda prædixerant Prophetæ, eum detractum de cruce Josephus Arimathæus & Nicodemus posuerunt in monumento, Jo. 15. v. 38 & 39.

30. *Deus autem,* &c. Q. d. Judæi Jerosolymitani, quique inter ipsos erant præcipui, Sacerdotes, Scribæ ac Pharisæi Jesum injustè morte afficiendum tradiderunt, at Deus justus ipsis contrarius, eum è morte ad vitam reduxit.

31. *Qui.*

31. *Qui.* Jesus scilicet è mortuis excitatus.

Visus est per dies multos. Id est, per dies quadragenos.

Usque nunc testes sunt ejus ad plebem. Q. d. Etiamnum oculati testes superstites palàm ac publicè profitentur Jesum redivivum sibi per quadraginta dies apparuisse.

32. *Et nos.* Ego nimirùm & iste socius meus Barnabas.

Vobis annuntiamus, &c. Q. d. Promissionem Patribus factam de Messia venturo vobis jam annuntiamus, quia Deus jam eam nobis, qui eorum filii sumus, explevit. Tempus itaque suadet & urget, ut quod explevit nobis, nos vobis annuntiemus.

Ad patres nostros repromissio facta est. Abrahamum videlicet Gen. 22. 18. Isaacum Gen. 26. v. 4. Judam Gen. 49. v. 10. Davidem 2 Sam. 7. v. 12. Es. 11. v. 1.

Hanc Deus adimplevit. Hoc est, jam reipsà præstitit.

Filiis vestris. Gr. τοῖς τέκνοις αὐτῶν ἡμῖν, *filiis illorum nobis,* id est, nobis, qui illorum patrum filii sumus.

Resuscitans Jesum. Glorioſè, quem ignominiosà ac barbarà morte immerenter mactaverant.

33. *Filius,* &c. Quamvis hæc verba quodammodo Davidi ut figuræ, secundum literalem sensum conveniant, qui veluti de novo est genitus à Deo, ut esset ejus filius, quando ab hostium insidiis ereptus 2 Sam. 5. v. 12. & 19. v. 22. primogenitus seu præcipuus inter Reges terræ, qui filii Dei dicuntur Ps. 82. v. 6. à Deo est constitutus Ps. 89. v. 27 & 28. longè tamen illustriori ratione fuerunt impleta in primogenito ex mortuis, Col. 1. v. 18. Apoc. 1. v. 5. Christo per Davidem adumbrato, ac Davidis nomine appellato Jer. 30. v. 9. Ezech. 34. v. 23. Os. 3. v. 5. quum à mortuis resuscitato data est omnis potestas in cœlo & in terra, Mat. 28. v. 18. Id docet hic Paulus & autor epistolæ ad Hebræos cap. 5. v. 5. *Hoc,* inquit Camero, *non sunt ita accipienda, quasi demum post resurrectionem suam Christus cœperit esse Filius Dei, & ab eo gigni, sed quia tum Deus potentissimè per Resurrectionem declaravit Christum esse Filium suum. Hic enim est Scripturæ mos, ut res tum dicantur fieri vel nasci, quum manifestantur, & sese produnt, ut quum Salomon Prov.* 17 *v.* 17. *ait amicum nasci in die malo,* לצרה יולד, *hoc est, tum sese prodit quum premit nos angustia. Nam licèt Pater, etiam ante Resurrectionem, testimonium illi perhibuerit, tamen quoniam ad Resurrectionem usque, Christus infirmitate veluti circumvallatus fuerat & morti obnoxius, vocatio ejus ad munus mediatorium obscurior ad illam usque diem fuit. Verùm ubi depositâ mortalitate glorioſè resurrexit, & in cœlum ascendit, tum propriè palàm omnibus veluti declaravit, Christum & Filium suum esse, & ad munus sacerdotale vocatum esse. Verum ad illam usque diem Deus, prout videbat decere sapientiam suam, apertam hujus mysterii notitiam differebat. Unde est quod Paulus hoc loco dicit,*

cit. Deum post Resurrectionem demùm Christo dixisse, Tu es Filius meus, ego hodie genui te. Justinus in Colloquio cum Tryphone, τότε γένεσιν αὐτοῦ λέγων γενέσθαι, ἐξ ὅτου ἡ γνῶσις αὐτοῦ ἔμελλε γενέσθαι. *Natum eum exinde dicens, ex quo futurum erat ut nasceretur.* Ex hoc Justini loco, & ex Rabbi David Kimchi constat Psalmum secundum à Judæis antiquitùs ad Messiam relatum.

34. *Quod,* &c. Q. d. Quod autem Jesum è mortuis excitaverit non denuò moriturum, ut illi quos Elias & Elisæus suscitavere rursus mortui sunt, ut æternus posset Rex esse populi sui, quem æternæ secum gloriæ participem faceret, ita dixit apud Esaiam Prophetam cap. 55. v. 3.

Dabo vobis sancta David fidelia. חסדי דוד, quod Es. 55. v. 3. LXX verterunt τὰ ὅσια Δαβὶδ, *Sancta Davidis,* 2 Par. 6. v. 42. reddiderunt, τὰ ἐλέη Δαβὶδ, *misericordias Davidis.* Idem ergo *Sancta* & *misericordiæ.* Intelliguntur utrobique gratuitæ Dei promissiones Davidi factæ. *Pro quibus,* inquit Ludovicus De Dieu, τὰ ὅσια *dixisse Hellenistas non mirabitur, qui noverit eos Deum etiam, quum* חסיד benignum *dicere volunt,* ὅσιον *dicere,* Ps. 17. v. 28. & חסד benignitatem *promiscuè per* ἔλεος *& δικαιοσύνην reddere; & nequis aliud eos ibi per δικαιοσύνην intelligere autumet, quàm per* ἔλεος, *ipsum etiam* צדקה, *quod propriè δικαιοσύνην denotat, per* ἔλεος *&* ἐλεεμοσύνην *reddunt frequenter, sicut & apud Arabes* justitia *frequens est pro* beneficentia. *Idem ergo ex Hellenistarum usu* τὰ ὅσια, τὰ δίκαια, *&* τὰ ἐλέη. Porrò per Davidem hîc intelligi Messiam, in locum Esaiæ hîc ab Apostolo laudatum benè observant ipsi Rabbini Kimchi & Abenesra. *Vocatur ergo,* inquit Clarissimus Lightfoot, *Resurrectio Christi, interprete Apostolo,* τὰ ὅσια τοῦ χριστοῦ πιστά. *Et promittit Deus apud Prophetam unde hæc desumuntur, Resurrectionem, beneficiaque Resurrectionis Christi. Mortem ejus prædixerat, promiserat tque cap.* 53. *At quidnam misericordiarum expectandum per mortuum Messiam, siquidem ille semper mortuus? Instabiles atque infirmæ ejus beneficentiæ, si morte terminantur. Promittit ergo beneficentias & misericordias firmas stabiles & nunquam terminandas, effluxuras ex ejus Resurrectione.*

Fidelia. Hoc est, firma & stabilia. Πιστά, id est, βέβαια, interprete Hesychio, *firma,* quomodo accipitur hæc vox in Græca versione 1 Sam. 25. v. 28. 1 Reg. 11. v. 38. Hinc Πιστοῦν pro *confirmare, stabilire* 1 Par. 17. v. 14.

35. *Ideóque & aliàs.* Nempe Ps. 16. v. 10.

Dicit. David nimirùm ipse spiritu prophetico de Messia ex semine ipsius orituro atque in æternum regnaturo sibi promisso, 2 Sam. 7. v. 13. 2 Par. 6. v. 42. ad Deum converso sermone.

Non dabis. Hoc est, non permittes. Vide quæ diximus suprà cap. 2. v. 27. *Quamvis,* inquit Curcellæus Religionis Christianæ

stianæ institut. lib. 5. cap. 3. n. 7. *non negem ea quodammodo impleta fuisse in Davide, tanquam in typo, cùm Deus ipsum è manibus inimicorum liberavit, nec permisit ut ipsi vitam eriperent, ut posteà in sepulchro putresceret; tamen longè excellentiùs id convenit Christo, qui in sepulcro non fuit relictus nisi ad breve tempus, in quo non sensit corruptionem, nec eò ampliùs posteà reversus est; cùm David etsi illo tempore non senserit corruptionem quo inimici mortem illi intentabant, tamen posteà sicut reliqui omnes homines necessitati naturæ cessit.*

36. *Quum administrasset voluntati Dei.* In regendo ipsius populo, & religionem aliquatenùs promovendo.

Dormivit & appositus est ad patres suos. Hoc est, mortuus atque sepultus est æquè ac progenitores ejus mortui sunt & sepulti.

Et vidit corruptionem. Id est, ejúsque cadaver in sepulchro computruit.

37. *Quem,* &c. Q. d. At Jesus Christus tam brevi è morte ad vitam à Deo fuit reductus, ut ipsius corpus sepulchro conditum minimè fuerit putredine vitiatum.

38. *Per hunc vobis remissio peccatorum annuntiatur.* Q. d. Prædicatur vobis à me & Barnaba resipiscentes à peccatis suis gratuitâ peccatorum remissione donari à Deo propitiato per hunc unum mediatorem Dei & hominum, hominem Christum Jesum.

39. *Et ab omnibus,* &c. Q. d. Quúmque Lex Mosis nullam spem faciat veniæ, nisi peccatorum per infirmitatem vel ignorantiam commissorum; gravioribus autem sceleribus pœnam mortis absque misericordia denuntiet, Num. 15. v 22. & seqq. Heb. 10. v. 28. Per Christum, siquis pœnitens anteactæ vitæ eum fide sincerâ amplectatur, ab omnibus qualibuscunque culpis contra Legem Dei commissis absolvetur.

Justificari. Id est, purgari & expiari, ut Dan. 8. v. 14. vel liberari, ut Rom. 6. v. 7.

In hoc. Id est, per hujus nempe Jesu Christi merita atque intercessionem.

Omnis qui credit, justificatur. Hoc est, quisquis Christo tanquam doctori cœlitùs misso, hominum redemtori, ac mediatori fide vivâ adhæret, per ipsius merita atque intercessionem peccatorum veniam ac remissionem à Deo consequitur.

40. *Videte,* &c. Q. d. Cavete ergo ne si fidem in Jesum Christum suscipere nolueritis, idem eveniat vobis, quod olim parentibus vestris in volumine Prophetarum minorum ab Habacuco cap. 1. v. 5. prædictum evenit, Urbe & Templo excisis, ipsíque deportatis ob contemtum divinarum admonitionum.

41. *Videte contemtores.* Heb Habac. 1. v. 5. רְאוּ בַגּוֹיִם. Plerique interpretes vocem בְּגוֹיִם pro dictione gemina è præpositione & nomine conflata accipientes transtulerunt, *in gen-*

gentibus; LXX verò, quos hîc secutus videtur Apostolus, & Syrus interpres dictionem illam pro unica ac simplici habentes, *contemtores*, seu *arrogantes*, vel *insolentes* reddiderunt, בגוים inquit incomparabilis Pocockius not. Misc. ad Portam Mosis cap. 3. *pro plurali à singulari* בגוא bago, *formâ* קנוא Kano, Zelotes, *sumto*; *à themate nempe* בגא *quod in usu olim apud Hebræos fuisse, etsi non alibi in textu Biblico, (quâ unus Hebraïsmi puri & antiqui thesaurus nobis superest.) occurrat, mihi satis confirmatum reddit additus interpretum istorum autoritati linguæ Arabicæ usus.* Haud ita multò pòst: *Neminem*, inquit, *turbabit, credo, quòd non scribatur* בגואים *cum* א *inter pronuntiandum latente ac prorsus otioso, magis quàm quòd, si alteram lectionem amplecti velit, scriptum videat* בגויים, *non* בגוייים, *aut* גויים *alicubi, non* גוייים, *aut quòd eadem litera (*א *nempe) sæpiùs in aliis, quibus radicalis est, excidat. Masora notat ter & decies in conjugatis unius verbi* בוא *deesse* א.

Et admiramini & disperdimini. Heb. Habac. 1.v 5. והתמהו תמהו. Rabbi Tanchum loco mox laudato Pocockii, *Repetitio*, inquit, *est confirmationis ergò, ac forsan verborum altero voluit admirationem, altero stuporem, confusionem, qualem admiratio è re aliqua insolenti oborta parere solet.* Addit Pocockius, *Adéoque simplex* תמה *majus aliquid significare videtur, quàm aut* התמה *apud Hebræos, vel* אתרמר *apud Syros; neque infrequens puto ut tam apud Hebræos quam apud Arabes, conjugationis auctæ minùs aliquid, diversum licèt, quàm thema simplex innuant.* Gr. κ) θαυμάσατε, κ) ἀφανίσθητε, *& admiramini & deformate*, supple, ut optimè advertit Grotius, τὸ πρόσωπα, *facies*, ut sensus sit idem ac Mat. 6. v. 16. *Expallescite*, nempe metu.

Quia opus, &c. Q. d. Opus enim, quod vestris temporibus sum operaturus, tam grande erit, ut siquis nunc futurum esse prædixerit, fidem non facilè accommodetis. Id apud Prophetam intelligitur de excitanda à Deo gente Chaldæorum sæva, ad Judæam ob peccata incolarum vastandam, ut ibidem exponitur. At Apostolus hæc verba convertit & accommodat ad Judæos sui temporis, ob rejectum Jesum, missum à Deo Messiam, nisi resipuerint ipsúmque à Deo exaltatum fide fuerint amplexi, similiter per gentem extraneam præpotentem à Deo graviter puniendos.

42. *Exeuntibus autem illis.* Scilicet Paulo, ejúsque socio Barnaba è Synagoga seu loco sacræ congregationis Judæorum.

Rogabant. Gr. additur, τὰ ἔθνη, *gentes*. Hoc est, ii, qui ex gentibus judaizabant, ideóque cœtus judaicos frequentabant, quamvis essent incircumcisi, qualis erat Cornelius, & eo tempore non pauci, ii, inquam, Paulum & Barnabam rogabant.

Ut sequente Sabbato. Gr. εἰς τὸ μεταξὺ σάββατον לאחר השבת

השבת, *Sabbato alio.* Μεταξὺ sumi pro *post* vel *deinceps* Capellus probat ex Josephi 6. Belli Judaici 6. Ludovicus De Dieu ex Clementis Romani epistola ad Corinthios è magnæ Britanniæ Regis bibliotheca à Doctissimo viro Patricio Junio edita. Atque ita εἰς τὸ μεταξὺ σάββατον idem est quod v. 44. ἐρχομένῳ σαββάτῳ, *Sabbato sequente.*

Loquerentur sibi verba hæc. Hoc est, quæ dixerant de Messia & beneficiis per eum obtinendis copiosiùs ipsis explicarent.

43. *Cùmque dimissa esset Synagoga.* Hoc est, quum soluto conventu singuli è Synagoga in domos suas discederent.

Colentium Deum advenarum. Id est, eorum qui ex aliis gentibus ad Judæorum religionem accesserant.

Qui. Paulus videlicet & Barnabas.

Ut permanerent in gratia Dei. Id est, ut in Evangelii doctrina de Jesu Christo firmiter retinenda perseverarent. Gratia Dei per Metonymiam vocatur doctrina Evangelica, quæ ex peculiari Dei gratia hominibus contigit. Vide Heb. 12. v. 15. 1 Pet. 5. v. 12.

44. *Sequenti verò.* Proximè.

Verbum Dei. Hoc est, doctrinam divinitùs revelatam, & à Paulo ac Barnaba prædicatam de salute æterna per fidem in Christum consequenda.

45. *Turbas.* Id est, catervas hominum ad Paulum ac Barnabam audiendum congregatorum.

Judæi. Pertinaciter increduli.

Repleti sunt zelo. Hoc est, dirumpebantur invidiâ, quòd extranei Judaismum amplexi ipsis æquarentur.

Contradicebant his quæ à Paulo dicebantur. Nempe de Jesu Christo, ipsiúsque doctrina.

Blasphemantes. Gr. ἀντιλέγοντες καὶ βλασφημοῦντες, *contradicentes & blasphemantes. Insignis,* inquit Ludovicus De Dieu, *& ἐμφατικώτατος hunc phrasi inest Hebraismus, qualem habes* 1 Sam. 6 v. 12. ילכו הלך ונעו. *LXX.* ἐπορεύοντο πορευόμενα καὶ βοῶσαι, ibant euntes & mugientes, *id est, perpetuo mugitu euntes comitante, sic,* contradicebant, contradicentes & blasphemantes, *id est, perpetuâ blasphemiâ contradictionem comitante.*

46. *Constanter.* Hoc est, intrepidè, nihil fracti adversariorum contradictione.

Vobis oportebat. Ex Christi præcepto & exemplo, Mat. 10. v. 6. 15. v. 24. Luc. 24. v. 47. & suprà cap. 1. v. 8.

Primùm loqui verbum Dei. Hoc est, primùs annunciari remissionem peccatorum æternámque salutem à Deo consequendam per unum mediatorem Dei & hominum hominem Christum Jesum, qui est promissus in Lege ac Prophetis Messias.

Is-

Indignos vos judicatis æternæ vitæ. Eſt Græcæ elegantiæ locutio, quâ ſignificatur idem ac ſi dicatur, Contemnitis ac deſpicitis vitam æternam, quæ per unum Jeſum Chriſtum à Deo datur hominibus.

Ecce convertimur ad Gentes. Q. d. Tranferetur à vobis ingratis noſtro miniſterio Evangelii prædicatio ad Gentes extraneas, & incircumciſas, ſpe melioris ibi profectûs atque fructûs.

47. *Sic enim præcepit nobis Dominus.* Suprà cap. 1. v. 8. Mat. 28. v. 19. Mar. 16. v. 15. Luc. 24. v. 47. Et peculiariter iſti Saulo ſeu Paulo datum eſſe mandatum à Chriſto, de legatione ipſius nomine ad gentes extraneas obeunda, & prædicando eiſdem Evangelio, patet infrà cap. 22. v. 21. 26. v. 17 & 18. Gal. 1. v. 16. 2. v. 8.

Poſui, &c. Q. d. Quod enim de Eſaia utpote Chriſti typo aliquatenùs dictum eſt Eſ. 49. v. 6. in Chriſto Domino per ipſum adumbrato verè implendum eſt. Chriſti enim virtus minimè ad unum Iſraeliticum populum reſtringetur, ſed, ut verba Dei apud Eſaiam ſonant, ejus lux ad extremos uſque terræ fines, prædicatione ipſius diſcipulorum radios emiſſura eſt in ſalutem omnium, qui ubiubi terrarum ex quavis gente in ipſum crediderint.

48. *Audientes autem gentes.* Piſidæ origine alieni à populo Iſraelitico, ſalutem ſibi Chriſti adventu ſuiſſe promiſſam multis antè ſeculis.

Gaviſi ſunt. Nunc demum impleri quod tot antè ſeculis fuerat prædictum.

Et glorificabant verbum Domini. Hoc eſt, Collaudabant Dei bonitatem in Chriſti Evangelio ſibi à Paulo ac Barnaba prædicato elucentem.

Et crediderunt. Hoc eſt, Evangelii doctrinam ſibi propoſitam fide amplexi ſunt.

Quotquot erant præordinati ad vitam æternam. Gr. τεταγμένοι, *ordinati.* Hoc eſt, quotquot erant Candidati vitæ æternæ, uti optimè exponit Medus Serm. 3. in Act. 17. v. 4. ſeu quotquot ſincerè & honeſtè diſpoſiti erant ad peragenda quæcunque Deus requirit ab hominibus ad eos vitâ æternâ donandos. Verbum τάσσω uſurpatur de acie & collocatione militum, de aſcriptione in ordinem vel claſſem, unde libri tractantes de diſponenda & inſtruenda acie nominantur *tactici.* Atque ita verba Lucæ hîc redai poſſunt, uti optimè advertit doctiſſimus Medus loco mox laudato, *Crediderunt quotquot nomina ſua dederant vitæ æternæ; ſive per ellipſin participii, Qui de agmine & claſſe fuerant ſperantium vel contendentium ad vitam æternam; aliter, Qui in procinctu ſtabant ad vitam æternam; convenientiſſimè denique ſenſu modò militari non deſtinationis, Quotquot ordinati fuerant ad vitam æternam.*

49. *Ver-*

49. *Verbum Domini.* Hoc est, Evangelium Christi à Paulo & Barnaba Antiochiæ Pisidiæ metropoli prædicatum.

Per universam regionem. Pisidiæ scilicet. Ita frustrà repugnantibus inimicis latè spargebatur doctrina Jesu Christi, dominantis in medio inimicorum suorum, Ps. 110. v. 2.

50. *Judæi autem.* Pertinaciùs veritati repugnantes.

Concitaverunt mulieres religiosas. Hoc est, mulieres quasdam gentiles, qui Legi Mosis sese subdiderant.

Et honestas. Q. d. Non vulgares, sed nobilitate conspicuas.

Et primos civitatis. Q. d. Harúmque matronarum cæco zelo, atque imprudenti simplicitate abusi Judæi maligni, per eas instigarunt primores seu præcipuos viros Antiochenos adversus Paulum & Barnabam.

Et excitaverunt. &c. Q. d. Eóque rem perduxerunt, ut ipsi Paulus ac Barnabas violento modo premerentur & affligerentur, tandémque à Magistratu finibus Antiochiæ in Pisidia expellerentur.

51. *At illi.* Paulus ac Barnabas.

Excusso pulvere pedum. Hoc ritu juxta præceptum Christi Mat. 10. v. 14. & Luc. 9. v. 5. & 10. v. 11. testabantur se officio suo functos immunes esse ab exitio incolas Antiochiæ in Pisidia manente ob rejectam Evangelii doctrinam sibi prædictam.

In eos. Hoc est, in testimonium adversus ipsos, ut exprimitur Luc. 9. v. 5.

Venerunt Iconium. Urbem Lycaoniæ Metropolim, ad Taurum montem sitam, cujus inter alios celeberrimi nominis Episcopus Amphilochius sub Theodosio Magno, infensissimus hæresibus, & primæ autoritatis, vel ex Legge tertia, *de fide Catholica.* Lycaoniæ, quondam parti Pisidiæ, Pisidia est ab Occasu, à Meridie Isauria, ab Ortu Cappadocia secunda, à Septentrione Galatia Secunda, quæ & *Salutaris* nuncupatur.

52. *Discipuli,* &c. Q. d. Qui autem Antiochiæ in Pisidia per Pauli ac Barnabæ prædicationem in Christum credideram, replebantur gaudio ob patefactum sibi ad vitam æternam aditum, donisque Spiritus-sancti ad fidem eorum obsignandam.

CAP.

CAP. XIV.

1. *Factum est autem in Iconio.* Supple, Lycaoniæ metropoli.

Ut simul introirent. Paulus ac Barnabas.

Loquerentur. Hoc est, prædicarent Evangelium.

Judæorum & Græcorum copiosa multitudo. Quicunque Judaismum non profitebantur, Judæis dicebantur Ἕλληνες, *Græci*, ex quo sub imperio Græco seu Macedonico vixere, totius mundi hominibus divisis in Judæos & Græcos respectu religionis, non verò regionis.

2. *Ad iracundiam concitaverunt.* Gr. ἐκάκωσαν, *malè affecerunt*, id est, malè affectas reddiderunt.

Animas. Id est, voluntates, ut Ps. 41. v. 3. in textu Hebræo.

Gentium. Id est, hominum aliam Religionem à Judaica profitentium, quos versu mox præcedente Lucas *Græcos* vocavit, iisque Judæos similiter opposuit.

Adversus fratres. Ita vocantur omnes in Christum credentes; quia & unum habent Patrem in cœlis Deum, cujus sunt filii secundum spiritum, ad quem acquisiverunt accessum per Christum, & ipsi fraterno amore sese mutuò complectuntur, quamvis sint è diversis gentibus collecti.

3. *Demorati sunt*, Iconii.

Fiducialiter agentes, &c. Q. d. Animati à Domino ad strenuè prædicandum Evangelium, quo gratia Dei eximia de peccatorum remissione & vitæ æternæ donatione iis, qui in Christum credunt & respiscunt, annuntiatur; ipse quippe Dominus Evangelium ab ipsis prædicatum comprobabat atque à contemtu asserebat signis & miraculis eorundem ministerio patratis.

4. *Cum Apostolis.* Paulo scilicet & Barnaba.

5. *Cum principibus suis.* Id est, cum primoribus suis.

Lapidarent eos. Nempe Apostolos Paulum & Barnabam.

6. *Intelligentes.* Hoc est, quum Paulus & Barnabas hanc in se conspirationem animadvertissent.

Confugerunt. Juxta præceptum Christi Mat. 10. v. 23. ne temerè se præcipitarent in mortem.

Ad civitates Lycaoniæ Lystram & Derben. Locus iste duobus modis exponi potest. Uno modo ut dicat Lystram & Derben

civitates Lycaoniæ esse: altero ut dicat eos fugisse in civitates Lycaoniæ & Lystram & Derben. *Quæ expositio, inquit Drusius, verior videtur. Nam Derbe & Lystra Isauriæ urbes sunt. Quæ licèt vicina sit Lycaoniæ, tamen à Lycaonia distinguitur.* Lystrensem fuisse Timotheum Pauli discipulum scribit Chrysostomus hom 8. in 2 Tim. 3. v. 11. Gesnerus autem in *Derbetem* Derbetem fuisse sine autore autor est.

In circuitu. Lystræ videlicet, & Derbes.

7. *Et ibi evangelizantes erant.* Hoc est, non desistebant ab officio prædicandi Evangelii sibi divinitùs injuncto.

Lystris. Hujus urbis nomen modò *Lystra, Lystræ,* modò *Lystra, Lystrorum* declinat.

9. *Hic audivit Paulum loquentem.* Hoc est, Evangelium prædicantem.

Qui. Paulus.

Videns quia fidem haberet ut salvus fieret. Hoc est, Percipiens Claudum istum prædicatione atque signis ipsius excitatum sperare innatam sibi claudicatem ab ipso sanatum iri.

10. *Dixit magnâ voce.* Ut ab omnibus, qui aderant, exaudiretur.

11. *Dii,* &c. Q. d. Dii sub humana imagine nos inviserunt. Id interdum factum credebant Ethnici, ut passim videre est apud eorum Poetas.

12. *Et vocabant Barnabam, Jovem.* Jupiter apud Ovidium 1 Metam.

Et Deus humana lustro sub imagine terras.

Paulum verò Mercurium. A Jove secum duci solitum, ut videre est in Amphitruone Plauti.

Quoniam ipse erat dux verbi. Q. d. Quòd ipsi commissæ essent dicendi partes. Nam Mercurius habitus erat pro Deo facundiæ atque nuntio Deorum, unde Claudianus de eo,

——— —— ——— *Commune profundis*
Et superis numen, qui fas per limen utrumque
Solus habet, geminóque facit commercia mundo.

13 *Sacerdos quoque Jovis qui erat ante civitatem.* Videtur templum Jovi sacrum extitisse prope portas illius urbis, quo in templo statua ipsius Jovis visebatur, cùm Jupiter illius urbis præses ac tutor haberetur. Gentes enim idololatricæ singulas ferè urbium singulis diis ad peculiarem curam ac præcipuam tutelam dedicare solebant.

Tauros & coronas. Tauri & coronæ sunt tauri coronati, &

duc Jovis Minucius in Octavio: *Victimæ ad ſupplicium ſaginantur, hoſtiæ ad pœnam coronantur.*

Ante januas afferens. Hoc eſt, quum tauros vittatos adduxiſſet ad portas urbis, ubi Paulus prædicabat, & ſanatus ab illo claudus ſederat, vel ad januas domûs in qua Paulus & Barnabas diverſabantur. *Hæc enim*, inquit Ludovicus de Dieu, *apud omnes Orientales ædium eſt ſtructura, ut apertâ primâ domûs januâ, quæ in plateam ſpectat mox in aliam incidas, quæ velo, quod* tegumentum *Arabes vocant, obducitur, ne intranti introſpicere in conclave detur, ubi paterfamilias degit.*

Cum populis. Hoc eſt, vulgi ſtipante magnâ caterva.

14. *Conſciſſis tunicis ſuis.* Habebant hoc moris plurimæ gentes, ut in luctu, inque ira vehementi veſtimenta dirumperent. Judæi autem duplici de cauſa veſtes lacerare ſolebant: primò in magno luctu & mœſtitia, ut videre eſt Gen. 37. v. 29. & 34. Num. 14. v. 6. Judic. 11. v. 35. 1 Sam. 4. v. 12. 2 Sam. 1. v. 11. 13. v. 19. Deinde quando aliquem, ac imprimis Judæum, blaſphemantem audirent. Inde colligunt docti inter Judæos, Rabſacem cubicularium Regis Aſſyriæ Judæum fuiſſe & ad Ethniciſmum deſciviſſe, quia Rex Ezechias veſtes ſuas laceravit, cùm blaſphema ejus verba ipſi renunciata fuiſſent 2 Reg. 19. v. 1. Ita Cajaphas quoque dirupit veſtimentum ſuum, ubi credidit Chriſti confeſſione Deum blaſphemari, Mat. 26. v. 65. Errant verò qui ex Levit. 10. v. 6. 21. v. 10. concludunt Pontifici maximo prorſus interdictum fuiſſe, veſtes ſuas lacerare. Ibi enim duntaxat de luctu ſuper mortuum eſt ſermo, non de publico ac univerſali luctu totius populi: quo caſu licitum ei fuiſſe veſtes lacerare ſuas, arguit exemplum Pontificis Maximi Jonathæ, cùm prælio victus eſſet 1 Mac. 11. v. 71. Sed Rabbini doctiores aiunt Pontificem maximum veſtem ſuam ab imo, alios verò Judæos à ſummo lacerare ſolitos.

Exilierunt in turbas. Enixè vehementérque honorem nimium deprecaturi.

Clamantes & dicentes. Hoc eſt, voce elatâ dicentes.

15. *Viri*, &c. Q. d. Viri Lyſtrenſes, cur nos homines mortales præpoſterè Dei loco vultis adorare. Iiſdem naturæ infirmitatibus obnoxii ſumus atque vos, quibus annuntiamus, ut fictis omnibus divinitatibus quibus antehac deluſus fuit mundus, abjectis, convertamini ad Deum illum vivum, qui vitam habet à ſeipſo & aliis eam largitur.

Ab his vanis. Hoc eſt, idolis, quæ ſunt abſque vita, viribus atque utilitate, ideóque vocantur *vana* & *vanitates.* Vide 1 Sam. 12. v. 21. 15. v. 23. 1 Reg. 16. v. 26. Eſ. 66. v. 3. Jer. 2. v. 5. 10. v. 14 & 15. 10. v. 19. Amos. 2. v. 4. Jon. 2. v. 9.

Qui fecit, &c. Hoc non facere dii Ethnici, utpote post cœlum & terram exorti. Vide Jer. 10. v. 11.

16. *Qui in præteritis generationibus*. Id est, seculis.

Dimisit omnes gentes ingredi vias suas Hoc est, permisit ut omnes gentes viverent eo modo, quo ipsis libebat, nec dedit eis Legem sicut Israelitis per quam in officio & cultu ipsius continerentur, ratióque ad eas misit Prophetas suos, qui ipsas ab earum erroribus revocarent.

17. *Et quidem*, &c. Q. d. Neque tamen unquam Deus passus est gentes expertes testimonii bonitatis suæ: quæ enim Deus per naturam ministram suam ordinariam in homines confert beneficia, singulis momentis omnium sensus feriunt, attrahúntque attentè considerantes ad eorum largitorem amandum & colendum. Ratio namque cordibus hominum insita docet ipsos erga liberalissimum & beneficentissimum in se gratos esse debere, & propter beneficia, quæ quotidie à Deo accipiunt & expectant, ipsum omni cultu & veneratione prosequi. Quo pacto verò Deus sit potissimùm colendus, eadem ratio, quâ omnes præditi sunt, satis indicat, nempe præstantissimum Dei cultum esse piam & honestam vitam, quâ magis delectatur, quàm ullis donariis, ut præclarè Persius Sat. 2.

> *At vos*
> *Dicite Pontifices in sacro quid facit aurum?*
> *Nempe hoc, quod Veneri donatæ à virgine puppæ.*
> *Quin damus id superis, de magna quod dare lance*
> *Non possit magni Messalæ lippa propago:*
> *Compositum jus fasque animi, sanctosque recessus*
> *Mentis, & incoctum generoso pectus honesto.*
> *Hoc cedo, ut admoveam templis, & farre litabo.*

Benefaciens. Quanquam potentia & sapientia, quæ in operibus Dei elucent, sufficiunt ad persuadendum Deum esse, & oportere ipsum amare, timere, colere; viderentur tamen istud negligentes aliquâ excusatione digni, nisi Deum adeò in se beneficum experirentur. Ideóque Paulus hoc loco, omissâ potentiæ & sapientiæ Dei mentione, contentus est Lystrenses de ejus insigni, quam experirentur omni tempore, beneficentia admonere, ut scirent quantùm illi isto nomine essent devincti.

De cœlo dans pluvias. Quibus terra fœcundatur ad producendos fructus.

Et tempora fructifera. Id est, præstituta fructibus certis ferendis, ut sunt ver, æstas & autumnus.

In-

Implens cibo & lætitiâ corda eorum. Græcè alii legunt ὑμῶν vestra, alii ἡμῶν nostra. Præclarè autem Calvinus: *Implere*, inquit, *corda cibo, nihil aliud est, quàm alimenta largiri, quæ votis hominum satisfaciant. Lætitiæ nomine significant Paulus & Barnabas, Deum pro immensa sua indulgentia plus largiri hominibus quàm postulet eorum necessitas: ac si dictum esset, Cibum dari hominibus non tantùm quo reficiant vires, sed quo etiam corda sua exhilarent.*

18. *Et hæc dicentes*, &c. Q. d. His dictis suis ægrè Paulus ac Barnabas compescuerunt Lystrenses ne sibi velut Diis sacrificarent.

19. *Ab Antiochia.* Pisidiæ scilicet metropoli.

Judæi. Pertinaciter increduli, quibus Paulus ac Barnabas erant invisi.

Et persuasis turbis. Quædam exemplaria addunt, *dicentes quòd nihil veri dicant, sed omnia mentiantur.*

Lapidantes Paulum, &c. Q. d. Paulus, qui dux sermonis erat, ut dictum suprà v. 12. tantâ lapidum vi petitus est, ut mortuus putaretur ac efferretur. Hujus lapidationis meminit Paulus 2 Cor. 11. v. 25.

20. *Circumdantibus autem eum discipulis.* Q. d. Quum autem Christiani *exequias ejus venerant circumstare*, ut Apuleius loquitur.

Surgens intravit civitatem. Id est, reversus ad præsentium sensum ab illata ex tot lapidum vulneribus animi externatione, se humo levavit, ubi pro mortuo jacuerat, atque mirificâ Christi virtute refocillatus & recreatus, corroboratus ac velut redivivus factus, Lystram est regressus. Huc videntur spectare Pauli verba 2 Cor. 1. v. 8, 9 & 10.

21. *Docuissent multos.* Gr. μαθητεύσαντες ἱκανοὺς, *formassent discipulos sufficientes*, id est, cùm justum auditorum numerum eò perduxissent ut Christi doctrinam à se prædicatam susciperent, ipsiúsque discipuli fierent. Ita hoc verbum activum ponitur Mat. 28. v. 19. & ejus passivum Mat. 27. v. 57.

Reversi sunt Lystram. Ubi paulò antè lapidibus petitus fuit Paulus.

Et Iconium. Unde suprà v. 5 & 6. metu periculi fugerant.

Et Antiochiam. Pisidiæ, è qua anteà erant expulsi suprà cap. 13. v. 50.

22. *Confirmantes*, &c. Præclarè Gregorius Magnus lib. 31. Mor. in Job c. 15. *Ecce lapidibus Paulus obruitur, nec tamen à veritatis sermone removetur. Occidi potest, superari non potest. Velut extinctus extra urbem projicitur, sed intra urbem die alio illæsus prædicator invenitur. O quàm fortis huic viro inest infirmitas! O quàm victrix pœna! O quam dominatrix patientia! Ad arguendum repulsione provocatur:*

catur: ad prædicandam salutem plagis erigitur: ad propellendam laboris lassitudinem pœnâ reforvetur.

Per multas tribulationes, &c. Q. d. Quisquis intrat in regnum Dei, seu vivere secundum Evangelium aggreditur, is mundi odia in se concitat, adeóque multis vexationibus, etiam sævissimis objaceat necesse est. Quod in ipso hujus vivendi rationis autore Domino Jesu Christo primùm apparuit, qui suis sectatoribus idem eventurum prædixit, Mat. 10. v. 17 & 18. 23 v. 34. Jo. 16. v. 33. 17. v. 14.

23. *Et cum constituissent.* Gr. χειροτονήσαντες, *cum pollicis manibus constituissent*, seu, *per suffragia elegissent.* χειροτονεῖν propriè notat *protensâ manu eligere.* Quum comitia creandis Magistratibus habenda erant, designabatur aliquis ab iis, quibus ita visum esset, qui ad hanc dignitatem maximè idoneus censebatur; eo in theatrum producto, per præconem ejus nomen edebatur, & dicebatur, Cui hoc videtur seu placet, attollat manum: atque tunc qui designationem illam probabant, sublatis manibus testabantur videri sibi hominem idoneum magistratui gerendo designatum esse: Ceteri verò, qui improbabant, manus suas continebant: à qua parte major numerus fuisset, secundum eam de homine designato decernebatur. Hinc illa vox χειροτονεῖν orta est, & χειροτονητὸς dicebatur, qui hujusmodi suffragiis Magistratum consecutus erat. Id testatur Elias Cretensis in Gregorii Nazianzeni Orat. 3. Et Zonaras in Apostolorum Canones docet χειροτονίαν ab initio designasse suffragia, posteà antiquatis primis ritibus, pro consecratione usurpatam. Hoc sensu χειροτονητὸς sumitur, 2 Cor. 8. v. 19.

Presbyteros. Doctissimus Fridericus Spanhemius in Epitome Isagogica ad historiam novi testamenti, *Episcopi*, inquit Seculi primi sect. 8. Num. 4. *in singulis Ecclesiis ordinati, sic dicti à cura* τῆς ἐπισκοπῆς, inspectionis, *prout iidem* πρεσβύτεροι Seniores *ab ætate & gravitate*, πρεσβύτεροι pastores *à pascendi munere*, διδάσκαλοι, διάκονοι τοῦ λόγου, Doctores, ministri, *à functione docendi & ministrandi Christo*, ἡγούμενοι, præpositi, rectores, *à regendi prærogativa.* Confer infrà cap. 15. v. 2, 4, & 6. 20. v. 17 & 28. Tit. 1. v. 5 & 7. 1 Thess. 5. v. 12. Irenæus in Epistola ad Victorem Episcopum Romanum apud Eusebium lib. 5. Hist. Eccl. cap. 26. *Presbyteri ante Soterem, qui Ecclesiæ, cui jam præes, præfuerunt, Anicetum dico, Pium, Hyginum, Telesphorum, Sixtum.* Ubique Presbyteros nominat Irenæus, quos passim alii Episcopos appellant, isque regimen Ecclesiæ Romanæ tribuit. Victor quoque ipse in epistola ad Desiderium Viennensem Episcopum: *Sicut*, inquit, *fraternitas tua à Presbyteris, qui Apostolos in carne viderunt, crudita est, qui & Ecclesiam usque ad tua tempora rexerunt.* Et

Et Oraſſent cum jejunationibus. Vide quæ diximus ſuprà cap. 13. v. 3.

Commendaverunt eos Domino. Tuendos videlicet.

24. *Tranſiuntéſque Piſidiam.* Vide dicta ſuprà cap. 13. v. 14.

. *Venerunt in Pamphyliam.* Vide quæ diximus ſuprà cap 2. v 10.

25. *Et lojuentes verbum Domini in Pergen.* Q. d. Cúmque Chriſti Evangelium prædicaſſent Pergæ, de qua urbe ſuprà cap. 13. v. 13.

Deſcenderunt in Attaliam. Attalia urbs nomen habens ab Attalo Philadelpho conditore inter Pamphyliæ oppida memorantur à Strabone Geographiæ lib. 14.

26. *Et inde navigaverunt Antiochiam.* Syriæ metropolim.

Unde erant traditi gratiæ Dei, &c. Q. d. Unde egreſſi ad prædicandum Evangelium, precibus Eccleſiæ commendati fuerant Deo, ut gratiam ſuam exereret ad promovendos conſtitutorum ab ipſo Gentium Apoſtolorum labores. Vide ſuprà cap. 13. v. 3.

27. *Congregaſſent Eccleſiam.* Chriſtianorum Antiochiæ commorantium.

Retulerunt. Quemadmodum ſolent qui ex legatione reverſi ſunt, rationem actorum reddere.

Quanta feciſſet Deus cum illis. Hebraiſmus, quo עשה *fecit* conſtruitur cum עם vel את *cum*, pro Dativo perſonæ. Senſus eſt, *quanta Deus feciſſet ipſis*, quantâ videlicet ipſos gratiâ eſſet dignatus, quanto in convertendis hominibus, edendiſque miraculis auxilio & robore ipſis præſtò adfuiſſet.

28. *Morati ſunt autem tempus non modicum.* Antiochiæ ſcilicet.

Cum diſcipulis. Hoc eſt, Chriſtianis. Vide dicta ſuprà cap. 11. v. 26.

CAP. XV.

1. ET. Id est, tunc.

Quidam. Ex Judæis Christiani nominis professoribus, quorum antesignanum Philastrius de Hæres. cap. 87. & Epiphanius Hær 28. tradunt fuisse Cerinthum Simonis Magi & Carprocratis discipulum.

Descendentes, Antiochiam Syriæ Metropolim, Hos παρεισάκτους ψευδαδέλφους, *inreptitios falsos fratres* appellat Paulus Gal 2. v. 4.

Docebant fratres. Nempe qui ex gentibus ad Christum erant conversi.

Nisi circumcidamini secundum morem Moysi. Hoc est, secundum ritum Abrahamo præceptum a Deo, quem Moses descripsit, Gen. 17. v. 10. iterúmque præcepit Levitic. 12. v. 3. Nonnulli codices hîc habent *Nisi circuncidamini & more Moysis ambuletis,* ut & aliæ Mosaicæ leges ceremoniales addendæ intelligantur, quibus servandis sese obstringunt quicunque ideo circunciduntur, ut ita Legi Mosis pareant. Vide Gal. 5. v. 3.

Non potestis Salvari. Hoc est, salutem æternam consequi.

2. *Factâ ergo seditione.* Nempe inter membra Ecclesiæ Antiochenæ diversum sentientia. Gr. additur, καὶ συζητήσεως, *& disceptatione.*

Paulo & Barnabæ. Qui Gentiles ad Christum conversos recte instituerant in doctrina de libertate Christiana, & ad se circuncidendos non obligari docuerant.

Adversus illos. Duros videlicet homines, qui nimio ceremonialium legum Mosaicarum zelo accensi contendebant Christianos non fuisse per Christum ab earum importabili jugo liberatos.

Statuerunt. Christiani videlicet Antiocheni.

Ut adscenderent Paulus & Barnabas. Qui erant velut altera litigantium pars in hac controversia. Est autem credibile Paulum, cùm ab Ecclesia Antiochena jam decretum esset, ut Hierosolymam iret, oraculo fuisse admonitum, ut id quod Ecclesiæ censui esset, omninò faceret. Hinc Gal. 2. v. 2. de hac profectione sua loquens Paulus dicit se *secundum revelationem* ascendisse Hierosolymam.

Et

Et quidam alii ex aliis. Gr. *ex illis*, qui nimirùm urgebant circumcisionis necessitatem. Non eadem erat hac de re ipsos inter Judæos sententia. Nam cùm Izates Adjabenorum Rex in Judæorum religione à quodam Anania institutus existimaret se non perfectum esse Judæum nisi circumcideretur; id illi suus præceptor dissuasit: *δυνάμενον δὲ αὐτὸν, ἔφη, καὶ χωρὶς περιτομῆς τὸ θεῖον σέβειν, εἴγε πάντως κέκρικε ζηλοῦν τὰ πάτρια τῶν Ἰουδαίων. Τοῦτο εἶναι κυριώτερον τοῦ περιτέμνεσθαι. Licere ei dixit, etiam absque circumcisione Deum piè colere, si Judæorum instituta placeant. In hoc enim magis sitam religionem, quam in circumcisione.* Joseph. 20 Antiq. 2. Sed tamen iste Rex aliquantò pòst ex alterius Judæi nomine Eleazari, (de quo Josephus dicit, *πάνυ περὶ τὰ πάτρια ἀκριβὴς εἶναι, cum Legis valde peritum habitum*) consilio se circumcidi curavit. Tryphon quoque Judæus apud Justinum Martyrem incircumcisis omnem salutis spem non adimit, aiens: *μένοντι γάρ σοι ἐν ἐκείνῳ τῷ τῆς φιλοσοφίας τρόπῳ, καὶ ζῶντι ἀμέμπτως, ἐλπὶς ὑπελείπετο ἀμείνονος μοίρας. Manenti tibi in illa philosophandi ratione, & inculpatè viventi, melioris sortis spes relinquebatur.* Quæ sententia hodie inter Judæos recepta videtur, ut colligere est ex Menasseh ben Israel lib. 2. de resurrectione mortuorum cap. 9. Attamen Isaac Abrabanel de capite fidei cap. 24. laudat veterum Traditionem his verbis: *Qui non est circumcisus, gehennam hereditabit.* Certè Judæi qui florente adhuc eorum Republicâ vixerunt, duriùs de hac quæstione senserunt iis quos calamitatum sensus humiliavit; hi enim omnem beatitudinis participationem Gentibus in futuro seculo denegare non audent, licèt se ceteris populis tantò feliciores fore autument, quantò Gabaonitæ ipsis olim in terræ Cananæa inferiores fuerunt. Unde murmur adversus Dominum Jesum exortum, qui ipsos in Parabola Mat. 20. inter se exæquare velle videbatur.

Ad Apostolos. Qui in comitatu Domini nostri Jesu assiduè vixerant, quos testes suæ Resurrectionis esse voluit, & ad prædicandum Evangelium per totum terrarum orbem misit; quorum collegio posteà adjunctus est Paulus, à Christo jam in cœlo gloriosè regnante ad id munus vocatus suprà cap. 9. ita ut nulla in parte fuerit inferior reliquis, Gal. 2. v. 9. Nonnulli his addunt & Barnabam ex cap. mox præcedentis v. 13. *Apostolorum verò*, inquit Spanhemius in Epitome isagogica ad historiam novi testamenti, *fuit ut ἰσοτιμία, sic προστασία seu cura universalis, Ecclesiæ non unius sed omnium, Mat.* 28. *v.* 19. 2 *Cor.* 11. *v* 28. *ut non magis cogendi sint Apostoli in ordinem Episcoporum certæ Ecclesiæ, quam olim Præfecti Prætorio, aut Vicarii universales in ordinem Rectorum unius civitatis vel provinciæ, & οἰκουμενικοὶ in ordinem τοπικῶν.*

Et

Et Presbyteros. Presbyteria, id est, collegia Episcoporum seu Presbyterorum fuere Apostolorum ævo in singulis Ecclesiis, *penes quæ*, inquit mox laudatus Spanhemius loco citato, *administratio illarum in communi, ordinariè scilicet; qui Presbyteri (prout distincta tum fuere charismata,) alii fuere magis vacantes sermoni & doctrinæ*, 1 *Tim.* 5. *v.* 17. *alii gubernationi ac disciplinæ*, *Rom.* 12. *v.* 8. 1 *Cor.* 12. *v.* 28.

Super hac quæstione. Hoc est, consultum eos an circumcisio præputii sit ad salutis æternæ consecutionem necessaria.

3. *Illi ergo.* Paulus scilicet ac Barnabas, ceterique ab Ecclesia Antiochena Hierosolymam missi.

Deducti ab Ecclesia. Hoc est, à fratribus Antiochenis aliquousque, ut infrà cap. 20, v. 38. 21. v. 5.

Pertranseunt Phœnicen & Samariam. In quibus jam degebant aliqui Christiani. Vide suprà cap. 8. v. 5 & 14. & 11. v. 19.

Narrantes conversionem gentium. Hoc est, quamplurimos ex gentibus variis in locis ad Christi fidem suâ prædicatione divinitùs adjutâ fuisse conversos.

Et faciebant gaudium magnum omnibus fratribus. Q. d. Lætum hoc nuntium de hominibus gentilibus magno numero ad Christum conversis fideles omnes magno afficiebat gaudio.

4. *Ab Ecclesia, & Apostolis, & Senioribus.* Q. d. Suscepti sunt tum à Christianis generatim, qui Hierosolymæ habitabant, tùm ab Apostolis speciatim ac Presbyteris, seu propriis Hierosolymitanorum Christianorum pastoribus.

Annuntiantes quanta Deus fecisset cum illis. Vide dicta suprà cap. 14. v. 27.

5. *Surrexerunt*, &c. Verba sunt Lucæ significare volentis, Pharisæos Hierosolymitanos, qui crediderant in Christum, consensisse cum illis qui hanc controversiam Antiochiæ moverant, & urgisse ut gentiles ad Christum conversi circumciderentur. Nam isti homines, quorum secta hactenus primaria fuerat in religione Judaica, videntur existimasse primas sibi adhuc dandas in Ecclesia Christiana, suásque opiniones ceteris prævalere. Sed alii libertatis suæ sibi conscii, non cesserunt ipsis, nec acquieverunt ad horam, Gal. 2. v. 5.

De hæresi Pharisæorum. Lucas sectam Pharisæorum nomine *hæreseos* appellat, quòd ista vox olim mediæ essel significationis, & modò in bonam, modò in malam partem usurparetur. Unde Paulus Pharisaismum ἀκριβεστάτην αἵρεσιν, *exquisitissimam hæresin*, id est, sectam religionis Judaicæ vocat infrà cap. 26. v. 5. Imò Christianismum quoque hac appellatione insignit infrà cap. 24 v. 14.

Oportet circumcidi eos. Isti Zelotæ qui Gentiles volebant jugo Legis ceremonialis subjicere, circumcisionem præcipuè urgebant,

bant, quia sciebant eâ semel susceptâ, nihil amplius fore remoræ, quominus se ceteris legalibus cæremoniis subjicerent. Nihil enim erat quod magis adultos arceret à Judaismo quàm circumcisionis formido. Quin & qui eam susciperent, se tacitè ad universam rituum Legem obligabant. Gal. 5. v. 3.

Servare Legem Moysis. Cæremonialem videlicet, ut conditionem obtinendæ salutis; nulla enim hîc mota est controversia de operibus moralibus ad salutem necessariis.

6. *Convenerúntque Apostoli.* Utrum omnes Apostoli tunc essent Hierosolymæ, an verò aliqui tantùm, & quinam, haud facile est dictu. *Certum enim est*, inquit incomparabilis Cuncellæus, *Apostolos ibi aliquandiu mansisse post acceptum Spiritum-sanctum. Nec inde videntur migrasse ante persecutionem excitatam in cæde Stephani Proto-Martyris. Omnes enim duodecim adhuc erant Hierosolymis cùm facta est septem Diaconorum electio, Act. 6. v. 2. Imò ne gravi quidem illâ persecutione excitatâ statim inde pedem moverunt, Act. 8. v. 1. Constans tamen inter veteres est fama Apostolos non diu post fuisse Hierosolymis commoratos; sed sorte inter se orbis terrarum partes divisisse, in quas singuli Evangelium prædicatum irent. Qua de re consuli possunt Origenes in Genesin, & Eucherius Lugdunensis, qui scribunt Orientem obvenisse Thomæ & Bartholomæo, Meridiem Simoni & Matthæo, Septentrionem Philippo & Thaddæo, Mediterraneas regiones Matthiæ & Jacobo Justo, Provincias maris Mediterranei Joanni & Andreæ, Occidentem Petro & Jacobo Zebedæi, sed totum pariter mundum Paulo. Unde in quibusdam Ecclesiæ Romanæ Calendariis, Apostolorum separatio ad decimum quintum diem Julii celebratur. Sed de illius anno altum ferè ubique silentium. Alia etiam divisio muneris inter Apostolos commemoratur Gal. 2. v. 7 & 8. Quòd Paulo creditum esset Evangelium præputii, Petro verò Circumcisionis: sed quæ huc non pertinet. Concilium autem Hierosolymitanum videtur primam illam Apostolorum separationem secutum esse, & nullos amplius in illa urbe fuisse Apostolos præter Petrum & Jacobum, qui etiam soli in Concilio sententiam dixisse leguntur. Quanquam putem iis adjungendum Joannem, cujus sit mentio Gal. 2. v. 9. Quod enim ibi dicit Paulus v. 1. se post quatuordecim annos iterùm ascendisse Jerosolymam cum Barnaba, assumto & Tito, omninò ex iis quas ibi recenset circumstantiis apparet quadrare in iter quod illuc fecit, ut Concilio isti, de quo agimus, interesset. Ergo saltem quatuor Apostoli illic comparuerunt, Petrus, Jacobus, Joannes, Paulus; præter viros Apostolicos Barnabam, Judam cognomento Barsabam, & Silam, quorum mentio fit Act. 15. v. 22. necnon Titum, de quo Gal. 2. v. 2. & alios viros celebres, ex quibus constabat Ecclesia Hierosolymitana. Adeo ut celebrior illo conventus nullus unquam datus fuerit, nisi in quo omnes Apostoli interfuerunt.* Alii existimant omnes duodecim Apostolos huic Concilio interfuisse, atque distributionem illam provincia-

vinciarum mundi, cujus meminerunt veteres, inter duodecim Apostolos factam post hoc Hierosolymitanum Concilium, cùm jam passim gentes in Ecclesiam irrumperent.

Et Seniores. Qui aliàs dicti Episcopi. *Seniores*, seu *Presbyteri* tum *& Episcopi iidem.* Vide dicta suprà v. 2. Interfuere autem huic Concilio præter Apostolos, & Presbyteros Hierosolymitanos, alia Ecclesiæ membra, simplices videlicet fratres, ut videre est infra v. 22 & 23.

Videre de verbo hoc. Id est, ut rem controversam dispiceret.

7. *Cùm autem magna conquisitio fieret.* Id est, cúmque acriter in utramque partem fieret disputatio.

Surgens Petrus. Ut concionabundus.

Dixit ad eos. Ad cunctos videlicet cujuscunque dignitatis & vocationis Christianos, qui ibi aderant.

Viri fratres. Ita Petrus compellat non solos Apostolos, & Presbyteros, sed & alios omnes tunc Concilio præsentes Christianos, sic à Christo edoctus Mat. 23. v. 8.

Vos scitis quoniam ab antiquis diebus. Clarissimus Lightfoot nihil dubitat Petrum in his verbis respicere illud Christi ad e dictum Mat. 16. v. 19. *Tibi dabo claves regni cœlorum*, id est, eodem Lightfoot interprete, *tu primus aperies ostium fidei Gentibus. Tunc elegit eum Dominus, ut per os ejus audirent gentes primùm verbum Evangelii & crederent. Illud autem factum esse dicit, in* ἡμέραις ἀρχαίαις, in diebus primis, *id est, ut ipse suprà cap.* I. v. 21. *eloquitur*, in tempore quo intravit & exivit inter nos Dominus Jesus, *quod tempus per* ἀπ' ἀρχῆς, ab initio, *profertur* Luc. I. v. 2.

In nobis. Id est, inter nos qui ex circumcisione in Christum credidimus.

Per os meum audire gentes. Primùm scilicet.

8. *Et qui novit corda*, &c. Q. d. Cùm verò illud præstiti, cordium cognitor Deus signo manifesto testatus est se incircumcisos gentiles fidem Christi amplexos in filios adoptasse, communicans illis eadem Spiritus sancti dona, quæ nobis circumcisis in Christum credentibus impertiit. Respicit Petrus ad historiam conversionis Cornelii per ministerium suum, quæ prolixè narratur suprà toto capite decimo, & magnâ undecimi parte. *Inter Cornelii centurionis conversionem*, inquit Cucellæus in Diatriba de esu sanguinis, *& Concilium istud Hierosolymitanum, viginti circiter anni, ut plerique Chronologi agnoscunt, elapsi erant. Mirum autem est valde, per tam longum temporis spatium, à quo Deus clarissimo isto exemplo manifestaverat voluntatem suam de incircumcisis in Ecclesiam suam, & omnium benedictionum spiritualium participationem admittendis, non potuisse adhuc è credentium Judæorum cordibus revelli hanc opinionem, etiamnum necessariam esse circumcisionem ad pla-*

placendum Deo. Sed iſtorum Legis rituum, tanquam divinitùs inſtitutorum, reverentia tam altè inſederat illorum animis, ut non facile eſſet ſtatim illam inde eradicare, & de libertate nobis per Chriſti ſanguinem parta ipſos convincere. Nam etiam poſt celebratum iſtud, de quo agimus, Concilium, videtur eadem opinio apud multos permanſiſſe in Eccleſia Hieroſolymitana, quemadmodum liquet ex Act. 21. v. 20, & ſeqq. alii ſque hiſtoriæ Eccleſiaſticæ monumentis, nominatim Sulpitii Severi, qui Sacræ hiſtoriæ lib. 2. de Hadriano Imperatore agens, dicit: Tum penè omnes, Chriſtum Deum, ſub Legis obſervatione, credebant.

9. *Fide purificans corda eorum.* Hoc eſt, cùm animos eorum gentilium incircumciſorum à peccatis, quibus inquinati erant emundaſſet fide vivâ in Chriſtum, quâ qui prædītus eſt, ſtatim renunciare omni impietati & mundanis deſideriis, atque ſobriè, juſtè & piè in hoc ſeculo vivere ſtatuit.

10. *Nunc ergo quid tentatis Deum?* Id eſt, cur Deum graviter offenditis. *Qui Deum offendit,* inquit Grotius, *patientiam ejus tentat: offendit autem qui voluntati ejus ſufficienter revelatæ obſtrevit.*

Imponere &c. Q. d. Volentes omnium Legis ceremoniarum jugum imponere cervicibus eorum, qui ex Gentibus in Chriſtum crediderunt, quod Iſraelitæ ipſi nunquam niſi ſumma cum moleſtia ferre potuerunt.

Jugum. Scilicet, ſervitutis, quomodo Paulus Legales ritus vocat Galat. 5. v. 1. quia in rebus conſiſtebant inde ſerentibus, quæ per ſe bonæ aut honeſtæ non erant, ſed à ſola Legiſlatoris voluntate pendebant; adeo ut ſervis potiùs quàm liberæ conditionis hominibus convenire viderentur. Vocantur quidem & Chriſti præcepta *jugum,* ſed *ſuave,* & *onus* ſed *leve,* Mat. 11. v. 30. *Quid namque à nobis exigit,* inquit Salvianus, *quid præſtari ſibi à nobis jubet, niſi ſolam tantummodò fidem, caſtitatem, humilitatem, ſobrietatem, miſericordiam, ſanctitatem, quæ utique omnia non onerant nos ſed ornant?*

Diſcipulorum. Id eſt, gentilium ad Chriſtum converſorum.

Quod neque patres, &c. Q. d. Quod Legis ceremonialis jugum ob ingentem præceptorum ritualium multitudinem majoribus noſtris æquè ac nobis importabile viſum eſt. Dicimur non poſſe quod ægrè ac difficulter poſſumus, ut videre eſt Mar. 1. v. 45. Luc. 11. v. 7. Jo. 6. v. 60.

11. *Sed per Gratiam Domini Jeſu Chriſti credimus ſalvari.* Q. d. Quin & nos ipſi origine Judæi fidem Chriſti ſumus amplexi, certiſſimè perſuaſi non per circumciſionem alióſve Moſaicæ Legis ritus ſed per gratuitam noſtri cum Deo reconciliationem, ſacrificio mortis Chriſti partam nos ſalutem æternam eſſe adepturos. Idem docet Paulus Gal. 2. v. 15 & 16.

Qua-

Quemadmodum & illi. Discipuli videlicet ex gentibus recenter ad Christum conversi, de quibus actum est suprà v. 7. 8. 9 & 10. confidunt se per idem gratuitum beneficium à Deo sibi in Christo exhibitum salute æternâ esse donandos. Relativa pronomina non semper referuntur ad id quod proximè antecessit, sed ad id de quo præcipuè agitur in toto discursu, ut videre est suprà cap. 7. v. 19. 10. v. 6. variisque aliis in locis. Hoc autem loco præcipuè & ex professo agitur de iis, qui ex Ethnicis recens facti sunt Christiani, non verò de veteribus Israelitis, de quibus cùm nulla mota fuerit quæstio, eorum tantùm quasi obiter facta est mentio versu proximè præcedenti.

12. *Tacuit*, &c. Q. d. Cùm autem Petrus sermonem suum absolvisset, conticuere omnes fratres, qui ibi congregati erant, etiam ii, qui antehac circumcisionem saluti consequendæ necessariam esse urgebant suprà v. 5.

Et *audiebant Barnabam & Paulum narrantes.* Ista narratio multùm faciebat ad confirmandam Petri sententiam, nimirùm non esse obligandos Gentiles ad observandas Legis ceremonias; cùm Deus magna signa & prodigia inter eos faciens per ministerium Pauli & Barnabæ, satis ostenderet se plocci facere circumcisionem, & alios ejusmodi ritus, quibus Gentiles non erant initiati: & *in Christo Jesu neque circumcisionem aliquid valere, neque præputium, sed novam creaturam*, Gal. 6. v. 15.

13. Et *postquam tacuerunt.* Paulus scilicet ac Barnabas.

Respondit. Hebraismus Scripturæ familiaris, id est, orsus est loqui.

Jacobus. Alphæi filius dictus Minor & frater Domini. *Jacobo*, inquit Curcellæus in tractatu de Ecclesia cap. 8. num. 9. *peculiariter demandata erat Ecclesia Hierosolymitana, ut ex Act. cap. 21. constat, ubi narratur Paulum, cùm Hierosolymam venisset, adiisse Jacobum & Seniores Ecclesiæ. Videtur quoque præsidisse in primo illo Concilio quod Hierosolymis habitum est Act. 15. Atque propterea quod in suo peculiari districtu celebraretur. Ipse enim est qui sententiam de controversia inter gentes orta, nomine totius cœtus pronuntiat, quod præsidis est munus. Ibi denique martyrio cursum consummavit. Nec mirum videri debet, si is cui totus orbis commissus erat, se uni urbi quodammodo includi permiserit: cùm Hierosolymas docendo, universum propemodùm orbem docuerit, propter ingentem Judæorum & gentium ad illam urbem confluxum.* Vide dicta suprà cap. 12. v. 17.

14. *Simon.* Qui videlicet à Christo nominatus fuit Petrus. Vide Mat. 4. v. 18. 10. v. 2. Jo 1. v. 43. 2 Pet. 2. v. 1. Hebræum nomen שמעון, Græcis litteris hîc & Luc. 2. v. 25. scribitur Συμεων. Græci verò pro eo usurparunt nomen Græcum soni similis Σίμων, ut Ecclesiasticus cap. 50. v. 1. Josephus, & nostri scriptores. *Sed hîc Lucas*, inquit Grotius, *Hi-*

Hebraicam pronuntiationem ſecutus eſt, quia Hebræum inducit loquentem Hebræus. Syrus & hîc & alibi eodem modo id nomen expreſſit. Errant qui de Simone illo agi putant, cujus Lucas meminit dicto cap. 2. Breviter repetit Jacobus à Petro dicta.

Narravit. Suprà v. 7.

Quemadmodum primùm. Nempe in Cornelio & ejus cognatis.

Deus viſitavit. Id eſt viſitans per Spiritus-ſancti illapſum declaravit.

Sumere ex gentibus populum nomini ſuo. Id eſt, ſe velle gentiles, qui anteà non erant ipſius populus, jam aſſumere ſibi in populum. Vide infrà v. 17 & Rom. 9. v. 25 & 26.

15. *Et huic concordant verba Prophetarum.* Id eſt, dicto Simonis Petri conſonant promiſſiones dudum in Scriptis Prophetarum datæ de gentibus in populum Dei aſſumendis.

Sicut Scriptum eſt. Q. d. Ut vel hoc uno è multis brevitatis cauſâ omiſſis teſtimonio, quod extat Amos 9. v. 11 & 12. perſpicuum fit. Ibi enim Deus non ſolùm promittit per ſuum Meſſiam reſtitutionem domûs & regni Davidici in integrum, ſed etiam evectionem ad multò majorem magnificentiam, cùm Gentes à ſuo fœdere alienas illuc introduceret, dirutâ ceremoniarum Legis Moſaicæ macerià, unde dicitur Epheſ. 2. v. 14 & 15.

16. *Poſt hæc revertar.* Senſum non verba Amoſi laudat Jacobus. Vide explicationem noſtram literalem Amos 9. v. 11 & 12. Reſpiciuntur autem hîs verbis verba quæ apud Amoſum antecedunt, in quibus Deus Iſraelitis peccatoribus minatus eſt pœnas graves. Sed minis iſtis ſubdit promiſſum fore ut aliquando, ipſis reconciliatus eos tempore à ſe præfinito rurſus beneficiis afficiat.

Ædificabo tabernaculum David. Id eſt, domum ſeu regnum David. Hebræis omne habitaculum dicitur *tabernaculum*, quia ea habitatio vetuſtiſſima. Senſus itaque hujus verſiculi idem eſt ac ſi dicat, Davidis regnum primò diviſum per abſceſſionem decem tribuum, dein penitùs collapſum reſtituam ut rurſus vigeat, ſicut anteactis temporibus Davidis, & Salomonis. Hoc vaticinium primo & craſſiore ſenſu in Zorobabele Chriſti typò, ſed perfectè demùm in ipſo Chriſto impletum eſt, & adhuc plenius implebitur, cùm ipſi Davidis filio adhæſerunt, adhæreb̃untque ex omnibus tribubus Iſraelitæ, ipſiûſque imperium Davidis ſolio adumbratum ſubierunt, & ad ſeculorum finem ſubibunt. Vide explicationem noſtram literalem Amos 9. v. 11. & Oſ. 1. v. 11. 3. v. 5.

17 *Ut requirant*, &c. Q. d. Tantum in ſplendorem reſtituetur regnum Davidicum, ut præter populum Iſraeliticum ei olim ſubjectum ceteræ quoque gentes ipſi ſubjiciantur, populóque

que Dei accenſeantur. Hoc quidem literali ac typico ſenſu completum fuit, cùm non exiguas partes Iſmaelitarum, Ammonitarum, & Moabitarum ſubjecere ſibi Maccabæi, Joſeph. 12 Antiq. 11 & 12. cúmque Hyrcanus Idumæos ſubjugaret, Joſeph. 13. Antiq. 17. Sed myſtico ſenſu a Spiritu-ſancto per Amoſi os loquente intento, impletur in Gentium ad Chriſtum converſione, ut eum unà cum Judæis Chriſtianiſmum amplexis ex animo religioſè colant, ex ejúſque placitis vivant. Hic verſus itidem de vocatione gentium exponitur in *Bereſchith Rabah* ſect 85.

Requirant. In Hebræo Amoſi textu eſt יִרְשׁוּ *poſſidant*, pro quo LXX legerunt יִדְרְשׁוּ *quærant*, niſi fortè poſſidendi verbum pro poſſidendi conatu atque ſtudio ſumſerint, quomodo ſumitur Deut. 2. v. 24 & 31.

Ceteri hominum. In textu Amoſi Hebræo eſt, אֵת שְׁאֵרִית אֲדוֹם, quod verti ſolet, *reliquias Edom.* Sed LXX particulam אֵת, quæ plerumque præponitur Accuſativo, hic pro nota Nominativi caſûs ſumſere, quomodo ſumitur 1 Sam. 17. v. 34. 2 Reg. 6. v. 5. 9. v. 25. Nehem. 9. v. 32 & 34. Jer. 33. v. 5. 38 v. 16. Ezech. 39. v. 14. Pro אֲדוֹם autem legiſſe videntur אָדָם, *aut potiùs*, inquit clariſſimus Ludovicus de Dieu, *ut alibi ſæpè, hìc quoque Edom latiùs quàm de proprio ſic dicto populo accipiendum ſunt arbitrati. Sicut enim duorum Rebeccæ filiorum Jacob Eccleſiam, ſic maximus natu Eſau ſive Edom omnes reliquos homines ab Eccleſia alienos adumbrabat. Quamobrem inſcriptis Rabbinorum Imperium Romanum, præſertim quum longè latéque per univerſum ferè orbem pateret, fuit nuncupatum* מַלְכוּת אֲדוֹם *atque etiamnum per* בְּנֵי אָדָם *Chriſtiani omnes ipſis intelliguntur. Quum itaque hìc à prophèta tabernaculo Davidis, id eſt, Reipublicæ Iſr aelis, opponantur reliquiæ Edom, ſatis commodè per ea reliquos homines intellexerunt.*

Dominum. Verba Amoſi ut à LXX vertuntur, nullum habent ſenſum, niſi ſubintelligatur id quod jamjam dixerat, tabernaculum Davidis inſtauratum, pro quo Jacobus ſubſtituit *Dominum*, id eſt, Deum hujus tabernaculi inſtauratorem atque herum, propter quem homines requirunt iſtud tabernaculum.

Super quas invocatum, &c. Vide dicta ad Amos 9. v. 12.

Nomen meum. Græcè additur Hebraico pleonaſmo ἐπ' αὐτούς *ſuper eos.* Iſtud αὐτούς refertur ad τὰ ἔθνη *gentes.* Nam quum per Gentes intelligantur homines Gentiles, magìs ſenſûs quàm vocum habetur ratio. Vide Mat 28. v. 19. Rom. 2. v. 14.

18. *Notum à ſeculo eſt Domino opus ſuum.* In vulgaribus codicibus Græcis habetur in plurali, *nota ſunt opera ſua.* Q. d. Neque mirum eſt Deum olim ante octo circiter ſecula per ſuum Prophetam Amoſum promulgaſſe conſilium ſuum de Gentium vo-

vocatione, quod nunc exequitur; quicquid enim facit Deus, aut omninò facturus est, ante secula prævisum est ei ac præfinitum. ἀπ' αἰῶνος, *à seculo*, & πρὸ αἰῶνος *ante ævum* seu *seculum* eadem significatione dici palàm fit conferenti Ephes. 1. v. 4. & 2 Tim. 1. v. 9. cum 2 Thess. 2. v. 13. & Apoc. 13. v. 8. 19. *Propter quod*, &c. Q. d. Itaque ex verbo Dei censeo, Gentilibus Christianam religionem amplectentibus importunum Legalium ceremoniarum jugum non esse imponendum, sed hortativam epistolam mittendam ut abstineant ab iis quæ citra pietatis detrimentum fieri nequeunt. Hesychius Hierosolymitanus Presbyter apud Photium in Bibliotheca cod. 275. de Jacobo Minori Apostolo nostro controversiam de necessitate observandarum Legum ceremonialium hîc dirimente, sic loquitur: Πῶς ἐγκωμιάσω τὸν χριστοῦ δοῦλον καὶ ἀδελφὸν, &c. *Quomodo prædicabo servum Christi & fratrem, novæ Jerusalem summum ducem, sacerdotum principem, Apostolorum caput, in capitibus verticem, in lampadibus superfulgentem, & inter astra maximè illustrem. Petrus prædicat, Jacobus decernit, & paucæ voces magnitudinem quæstionis comprehenderunt.* Ego judico non inquietari eos, &c. *Ego judico, cujus judicium abrogare non licet, neque depravare decreta. In me enim omnium judex vivorum & mortuorum loquitur meo organo, sed artifex suprà me est. Ego linguam præbeo, sed vocis opifex vocem suppeditat.*

20. *Sed Scribere.* Gr. ἐπιστεῖλαι, *mittere*, à quo verbo derivatur *epistola*. Sensus itaque est idem ac si dicat, sed mittendam eis epistolam hortativam.

Ut abstineant se à contaminationibus simulachrorum. Id est, ab idolothytis, seu ab iis, quæ sunt immolata simulachris, uti patet ex v. 29. *Idolothyta*, inquit Curcellæus in diatriba de esu sanguinis, *Jacobus sententiam in concilio dicens vocavit* τὰ ἀλισγήματα τῶν εἰδώλων, contaminationes simulachrorum. ἀλίσγημα enim contaminationem aut pollutionem significat; sed non quamvis promiscuè, verùm eam solùm quæ proficiscitur à cibis impuris, quales erant Israelitis quos Lex Moſis prohibebat, imprimis immolata Diis Gentium. *Unde Deus Malach. 1. v. 7. conqueritur Judæos offerre super altare suum* ἄρτους ἠλισγημένους, *id est*, panes pollutos. *Et legimus de Danielè & sociis ejus, quibus Rex Nabuchodonosor constituerat per singulos dies de cibis suis, & de vino unde bibebat ipse, eos proposuisse in corde suo ne polluerentur de mensa Regis, neque de vino potûs ejus, Dan. 1. Nempe quia verebantur ne inter cibos illos essent aliqui Lege sibi interdicti, Levitic 11. Deut. 14. aut idolis libati, de quibus mandatum habebant,* Ne ineas pactum cum hominibus illarum regionum, *terræ Canaan*; ne cùm fornicati fuerint cum Diis suis, & adoraverint simulachra eorum, vocet te quispiam ut comedas de immolatis. *Cujus rei periculosum habetur exemplum,*

Num. 25. *v.* 1, *&* seq. *Idolothyta autem duobus modis considerari possunt, ubi quæritur an illis vesci liceat. Primò, ut carnes quæ in macello veniunt, aut quæ nobis ab infideli aliquo, qui nos invitavit, privatim domi suæ offeruntur. Secundò ut carnes idolis consecratæ, & ideo peculiarem sanctitatem habentes, præsertim cùm in idolen ad falsi alicujus numinis honorem comeduntur, prout moris erat convivia in Sacrificiis Ethnicorum celebrare. Et in utroque considerantur à Paulo* 1 *Cor.* 8 *&* 10. *Priori modo idolothytis vesci, res est media seu indifferens, dummodò id fiat absque scandalo infirmorum.* 1 *Cor.* 10. *v.* 25, 26, 27, 28 *&* 29. *Posteriori modo, est res mala, utpote cum idololatriæ professione conjuncta, aut quæ saltem ita potest accipi ab iis qui mentem nostram non noverunt, & eis grave offendiculum præbere. Eóque pertinent ista,* Quæ immolant gentes, dæmoniis immolant, & non Deo. Nolo autem vos socios fieri Dæmoniorum. Non potestis calicem Domini bibere, & calicem Dæmoniorum: non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ Dæmoniorum. 1 *Cor.* 10. *v.* 20 & 21. *Unde videre est Apostolum non habuisse pro facto indifferenti, & extra casum scandali licito, vesci idolothytis in idoleo, sed pro re pessima, cui nullus bonus color induci posset. Quid ergo, inquies, sibi velunt hæc verba* 1 *Cor.* 8. *v.* 9, 10, *&* 11. Videte autem ne forte hæc licentia vestra *comedendi idolothyta* offendiculum fiat infirmis, &c. *Respondeo Apostolum ita loqui per concessionem, propter eos qui de scientia sua gloriabantur, & actionem fidelibus indignam, nempe quòd in idoleo cum gentibus accumberent, hoc vano prætextu defendebant, se scire idolum nihil esse, & ab eo quod nihil est inquinari non posse. Quibus ita obviàm it: Volo ut res se habeat quemadmodum dicitis: Attamen ab istis conviviis abstinere debetis in gratiam fratrum infirmorum, quibus periculosissimum scandalum præbetis. Quòd cùm non faciatis, in fratres vestros peccatis quos in damnationis æternæ discrimen conjicitis, & in Christum ipsum, qui illos morte suâ redemit. Quod ad me attinet, longè aliter animatus sum: mallem enim abstinere in æternum, non solùm ab istis victimis, sed etiam ab omnium carnium esu, quàm aliquod offendiculum fratri meo præbere. Vult ergo Paulus gemina de causa, Ethnicorum convivia in idoleis facta vitari, tum quod essent per se mala, & nemo iis absque idololatriæ approbatione aut simulatione interesse posset; tum quòd illa adeundo grave scandalum fratribus infirmis præberent. Sed postremam hanc rationem urget potissimùm* 1 *Cor.* 8. *rejectâ priori in caput* 10. *ubi ita acritur, ut vidimus, adversus illa convivia detonat, mensæ & calicis Dæmoniorum participationem vocans. Videtur autem Apostolus in hunc sermonem esse lapsus, occasione à Corinthiis suppeditatâ, qui ipsum de quibusdam interrogaverant per epistolam* 1 *Cor.* 7. *v.* 1. *&* speciatim *de idolothytis* 1 *Cor.* 8. *v.* 1 *&* seq. *fortè quomodo intelligendum esset decretum non diu antè factum ab Apostolis in Concilio Hierosolymitano. Habemus ergo optimum interpretem constitutionis, ex quo discere possumus,*

mus, quousque se extendat, & quantam vim obligandi conscientias Fidelium habeat prohibitio idolothytorum. Nempe cùm ea diversi sint generis, non posse ad hanc quæstionem nisi distinctione adhibitâ responderi. Esse nonnulla à quibus abstinere oporteat, propter solum scandali, quod inde oriri possit, metum: qualia sunt, quæ veneunt in macello, aut quæ privatim apponuntur in amicorum conviviis. Nonnulla verò à quibus abstinere oporteat, quia simpliciter & per se malum sit iis vesci: ut quæ comeduntur in idoleo, cum aliqua semper sive aperta, sive tacita idololatriæ approbatione. Ad posterius autem genus, quod est majoris momenti, Apostolos in celebri illi conventu potissimùm respexisse, quis dubitet? Interim fieri aliquando potest, ut gravi periculo non vacet iis vesci quæ in macello venalia prostant, ut docet historia Juliani Apostatæ; qui præ studio Ethnicam religionem propagandi, aut potiùs ægrè Christianis faciendi, cibos omnes in foro venales polluit sacrificiis, quæ Diis immolata erant, ut sic Christiani cogerentur vesci immolatitiis, nisi fame perire vellent. Qua de re memorabile est quod legimus apud Theodoretum Ecclesiasticæ historiæ lib. 3. cap. 14. Primùm fontes, tum qui in Urbe erant, tum qui Daphnæ, sceleratis victimis contaminavit, quo singuli qui aquam gustarent, tetrâ nequitiæ labe inficerentur. Deinde quæ in foro exponebantur, eâdem sceleris maculâ inquinavit. Nam panes, carnes, fructus, olera & alia omnia esculenta aquâ lustrali aspergebantur. Quæ cùm viderent Christiani, etsi non poterant non gemere, lamentari, & scelera illa impensè detestari, tamen eisdem vescuntur, legi Apostolicæ obsecuti, ita jubenti: Quicquid in macello venditur, comedite, nihil dijudicantes propter conscientiam. *Aliis notum est quanta in detestatione esset vulgò apud Christianos idolothytorum esus. Adeo ut Dominus Jesus imputet Jezabeli tanquam enorme scelus, quòd seduceret servos suos, fornicaretur, & manducaret de idolothytis, Apoc. 2. v. 20. Et Leo Magnus Epist. 79. cap. 5. decernit,* ut sive terror, sive fames suaserit ad edenda immolatitia, pœnitentiæ satisfactione purgentur qui id fecerint. *Sic cùm apud Minutium Felicem, Cæcilius objiceret Christianis,* Præcerptos cibos, & delibatos altaribus potus abhorretis; *mox respondet Octavius:* Quòd Sacrificiorum reliquias & pocula delibata contemnimus, non confessio timoris est, sed veræ libertatis assertio. Nam etsi omne quod nascitur, ut inviolabile Dei munus nullo opere corrumpitur, abstinemus tamen, ne quis nos existimet, aut Dæmoniis, quibus libatum est, cedere, aut nostræ religionis pudere. *Imò Augustinus tam scrupulosum in idolothytorum esu se ostendit, ut videatur potiùs laudaturus quempiam fame enecari, quàm illa attingere, ut testantur quæ epistola 154 ad Publicolam scribit:* Restat ut dicamus aliquid de illo viatore Christiano, quem commemorasti victum famis necessitate, si nihil uspiam invenerit, nisi cibum in idoleo positum ubi nullus alius est hominum,

utrum ei satius sit fame emori, quàm illud in alimentum sumere. In qua quæstione, quoniam non est consequens, ut cibus ille idolothytum sit; potuit enim vel ab eis, qui ibi ab itinere divertentes corpus refecerant, oblivione seu voluntate dimitti, vel illic ob aliam causam quamlibet poni; breviter respondeo, Aut certum est, esse idolothytum, aut certum est non esse, aut ignoratur. Si ergo certum est esse, meliùs Christianâ virtute resputur; *etiam cum manifesto mortis discrimine, ut supponit quæstio.* Si autem vel non esse scitur, vel ignoratur, sine ullo conscientiæ scrupulo in usum necessitatis assumitur. *Vide apparet Augustinum nequaquam pro re indifferenti habuisse idolothytorum esum, à quo tantùm propter scandali metum abstinendum esset; sed etiam pro re omninò in se mala, &, quamvis nemo esset conscius, vitanda. Supponit enim illic nullum alium esse hominum, qui isto facto offendi possit; & tamen præfert ab eo sibi temperare ex Christiana virtute, quàm aliquid vocatione suâ indignum ad conservandam vitam facere. Idemque semper judicarunt veteres Christiani, qui inter Paganos vixerunt; adeo ut multi mortem obire maluerint, quàm se aliquo ejusmodi cibo contaminare.* Celebratur in Martyrologio Romano ad 11. Martii *Octoginta Martyrum in Campania memoria, qui noluerunt carnis immolatitias comedere, nec caput capræ adorare. Cùm ergo abstinentia à sanguine ponatur ab Apostolis in suo decreto in eodem necessitatis gradu cum vitatione idolothytorum, quibus hodiè non liceret nobis vesci, si inter idololatras versaremur; ea non debet haberi pro lege ad tempus data & ad vitandum infirmorum scandalum, sed perpetua est usque ad mundi finem durationis, etiamsi nemo esset qui illius violatione offenderetur.*

Et fornicatione. Fornicationis vocem in usitatissima sua significatione accipimus pro commixtione soluti cum soluta, quæ vulgò non habebatur ab Ethnicis pro peccato, atque adeo metus erat ne qui ex eis Christo nomina sua dederant, sibi adhuc indulgerent, nisi diserte prohiberetur. Nam quàm parvi duxerint Gentiles istud peccatum, notum est ex illo Terentiano, *Non est flagitium, mihi crede, adolescentulum scortari*, &c. Et Ciceronis pro Cælio: *Detur aliquid huic ætati; sit adolescentia libera: non omnia voluptatibus denegentur*, &c. Item, *Quando hoc factum non est? quando reprehensum? quando non permissum?* Quin & tetricus ille Cato apud Horatium, cùm conspexisset juvenem ingredientem lupanar, dixit; *Huc æquum est juvenes descendere*; quasi illud probitatis & honestatis argumentum fuisset. Quamtùm fræno hîc indigerent Neophyti Christiani, docent seriæ adhortationes Pauli ad vitandam scortationem, 1 Cor. 6. v, 15 & seqq. 1 Thess. 4. v. 3 & 4. & alibi.

Et Suffocatis. Id est, animalibus vitâ privatis sine ulla sanguinis emissione. *Legimus*, inquit Curcellæus in diatriba de esu sanguinis cap. 11. *vocem πνικτὸν*, suffocati, *in codicibus Novi Testamen-*

Teſtamenti, quibus hodie utimur, inter illa quæ Apoſtoli recèns converſis Gentilibus prohibuerunt. Sed meritò nobis ſuſpecta eſt, cum à multis antiquis patribus non agnoſcatur, imò tanquam ſuppoſititia diſertè rejiciatur. Primus & antiquiſſimus eſt Irenæus lib. 3. adverſus hæreſes, cap. 12. ubi prolixè & verbo tenus, totum hunc locum à v. 7. uſque ad 30. deſcribens, nullam nec in ſententia Jacobi, nec in conſtitutione Apoſtolorum mentionem facit Suffocati. *Quod manifeſtum indicium eſt vocem iſtam abfuiſſe à codice quo uſus fuit. Nam ex memoria non recitaſſe docet accurata recenſio, & in qua nihil aliud deſideratur. Secundus eſt Tertullianus lib. de Pudicitia cap. 12, ubi cum cætera ad hunc locum pertinentia accuratè recenſeantur, non legitur etiam vox* Suffocati. *Tertius eſt Cyprianus, qui ad Quirinum lib. 3. hunc locum recitans* Suffocati *non meminit. Quartus eſt Hieronymus, qui in Gal. 5. ſic ſcribit:* In Actibus Apoſtolorum narrat hiſtoria, cùm quidam de circumciſione ſurgentes aſſeruiſſent eos qui ex gentibus crediderant debere circumcidi, & Legem cuſtodire Moyſi, Seniores qui Hieroſolymis erant & Apoſtolos pariter congregatos ſtatuiſſe per literas, ne ſuperponeretur eis jugum Legis, nec ampliùs obſervarent, niſi ut cuſtodirent ſe tantùm ab idolothytis, & ſanguine, & fornicatione; ſive, ut in nonnullis exemplaribus ſcriptum eſt, ἀπὸ πνικτῶν ἢ τῆς πνικτῆς, à Suffocatis vel Suffocato. *Quæ annotatio oſtendit iſtam vocem non fuiſſe inventam in pleriſque exemplaribus quæ in Hieronymi manus venerunt, & non conſtanter ita lectam. Quintus eſt Ambroſius, aut quiſquis autor eſt commentariorum, qui ſub ejus nomine feruntur in epiſtolas. Sic enim loquitur in Gal. 2.* Denique tria hæc mandata ab Apoſtolis & Senioribus data reperiuntur, quæ ignorant leges Romanæ, id eſt, ut obſervent ſe ab idololatria, & Sanguine, ſicut Noe, & fornicatione. Quæ Sophiſtæ Græcorum non intelligentes, ſcientes tamen à ſanguine abſtinendum, adulterant Scripturam, quartum mandatum addentes, & à Suffocato obſervandam. *Quiquid autem afferatur ad autoritatem hujus commentatoris deprimendam, nemini tamen ſani judicii perſuaderi poterit, eum ita auſurum loqui, ſi vox* πνικτῆς Suffocati, *quam rejicit, vulgò lecta fuiſſet. Indéque ſaltem apparet in majore exemplarium parte deſideratam tunc fuiſſe. Sextus eſt Auguſtinus, qui in Speculo recitat primùm ex Act. 15. verba decreti Apoſtolorum, deinde ex cap. 21. ea quæ illic Jacobus repetit, omiſſâ mentione* Suffocati. *Quod ab ipſo per oblivionem non eſſe factum, apparet ex his quæ addit:* Ubi videmus Apoſtolos eis qui ex Gentibus crediderunt, nulla voluiſſe onera veteris Legis imponere, quantùm attinet ad corporalis abſtinentiam voluptatis, niſi ut obſervarent ab his tribus, id eſt, ab eis quæ idolis immolarentur, & à ſanguine, & à ſcortatione. Unde nonnulli

putant tria tantùm esse crimina mortifera, idololatriam, homicidium, & fornicationem; ubi utique & adulterium, & omnis præter uxorem concubitus intelligitur. *Septimus est Pacianus Barcilonensis Episcopus, qui secundum Bellarminum obiit Theodosio imperante, in paranæsi ad pœnitentiam:* Visum enim est Sancto spiritui & nobis, nullum amplius imponi vobis pondus, præterquam hæc: Necesse est ut abstineatis vos ab idolothytis, & sanguine, & fornicatione: à quibus observantes, benè agetis. Valete. Hæc est Novi Testamenti tota conclusio. *Ubi nulla mentio fit* Suffocati. *Ultimus erit Gaudentius Episcopus Brixianus Philastrii successor in tractatu de Machabæis, qui* Suffocata *quidem memorat, sed non ut aliquid à sanguine distinctum, sub quo illa comprehendit.* Idcircò, *inquit*, beatus Jacobus cum ceteris Apostolis decretum tale constituit in Ecclesiis observandum: Ut abstineatis vos, inquit, ab immolatis, à fornicatione, & à sanguine, id est, à Suffocatis. Prætermiserunt homicidium, adulterium, veneficia; quoniam nec nominari in Ecclesiis oporteret quæ legibus etiam Gentilium punirentur. Prætermiserunt quoque illas omnes minutias observationum legalium; & sola hæc, quæ prædiximus, custodienda sanxerunt; ne vel sacrificatis diabolo cibis profanemur immundis; vel ne emortuo per viscera Suffocatorum animalium sanguine polluamur; vel ne immunditiis fornicationum corpora nostra, quæ templa Dei sunt, violemus. *Quæ omnia testimonia manifestè ostendunt particulam de* Suffocato *non inventam fuisse olim in plurimis Novi Testamenti exemplaribus, aut in sanguine comprehensam, ac proinde non sine causa in falsi suspicionem trahi posse. Quibus accedit hæc magni momenti ratio; Suffocatorum seu (quod eòdem redit) morticinorum esum, disertè fuisse Lege Mosaicâ concessum peregrinis, Deut. 14. v. 21. Peregrino tamen illi, vesci sanguine sub capitis pœna prohibitum erat Levitic. 17. v. 10, 11 & 12. Non autem est credibile Apostolos, qui cetera omnia Israelitis peculiaria Legis Mosaicæ onera tam studiosè à Gentilibus conversis removebant, gravius ullum quàm istud quo omnes Noachi posteri tenebantur, imponere eis voluisse. Imposuissent autem per Suffocati prohibitionem, quæ ad peculiarem Israelitarum disciplinam pertinebat, quemadmodum etiam accuratus ille jugulandi pecora, & à sanguine repurgandi modus, de quo videre est 1 Sam. 14. v. 33 & 34. Adde quòd non est difficile, si cura aliqua adhibeatur, sanguinem à morticinis & Suffocatis nostris abluere & separare. Nec aliter iis vellem hodie vesci Christianos, ut ostenderent quanti constitutionem Apostolicam faciant: quamvis non putem pietatem in ejusmodi minutiis consistere, quæ Judaismum*

daiſmum ſapiunt, & ſufficere ad vitandum peccatum, ſi nullus unquam ſeparatus à carne ſanguis comedatur.

Et ſanguine. Additur in quibuſdam exemplaribus, καὶ ὅσα μὴ θέλουσιν ἑαυτοῖς γίνεσθαι, ἑτέροις μὴ ποιεῖν, & *quæcunque nolunt ſibi fieri, aliis ne faciant.* Quod etiam ſub finem verſûs vigeſimi noni infrà repetitur paululùm immutatum, καὶ ὅσα μὴ θέλητε ἑαυτοῖς γίνεσθαι, ἑτέροις μὴ ποιεῖν, & *quæcunque noluerit is vobis ipſis fieri, aliis ne faciatis.* Iſta additamenta legunt Irenæus & Cyprianus locis ſuprà laudatis, retinuit interpres Æthiopicus, utì Ludovicus de Dieu adnotavit, atque Græca editio Complutenſis, *quæ*, inquit Curcellæus, *ad caſtigatiſſima vetuſtiſſimaque exemplaria fuit expreſſa, primùmque inter hoditernas locum meritò obtinet.* De prohibitione ſanguinis fuſiùs agemus infrà v. 29. Illud tantùm hîc obſervo, ſingularem benedictionem abſtinentibus a ſanguine promiſſam eſſe Deut. 12. v. 25. eam verò phraſim in comminatione ἀποπροφάσιον, id eſt, ſanguivororum, uſurpatam Levitic. 17. v. 10. quâ graviſſima pœna idolorum cultoribus denuntiatur Levitic. 20. v. 5. Illam autem non adhiberi adverſus tranſgreſſores tertii alicujus præcepti præter iſta duo de idololatria & comeſtione ſanguinis, Maimonides annotat More Nevochim p. 3. cap. 46.

21. *Moyſes enim*, &c. Mens Jacobi procul dubio hîc eſt reddere judicii ſui rationem, ſed ad quam ejus partem reſpiciat, non ita liquet. Clariſſimus Curcellæus putat ad poſtremam; nempe cur ſcribendum ſit ad eos qui ex Gentibus ad Chriſtianam fidem convertebantur; quia niſi id fiat, & declaretur ipſos eſſe liberatos à rituum Legis obſervatione, putabunt ſe iis adhuc teneri, cùm interſint Synagogis Judæorum, in quibus Lex Moſis quâ diſtrictè præcipiuntur, ſingulis Sabbatis legi ſolet. Chryſoſtomus cenſet rationem reddi à Jacobo, cur neceſſe non ſit hac de re ſcribere ad Judæos, qui fidem Chriſti amplexi ſunt, ſicut ad Gentiles Neophytos; nempe quia illi ſatìs ſciunt quid ſui ſit officii, ex Lege quæ iis in Synagoga, ſecundum antiquam conſuetudinem, ſingulis Sabbatis prælegitur. *Quid eſt*, inquit Hom. 33. in Acta Apoſtolorum, *Ego judico? Id eſt, cum poteſtate dico ſcribendum illis, ut abſtineant ab immolatis idolorum, & fornicatione, & Suffocato, & ſanguine. Hæc enim licèt corporalia, tamen obſervatu neceſſaria, quoniam magna procurant mala. Et ne quis objiciat, Quare non & Judæis eadem ſcribimus? Addit: Moſes ab ætatibus antiquis per ſingulas civitates habet eos qui ipſum prædicant: hoc eſt, Moſes illis continuò loquitur: hoc enim eſt quod per omne Sabbatum legitur.* Paulò pòſt: *Ceterùm oſtendit non eſſe ſermonem ad gratificandum compoſitum, neque ad parcendum illis quaſi infirmis, ſed contrarium.*

travium. *Magnus enim & doctorum pudor fuisset, superfluumque fuisset onus.* Hugoni Grotio sensus hujus versiculi hic videtur esse per ἀνυπεροφὰν, *subjectionem. Nam quòd ad Mosem attinet, non possunt qui ex Judæis sunt queri eum sperni ab alienigenis nostri gregis, quando in nostris non minùs quam in Judaicis conventibus Mosis, ita ut ab antiquo factum est, legitur, & quidem Sabbatis.* Curcellæi interpretatio magis arridet, utpote quæ magis sponte fluit, cùm Chrysostomi & Grotii interpretationes aliquid coactum habere videantur.

A temporibus antiquis. Id est, si Grotii interpretationem sequimur, *ut olim, nihil in hoc immutato more.* Vide quæ suprà adnotavimus. cap. 13. v. 15.

Habet in singulis civitatibus. Christianorum. Ubi scilicet Judæi, sive Christiani, sive utrique simul degunt.

Qui eum prædicent. Hoc est, qui Mosis Legem publicè coram populo legant. Κηρύσσειν, *prædicare*, inquit Grotius, *est altâ voce pronuntiare, ut Exod. 32. v. 5. Mat. 3. v. 1. & alibi sæpè.*

In Synagogis. Per has vulgò significantur sacri Judæorum conventus. Grotius tamen putat hîc intelligi de Christianorum congregationibus, ut Jac. 2. v. 2. Theophilo Antiocheno, Συναγωγαὶ αἱ καλούμεναι ἐκκλησίαι, *Synagogæ, quas Ecclesias dicimus.*

Ubi per omne Sabbatum legitur. Christianorum mos vetus, qui etiamnum apud Moscovitas seu Russos, Syros seu Melchitas, & Abyssinos manet, convenire non minùs Sabbati quàm Dominicis diebus. Autor constitutionum Apostolicarum sub nomine Clementis Romani Pontificis lib. 7. cap. 23. τὸ σάββατον μία τοι καὶ τὴν κυριακὴν ἑορτάζετε, &c. *Diem Sabbati & diem Dominicam festas habete, quoniam illa Creationis, altera Resurrectionis memoriæ dicata est.* Constantinus Magnus, uti Eusebius testatur lib. 4. de vita Constantini cap. 18. *statuit ut cuncti in Romano imperio degentes, diebus de Servatoris nomine nuncupatis ab omni opere servarentur: similiter etiam Sabbati dies colerent.* Gregorius Nyssenus in oratione adversus eos qui ægrè ferunt reprehensiones: *Quibus oculis vides diem Dominicum, qui despicatus es Sabbatum? An nescis quòd hi dies fratres sunt? Quod si alterum probro afficeris, alterum offendis.* Asterius Amaseæ Episcopus homil. de repudio: *Pra clara Christianis, & laboris amantibus duarum est harum copula ac concursus dierum, Sabbati inquam & Dominicæ, quos tempus in orbem recurrens hebdomadis singulis reducit. Nam quasi matres & nutrices Ecclesiæ, & populum congregant, & sacerdotes ad docendum considere faciunt; atque adeo cùm discipulos, tum doctores ad animarum curam ducunt ac impellunt.* Socrates Hist. lib. 5. cap. 22. testatur *omnes ubique in orbe terrarum Ecclesias, singulis septi-*

manis

navis vertentibus die Sabbati mysteria celebrasse: excepta tantùm Romanâ & Alexandrinâ. Et lib. 6. cap. 8. loquens de turbis quas Ariani tempore Joannis Chrysostomi Constantinopoli excitaverant, ait: *Cùm festa cujusque septimanæ occurrebant, videlicet Sabbatum & dies Dominicus, in quibus conventus in Ecclesiis fieri solent*, &c. Sozomenus lib. 7. cap. 19. *Alii Sabbato & consimiliter primâ hebdomadis die conveniunt, ut Constantinopoli, & apud alios ferè omnes: Romæ autem & Alexandriæ non item.* Anastasius Nicænus lib. quæst. q. 77. *Sabbatum & dies Dominicus sunt dies sancti & festi, neque licet in eis jejunare.* Theodorus Balsamon, *Sabbata à Sanctis patribus propè in omnibus exæquata sunt Dominicis diebus.* Hinc etiam ortum illud, ut sicut diebus dominicis non jejunabatur tanquam lætitiæ diebus, utì docet Gangrensis Synodus can. 18. ita nec Sabbatis excepto uno ante paschа. In canonibus Apostolorum, quos hypobolimæos esse constat inter eruditiores, sed tamen antiquos, ita habet canon 65. *Si quis Clericus inventus fuerit in sancto die Dominico aut Sabbato jejunans, præter unum & solum*, quod proximè præcedit solemnitatem Paschalem, quo Christus jacuit in Sepulchro, *deponatur*; *sin autem laicus, segregetur*: Ignatius in epistola ad Philippenses: *Siquis Dominicâ aut Sabbato jejunaverit, præterquam uno Sabbato Paschæ ille est Christi interfector.* Atque ut cetera Antiquitatis testimonia brevitatis causâ omittam, Tertullianus lib. 4. adversus Marcionem, *veniam jejunii* dicit *privilegium donatum Sabbato à primordio mundi.* Cùm ergo Justinus Martyr & Tertullianus Patriarchas ante Mosem negant Sabbatizasse, id intelligendum non de conventibus, sed de rigido per totum diem otio. Ignatius in epistol. ad Magnesios, *Ne Sabbatizemus Judaico more velut otio gaudentes: Qui enim non operatur non manducet*; *In sudore vultus tui vescēris pane tuo, dicunt eloquia. Sed unusquisque vestrum Sabbatizet Spiritualiter, meditationi Legis congaudens, non corporis quieti: fabricationem Dei admirans, non pridiana comedens, & tepidum bibens, & mensuratè ambulans, & saltationi ac tripudiis irrationabilibus gaudens. Sed post Sabbatizationem peractam omnis Christianus festum celebret diem Dominicum.* Origenes hom. 23. *in* Numeros: *Oportet Sanctorum quemque & justum agere etiam Sabbati festivitatem. Quæ est autem illa festivitas Sabbati, nisi illa de qua Apostolus dicit Heb. 4. Relinquitur ergo Sabbatismus, hoc est, Sabbati observatio, populo Dei? Relinquentes ergo Judaicas Sabbati observationes, qualis esse debeat Christiano Sabbati observatio videamus. Die Sabbati nihil ex omnibus mundi actibus oportet operari. Si ergo desinas ab omnibus secularibus operibus, & nihil mun-*

mundanum geras, sed Spiritualibus operibus vaces, ad Ecclesiam convenias, lectionibus divinis & tractatibus aurem præbeas, & de cœlestibus cogites, de futura spe sollicitudinem geras, venturum judicium præ oculis habeas, non respicias ad præsentia & visibilia, sed ad invisibilia & futura, hæc est observatio Sabbati Christiani. Sabbatis autem in primorum Christianorum conventibus solebat Sacra Scriptura Legis veteris prælegi populo, planè ut apud Judæos. Hanc consuetudinem mutavit Synodus Laodicena circa annum Christi 364. habita, voluitque Sabbatis non minùs Evangelia, quàm veteres Scripturas legi, can. 16.

22. *Tunc*, &c. Q. d. Omnibus, qui huic concilio Hierosolymitano intererant, æquissimam Jacobi Apostoli sententiam comprobantibus, ut confestim executioni mandaretur, atque ita lis in Ecclesia Antiochena exorta, quæ ad alias quoque facile dimanare poterat, feliciter componeretur, omnium consensu atque suffragiis electi sunt Judas & Silas, viri inter fratres præcipui nominis & autoritatis, in quos nulla suspicio cadebat quod alteri parti in hac controversia essent addictiores, ut unà cum Paulo ac Barnaba Antiochiam pergerent, cóque Synodi epistolam deferrent.

Eligere viros ex iis. Qui Concilio intererant.

Et mittere Antiochiam cum Paulo & Barnaba. Cùm Paulus & Barnabas partem quasi alteram in controversia de rituum Legis Mosaicæ observatione facerent, & multis suspecti essent, veluti erga Mosis Legem minùs æqui, non conveniebat ut soli Antiochiam remitterentur.

Judam, qui cognominabatur Barsabas. Forsan fratrem illius Josephi Justi, qui etiam cognominatus est Barsabas suprà cap. 1. v. 23.

Et Silam. Hic videtur esse is, qui vocatur Silvanus 2 Cor. 1. v. 19. 1 Thes. 1. v. 1. 2 Thes. 1. v. 1. & 1 Pet. 5. v. 12.

Viros primos. Gr. ἄνδρας ἡγουμένους, *viros ductores.* Hoc est, viros præcipuæ existimationis & autoritatis.

In fratribus. Id est, inter fratres seu Christi discipulos.

23. *Scribentes*, &c. Q. d. Scriptâ epistolâ Synodicâ, ipsorum ministerio Ecclesiis tradendâ, cujus hæc erant verba: *Apostoli, & Seniores, & fratres*, &c. Optimè autem adnotavit Beza perperàm copulam à vulgato interprete omitti. *Distinguuntur enim*, inquit, *hîc manifestè Apostoli & Seniores à reliquo cœtu, cùm tamen omnium communi sententia & nomine scribatur epistola, re videlicet totâ post antegressum συμβούλευσιν Apostolorum & Seniorum, in communi totius Ecclesiæ cœtu ratâ habitâ.*

His qui sunt, &c. Scribunt epistolam incircumcisis fratribus qui erant in metropoli Syriæ Antiochia, & in reliqua præter Antio-

Antiochiam Syrorum regione, atque in Cilicia Syriæ proxima, in cujus Metropoli Tarso Paulus inde oriundus post suam ad Christum conversionem versans suprà cap. 9. v. 30. & 11. v. 25. procul dubio non paucos ad Christianam religionem converterat. Quod autem scribunt ad hos, inter quos mota erat controversia de necessitate observandi ritus Legis Mosaicæ, hoc institutioni omnium aliorum Gentilium, qui ad fidem Christi convertebantur, in pari casu inservire poterat. Unde infrà cap. 16. v. 4. dicitur de Paulo & Silaeos, quum pertransirent civitates, in quibus jam erant Ecclesiæ Christianæ, tradidisse ipsis observanda illa decreta, quæ cum consensu totius Ecclesiæ sancita erant ab Apostolis & Senioribus, qui erant Hierosolymis. Istæ enim civitates non tantùm erant Syriæ & Ciliciæ, sed etiam multarum aliarum provinciarum. Et Paulus de eadem materia scribit ad Corinthios cap. 8 & 10. epistolæ primæ. Imo hodie quoque, & omnibus qui usquam terrarum sunt Christianis ostendit hæc epistola ipsos ad observandas Legis Mosaicæ ceremonias non esse obligatos. Nullus enim æquè illustris in toto Novo Testamento occurrit locus, ubi istud apertè & ex professo doceatur.

Salutem. Gr. χαίρειν, *gaudere.* Salutandi formulæ apud Græcos in epistolarum fronte hæ sunt, χαίρειν, ὑγιαίνειν, καὶ εὐπράττειν, *gaudere, valere, benè agere*: in quibus subauditur εὔχεται, vel εὔχονται, *precatur, optat*, vel *precantur, optant.* χαίρειν ad animum pertinet, ὑγιαίνειν ad corpus, εὐπράττειν ad res externas. Latini horum loco usurpant, ut plurimùm, *salutem*, Hebræi שלום *pacem*, unâ voce comprehendentes omnem felicitatem & prosperitatem, bonáque omnia tam animi, quàm corporis, nec non ea quæ fortunæ bona vocantur. Græcismum imitatus est Horatius in epistola, quæ incipit, *Celso gaudere.*

24. *Quidam ex nobis exeuntes.* Id est quidam Judæi ad Christum conversi è Judæa Antiochiam devenientes. Vide suprà v. 1.

Turbaverunt vos verbis, Id est, vaniloquentiâ suâ vos conturbarunt.

Evertentes animas vestras. Hoc est, ex certis, & quietis incertas dubiásque reddentes conscientias vestras. Gr. additur, λέγοντες περιτέμνεσθαι καὶ τηρεῖν τὸν νόμον, *jubentes circumcidi & servare Legem.* Scilicet ceremonialem Mosis; de hac quippe sola erat controversia, cùm nemo in dubium revocaret quin omnia moralia Legis præcepta Christianis sint observanda & exequenda. λέγω & ἔπω pro *jubeo* non est insolens. Vide Mat. 4. v. 3. Mar. 5. v. 43. Luc. 12. v. 13. & 19. v. 15, &c. Sic & אמר apud Hebræos 1 Reg. 11. v. 18. 1 Par. 20. v. 17. Esther 1. v. 10 & 11. & alibi: *Unde*, inquit Ludovicus de Dieu, *apud Arabes nihil aliud est quàm mandare.*

Quibus

Quibus non mandavimus. Hoc est, quibus mandata talia non dedimus. Protestantur Apostoli, & Ecclesiæ Jerosolymitanæ Seniores aliisque fratres se non esse autores, neque assensores hujus doctrinæ, quâ asseritur circumcisionem & alios ritus Legales ad salutem observatu esse necessarios.

26. *Tradiderunt animas suas.* Id est, intulerunt se in periculum capitis atque vitæ discrimen, suprà cap. 13. v. 50. & 14. v. 19.

Pro nomine Domini nostri Jesu Christi. Id est, pro Christo Domino, ut scilicet gloriam ac Evangelium ejus propagarent.

27. *Qui & ipsi vobis verbis referent eadem.* Quæ nimirum epistola continet, ut tum Scripto, tum vivâ voce concors sententia nostra vobis innotescat.

28. *Visum est enim Spiritui-sancto & nobis.* Hoc est, visum est nobis qui per Spiritum-sanctum afflati sumus. ‘Unde, inquit ‘*præclarè pro more Curcellæus*, apparet quantæ autoritatis apud ‘nos esse debeat decretum istud Apostolicum, quod non ‘propriè ab hominibus, sed ab ipso Spiritu-sancto, quo regebantur, dictatum est. Nam si magni facimus singulos Novi ‘Testamenti libros, quia persuasi sumus, scriptores illorum à ‘Spiritu-sancto fuisse inspiratos: quantò magis hoc epistolium, ‘quod tot magni viri, Spiritu-sancto pleni dictaverant? Proinde non est ullo pacto verisimile, in eo solùm agi de rebus indifferentibus, & quæ ad exiguum tempus, vitandi scandali causâ, observari deberent; cùm majestas autorum, à quibus ‘emanavit, primò Spiritus-sancti, deinde plurium Apostolorum, & virorum Apostolicorum, contrarium suadeat, nimirùm in eo tractari de gravissimis dogmatibus, & quæ ad totius Ecclesiæ Christianæ, usque ad finem mundi, ædificationem pertinerent. Si tam magnos autores haberent decreta ‘Conciliorum, quæ posteà celebrata sunt, O quam obviis ulnis ‘ab omnibus veritatis divinæ amatoribus reciperentur! & quanti ponderis essent inter bonos ad controversiarum in Ecclesiâ ‘Christianis exortarum decisionem! Sed, proh dolor! in multis eorum, quæ dicunt, Visum est Spiritui-sancto & nobis, potiùs præsedit Spiritus ambitionis, avaritiæ, iræ, invidiæ, præsumtionis, ignorantiæ, nequid pejus dicam, quàm mansuetus & placidus Christi spiritus. Quid igitur mirum simili ‘inde boni profectum sit, & lites nostras, ut sperabatur, non ‘composuerint, sed potiùs multiplicarint, & atque magis exacerbaverint?

Nihil ultrà vobis imponere oneris. Nomine *oneris* intelligi non debent præcepta morum, quorum honestatem natura sola unumquemque statim, absque alterius præceptoris ope, docere potest.

poteſt. 'Sicut enim, *inquit Curcellæus*, Politicæ leges gentili-'um neminem liberabant ab ejuſmodi onere, ita neque Lex 'Chriſti, quæ perfectioris ſanctimoniæ eſt magiſtra. Nec 'vocari debent onus quæ tam honeſta ſunt, ut ab omnibus qui 'norunt, etiam nemine præcipiente obſervari debeant. Sed 'onus vocantur quædam poſitivæ leges, quæ in honeſtate qui-'dem naturali fundatæ ſunt; ſed tamen non ita apertè ut omnes 'id illicò animadvertant, & mediæ ſunt naturæ inter morales, '& illas poſitivas, quæ à mero legiſlatoris arbitrio pendent; 'unde fit ut neceſſe habeant à magiſtris commendari & incul-'cari, ne ignorentur aut negligantur. Ex hujuſmodi ergo 'ordine legum, quarum plurimos Moſes tulit, viſum eſt A-'poſtolis tantùm iſtas, de quibus poſteà, præſcribere gentili-'bus qui ad fidem accederent, & præcipuè liberare eos circum-'cifionis jugo, à qua plurimi valde abhorrebant, ne Chriſtia-'næ diſciplinæ difficultas Evangelii curſum remoraretur. Et 'iſta conſentaneè Petri ſententiæ atque Jacobi *ſuprà v.* 10 & 19.

Quàm hæc neceſſaria. Gr. πλὴν ἧς ἐπάναγκες τούτων, *præ-terquàm horum neceſſariò*, ſubaudi, obſervandorum. Grotius an-notat eſſe phraſin purè Græcam, atque apud Demoſthenem & Plutarchum dici de iis rebus quas lege fieri oportet, & ſubau-diri ὄντων, húncque locum vertit, *Præter hæc quæ omninò opus eſt fieri.* Tertullianus, *quàm eorum quibus neceſſe eſt abſtinere.* Cy-prianus, *quàm iſta quæ ex neceſſitate fiunt.* Sed Salmaſius lib. de fœnore trapezitico pag. 440. putat hunc locum eſſe corrup-tum. *Omninò*, inquit, *in Græcis legendum*, πλὴν ἧς ἐπ' ἀνάγ-κης τούτων, *non ut vulgò eſt*, ἐπάναγκες. *Quod in hac conſtructione omninò Græcum non eſt, nec poteſt ferri. At* ἐπ' ἀνάγκης ἔχω, *ne-ceſſe habeo, Græci dicunt; qui &* ἐπάναγκες ἔχω *poſſunt dicere, ſed hîc, ut Syntaxis hujus loci eſt, non convenit.* Egregiè autem ad-notavit Reverendus Doctor Theologus Eduardus *Stilling fleet*, nunc Decanus S. Pauli Londinenſis meritiſſimus, non fuiſſe ſatis Apoſtolis res fore obſervatu neceſſarias, ubi ab ipſis fuerint præceptæ, ſed præviam ſuæ præceptioni rerum ſervandarum neceſſitatem requiſiiſſe ut illas præciperent. **It was not enough for them that the things would be neceſſary when they had required them, but they looked on an antecedent neceſsity either abſolute, or for the preſent ſtate, which was the only ground of their impoſing thoſe commands upon the Gentile-Chriſtians.** Hæc in præfat. ad *Irenicum* ille notæ pietatis vir, quo vix præſtantior alter eruditione ſacrâ & ſeculari, ingenio & eloquentiâ, cujus libera-

lem

lem pauperibus ac peregrinis gratificandi voluntatem me insigniter fuisse expertum gratè memini.

29. *Ut abstineatis vos ab immolatis simulachrorum.* Christiani, ut ait Justinus Martyr cum Tryphone disputans, *tormentum & supplicium omne potiùs ad extremam usque mortem subirint, quam ut simulachra colant, vel simulachris immolata edant.* Et cùm Tryphon dixisset, *esse quosdam qui Christiani dicerentur, & ederent idolothyta, dicerentque eâ re animum non obstringi*, respondet *eos id quidem nomen usurpare, sed ea docere quæ sunt à Spiritu seductore.* Vide quæ adnotavimus suprà v. 20.

Et sanguine. Scilicet de industria cocto ac concreto, utì Zonaras, seu deditâ operâ asservato, utì Balsamo ad can. secundum Gangrensem interpretatur. Causa cur Apostoli voluerint Gentiles ad Christum conversos abstinere à sanguine, hæc creditа est à veteribus Christianis, quòd illi Mosis quidem præceptis, quæ Israelitis data erant, non tenebantur, neque circumcisionis lege, quæ solos Abrahami obstringebat posteros, liberi autem non erant ab iis quæ Adamo & Noæ Deus præceperat, ad quæ addidit quædam Christus, demsit nihil. Nimirum ut Tertullianus loquitur lib. de Monogamia; *In Christo omnia revocantur ad initium, ut & fides reversa sit à circumcisionis ad integritatem carnis illius, sicut ab initio fuit: & matrimonii individuitas, sicut ab initio fuit. & repudii cohibitio, quod ab initio non fuit, & postremò totus homo in paradisum revocatur, ubi ab initio fuit.* Idem in libro de jejuniis, agens de Apostolica sanguinis prohibitione ait, *Æquè post diluvium in reformatione generis humani sufficisse unam interim legem à sanguine abstinendi, permisso usu cæterorum.* Hoc autem de sanguine mero & à carne separato intelligendum est, non de guttulis fortè aliquot, quæ non satis diligenter expurgatæ fuerint, & in venis remanserint. *Et certè*, inquit Grotius, *præcepti hujus, sicut observatio non nimis superstitiosa est facilis, ita causæ honestæ admodùm. Nam si quod naturale est spectamus, solent quæ tali alimento utuntur Gentes efferari, quod in America maximè perspectum est: si verò id quod morale est, optima & apertissima significatio est, à vindicta abstinendum. Nam qui se vindicat, pasci sanguine dicitur. Addit Origenes aliam causam quòd dæmones pasci sanguine crederentur.* Cùm ergo Paulus dicit 1 Cor. 10. v. 25. *Omne quod in macello vænit, manducate: nihil interrogantes propter conscientiam*: id restringi debet, utì monet Clemens Alexandrinus Stromatum lib. 4. 'Convenienter exceptioni 'eorum quæ ostenduntur in Catholica omnium Apostolorum 'epistola: quæ, quod ita visum fuit Spiritui-sancto, scripta est 'in Actis Apostolorum; lata autem fuit ad fideles per ipsum 'Paulum, qui ministrabat. Hinc S. Biblis apud Eusebium, 5 Hist. 1. tormentis subjecta, ut confiteretur Christianos infanti-

ſanguinibus veſci, generoſè reſpondit: *Quomodo infantes ederent illi, quibus ne irrationalium quidem pecudum ſanguine veſci licet?* Autor quæſt. & reſponſ. ad Orthodoxos apud Juſtinum q. 145. 'Cùm 'ex iiſdem conſtet ſanguis, ex quibus caro, quare Deus car-'nis animalium eſum permittit, carnis autem in ſanguine uſum 'interdicit? Excepto, inquit, quod carnem in ſanguine non 'comedetis? Reſp. Ut ea quoque in re Deus nos à ferarum 'immanitate ſecerneret, quæ in laniatu carnium, ſanguinem 'quoque eorum lambunt, quorum vorant carnes. Clemens Alexand. pædagog. lib. 3. cap. 3. ubi cùm retuliſſet Scythas ſanguinem equorum, & Arabes camelorum potare ſolitos, ſubjungit: 'Pereant ergo immanes belluæ, quibus eſt cibus 'ſanguis. Neque enim hominibus fas eſt tangere ſanguinem, 'quibus corpus nihil aliud eſt quàm caro ſanguine exculta. Origenes lib. 8. contra Celſum: 'Suffocata ſunt animalia mor-'tua non expreſſo ex illis ſanguine; quæ utique dæmonum 'aiunt eſſe cibum, cujus nidore illi paſcantur. Hæc idcircò 'vetantur in cibum aſſumi, ne nos dæmonum cibis nutriamur; '& nobiſcum maligni Spiritus coalantur, ſi pariter cum illis 'veſcamur Suffocatis. Idem in Mat. 15. *Ex fide veſcitur qui, quod editur, credit non fuiſſe immolatum in Sacrificiis idolorum, neque Suffocatum eſſe aut ſanguinem.* Et in ep. ad Rom. lib. 2. cap. 2. *Vides hanc de obſervatione ſanguinis legem, quæ communiter & filiis Iſrael & advenis data eſt, obſervari etiam à nobis, qui ex gentibus per Jeſum Chriſtum credimus Deo. Nos enim proſelytos & advenas Scriptura nominare conſuevit.* Tertullianus in Apologet. cap. 9. Gentiles refutaturus, qui Chriſtianis infanticidia & Thyeſtæas cœnas objiciebant, dicit: 'Erubeſcat error veſter Chriſtianis, 'qui ne animalium quidem ſanguinem in epulis eſculentis ha-'bemus, qui propterea quoque Suffocatis & morticinis abſtine-'mus, ne quo modo ſanguine contaminemur, vel intra viſcera 'ſepulto. Denique inter tentamenta Chriſtianorum botulos 'etiam cruore diſtentos admovetis: certiſſimi ſcilicet illicitum 'eſſe penes illos, per quod exorbitare eos vultis. Porrò qua-'le eſt, ut quos ſanguinem pecoris horrere confiditis, humano 'inhiare credatis? Niſi fortè ſuaviorem experti. Octavius a-pud Minutium Felicem: 'Nobis homicidium nec videre fas 'eſt, nec audire; tantúmque ab humano ſanguine cavemus, ut 'nec edulium pecorum in cibis ſanguinem noverimus. In ca-nonibus Apoſtolicis, qui liber antiquiſſimos Eccleſiæ mores continet, ſic habet canon 63. 'Siquis Epiſcopus, Preſbyterve, 'aut Diaconus, aut quivis denique ſacri ordinis, carnem in 'ſanguine animæ ejus ederit, morticinúmve, aut à feris cap-'tum, deponitor: hoc enim lex prohibuit. Sin autem ſit lai-'cus, communione excluditor. Concilium Gangrenſe anno

Chriſti

Christi 325. can. 2. *Siquis eum, qui cum pietate & fide comederit carnem sanguine, idolorum immolatione aut Suffocatione non infectam condemnaverit tanquam talem, qui propter hujusmodi participationem spem non habeat, anathema sit.* Et ut Patres carnium usum in quosdam hæreticos asserturi, illa tamen excipiunt, *sanguinem, idolothytum, & Suffocatum.* Cyrillus Hierosolymitanus Catech. 4. ‘Scribunt Apostoli & Seniores omnibus gentibus communem ‘Catholicam epistolam, ut imprimis idolothytis abstineant, ‘deinde & sanguine atque Suffocato. Nam hominum multi ‘feri & immanes, moréque canino viventes, sanguinem lambunt, agrestium & ferocium belluarum instar Suffocata devorant abundè, Confer catech. 17. Pacianus Barcinonensis episcopus in paræneſi ad Pœnitent. dicit *epitomen Novi Testamenti esse, abstinere ab idolothytis, sanguine & Suffocato, & contrà facere esse magnum peccatum.* Vide quæ laudavimus ex Chrysostomo suprà v. 21. In Concilio Secundo Aurelianensi anno Christi 536. Can. 19, & 23. decretum: *Catholici qui ad idolorum cultum revertuntur; vel qui cibis idolorum cultibus immolatis gustu illicitæ præsumtionis utuntur, ab Ecclesiæ cœtibus arceantur. Similiter & hi qui bestiarum morsibus extincto, vel quolibet morbo aut casu Suffocato vescuntur.* Theodorus, ut quidam volunt, Archiepiscopus Cantuariensis in Pœnitentiali: ‘Animalia, quæ à lupis seu canibus ‘lacerantur, non sunt comedenda, nec cervus, nec capreus, si ‘mortui inventi fuerint, nisi fortè ab homine adhuc viva occidantur priùs, sed porcis & canibus dentur. Aves vero & cetera animalia, si in retibus strangulantur, non sunt comedenda; ‘nec si accipiter oppresserit, & sic mortua inveniantur: quia ‘in Actibus Apostolorum præcipitur aostinere à fornicatione, ‘sanguine & Suffocato, & idololatria. Qui manducat carnem ‘immundam, aut morticinum, aut dilaceratum à bestia, quadraginta dies pœniteat. Apud Burchardum decret. lib. 19. c. 85, & 88. & Reginonem lib. 2. de Eccles. disciplc. cap. 369. Confer cap. 371 & 372. In Concilio Rothomagensi anno 682. celebrato, *Interrogandum si aliquis sanguinem, morticinum, aut dilaceratum à bestia comedat.* Apud Reginonem lib. 2. de Eccl. disciplc. cap. 5. num. 46. Burchard. lib. 1. cap. 94. num. 45. & seqq. In Synodo sexta Constantinopolitana in Trullo Anno Christi 692 conditus canon 67. *Sacra Scriptura nobis præcipit, ut abstineamus à sanguine, & Suffocato, & fornicatione. Meritò igitur damnamus eos, qui cujuscunque animalis sanguinem, arte aliquâ condiunt, & sic comedunt. Qui hoc fecerit clericus deponatur, laicus excommunicetur.* Beda lib. de remediis peccati cap. 14. *Qui morticinum inscius comederit, viginti dies pœniteat. Qui fraudatus comederit, & est inops vel hebes, quatuor dies pœniteat. Sani autem & infirmi si sciant, quadraginta dies pœnitent. Qui sæpè faciunt, ii qua-*

quadragesimam, vel annum. Quem locum Bedæ emendat Salmasius lib. 2. de fœnore trapezitico, pro *fraudato* legens *Suffocatum*, vel *afratum*, quod est lucanici genus. At in pœnitentiali Theodori legimus apud Reginonem de Eccl. discip. lib. 2. cap. 370. *Qui fraudatum, raptum, vel futatum sciens manducat, si pauper est, septem dies: si potens, quadraginta dies pœnitiat.* Clarius est quod idem Regino lib. 1. cap. 300. habet ex Theodori vel Bedæ pœnitentiali: *Manducasti morticina aut dilacerata à bestiis, quadraginta dies pœniteas. Similiter si sanguinem comederis.* Zacharias R. P. ep. 12. ad Bonifacium Archiepiscopum Moguntinum bestias illas ab esu prohibet, quæ vel suffocabantur, vel ab animalibus capiebantur. Synodus Wormatiensis sub Ludovico Pio cap 64 'Animal vulnerarum à bestiis & gustatum, licitum est manducare, si homo priùs illud animal occiderit vivum; si verò mortuum fuerit priùs, dejiciatur 'caro ejus. *Et cap.* 65. Animalia quæ à lupis seu à canibus lacerantur, non sunt comedenda, nisi porcis & canibus. Nec 'cervus, nec capra, si mortui inveniuntur. Pisces autem licet manducare, quia alterius naturæ sunt. Aves verò, & 'alia animalia, si in retibus strangulantur, non sunt comedenda. Rabanus Maurus Archiepiscopus Moguntinus in Levitic. lib. 5. cap. 8. *Ergo oportet mandati hujus etiam literam custodire, & nullatenus comedere sanguinem; hoc enim & Apostolos invenies præcepisse.* Imperator Leo Anno Christi 886. constitut. 58. 'Simul o-'lim Legislatori Mosi sanguine vescendum non esse mandavit 'Deus: simul ab istiusmodi cibo abstineri debere à præconibus 'gratiæ est constitutum. Et quanquam tum veteris, tum no-'væ gratiæ tempore illa res vilis habita sit & nefaria; eò tamen 'contumaciæ, imò væcordiæ, homines processêre, ut neutri 'Legi aurem præstent morigeram: at contrà, alii lucri, alii 'gulæ causâ, summa cum impudentia mandatum contemnunt, 'in escámque, quâ vesci vetitum est, sanguinem convertunt. 'Verarum enim ad aures nostras est, quod intestinis, tanquam tunicis, sanguinem infartum, velut consuetum aliquem 'cibum ventri præbeant. Quod tolerari non debere imperatoria nostra majestas rata, neque tam impio soli gulæ inhiantium hominum invento, nunc præcepta divina, nunc reipub-'licæ nostræ honestatem dedecore affici sustinens, jubet nequis 'id scelus, neque ad suum usum, neque ut emtores detestando 'cibo contaminentur, ullo modo exercere audeat. Ac sciat 'quicunque dehinc divinum mandatum contemnere, sanguinémque in cibum convertere, sive vendat, sive emat, deprehensus fuerit, se bonorum publicationi subjiciendum, & ubi 'acerbum in modum flagris cæsus, ac cute tenus fœdè tonsus 'erit, perpetuo patriæ exilio multandum esse. Regino Ab-

bas Prumiensis lib. 2. de Eccl. disciplina. cap. 373, & 374. *Siquis sanguinem alicujus animalis manducaverit, quadraginta dies pœnitat. Admonendi sunt Fideles ut nullus præsumat sanguinem manducare. Nam in principio, quando homini licentia data est à Deo, sanguinem interdictum legimus. Ait enim Dominus ad Noe & filios ejus.* Omne quod movetur & vivit erit vobis in cibum, excepto quod carnem cum sanguine non comedetis. *Quod non solum in Lege veteri sæpissimè inhibetur, verùm etiam in Novo Testamento Apostoli primitivæ Ecclesiæ ex gentibus sub magna deliberatione scribunt, ut abstinant se à contaminationibus simulachrorum & fornicatione & Suffocatione & sanguine, quod exponens Hieronymus dicit:* Juxta literam hæc præcepta conveniunt omni Christiano, ut morticinum non comedat, tam de avibus, quàm de pecoribus, quorum nequaquam sanguis effusus est. 'Quæ necessariò observanda 'Apostolorum de Jerusalem missa epistola monet. Et captum 'à bestia, quia & ipsum similiter Suffocatum est. Et sangui- 'ne, id est, non manducando cum sanguine. Si ergo de gen- 'tili vita venientibus pro ipsis fidei rudimentis & inveterata 'consuetudine gentilitatis hæc, quasi ad salutem sufficerent, 'scripta sunt, quis transgressor hæc parvi pendat? Simul & 'hoc considerandum, quòd idololatriæ & fornicationi Suffoca- 'tum & sanguis æquiparatur. Unde omnibus adnuntietur 'quantum piaculum sit sanguinem comedere, quod idolis & 'fornicationi comparatur. Siquis hæc Dominica & Apostolica 'præcepta violaverit, à communione Ecclesiastica suspendatur, 'usque dignè pœniteat. Hæc nos sub Reginonis nomine allegamus, quia unde ea excerpserit ipse non allegavit. Inter canones Ecclesiæ Britannicæ operà Henrici Spelmanni collectos can. 52. datus sub Edgaro Rege Angliæ, Anno Christi 967. jubet, *ut nemo Christianus, ullius generis sanguinem comedat.* Adamus Bremensis lib. 4. Hist. Ecclesiasticæ cap. 20. inter alios paganorum errores, quibus ad sua usque tempora implicitos fuisse Christianos Bremenses questus est Adalbertus Bremensis Archiepiscopus, numerat quòd *morticini & sanguine & Suffocatis, carnéque jumentorum licitè, hoc est, licentiâ nimiâ, uterentur.* Joannes Zonaras laudat Patres Concilii sexti Constantinopolitani in Trullo celebrati, quorum canonem sexagesimum septimum suprà laudavimus, eoque autoritatem divinæ Scripturæ secutos ex genesi deducit. Theodorus Balsamon in eundem canonem ait: *Latini indiscriminatim Suffocata comedunt, sed etiam Adrianopolitani, ut audio, animalium sanguine cum quibusdam esculentis utuntur.* Et in Canon. 63. Apostol. *Quæ à venatoribus avibus vel canibus capiuntur & suffocantur, quomodo ab aliquibus comedantur nescio.* Otto Bambergensis episcopus anno Christi 1124. teste Conrado Abbate Urspergensi, Pomeranis

à se

à se conversis præscripsit, *nequid immundi comedant, non morticinum, non suffocatum, neque idolothytum, neque sanguinem animalium.* Hodiéque a sanguinis esu abstinent inter Christianos Græci, uti certum est ex testimonio Nili Archiepiscopi Thessalonicensis in libello de primatu Papæ, & Jeremiæ Patriarchæ Constantinopolitani hujus nominis secundi. Idem de Moscovitis & Russis testatur Sigismundus Baro ab Heberstein, de Abyssinis Damianus à Goes, de Maronitis in Syria & Ægypto habitantibus Eduardus Ererewood. Ex iis quæ attuli constat nullum esse dogma de quo hodie inter Christianos disputetur, quod tam constanter & tam universaliter creditum sit, atque istud, nos ad abstinendum à sanguine etiamnum esse obligatos. Neque verò adversus particulare & expressum hoc sanguinis interdictum Apostolicum quicquam militant illa Scripturæ loca, quæ tantùm in genere concedunt libertatem omnibus vescendi; leges quippe generales per particulares limitari & restringi debere notum est.

Et Suffocato. Nempe τῦ αἵματ☉ μὴ ἐκκεχύντ☉, *sanguine non excreto*, ut loquitur Origenes contra Celsum lib. 8. Vide quæ diximus suprà v. 20. *Solebant Græci*, inquit Grotius, *& gentes aliæ, ut ex Athenæo duobus in locis discimus, in deliciis habere τὰ πνικτὰ* Suffocata, *id est, carnes in quibus exactâ diligentiâ asservatus erat sanguis, ut ita cum to sanguine intùs retento coquerentur, quod & ipsum erat contra legem de sanguine non edendo.* Quòd verò in Africa tempore Augustini, ut ipse testatur lib. 32. contra Faustum Manichæum cap. 13. irriderentur illi, qui religioni ducebant Suffocata comedere, *non arguit*, inquit præclarè Curcellæus, *ipsorum errorem, sed potiùs profanitatem aliorum, quibus suspecta d'que est mandata Dei observare, ut hodie ipsi venire videmus. Sic irridentur qui Baptismum fieri cuperent, non per aspersionem, sed, ut in veteri Ecclesia solebat, per totius corporis immersionem in aquam. Et quia istud irridetur à parùm religiosis, alii observare ac probare erubescunt.*

Et fornicatione Israelitis prohibita Deut. 23. v. 17. Additur in quibusdam codicibus, *Et quæ non vultis vobis fieri, aliis nec vos ea faciatis.* Vide quæ diximus suprà v. 20.

A quibus custodientes vos, benè agetis. Vetustissimi codices addunt, φερόμενοι ἐν πνεύματι ἁγίῳ, quæ Irenæi interpres vertit, *ambulantes in Spiritu-sancto*, Tertullianus in libro de pudicitia reddidit, *vectante vos Spiritu-sancto.*

Valete. Ut Latini in calce epistolarum utuntur Imperativo *Vale* aut *Valete*, sic Græci verbo ῥῶσο vel ῥῶσθε quod abest ab iis vetustissimis codicibus, in quibus habentur mox memorata verba, φερόμενοι ἐν πνεύματι ἁγίῳ.

30. *Illi ergo.* Paulus scilicet, Barnabas, Judas & Silas.

Dimissi. A Synodo Hierosolymitana.

Descenderunt Antiochiam. Syriæ Metropolim.

Tradiderunt epistolam. Synodicam Concilii Hierosolymitani fratribus Ecclesiæ Antiochenæ unum in locum congregatis.

31. *Quam cùm legissent.* Fratres Antiochenses.

Gavisi sunt super consolatione. Id est, super consolatoria epistola Synodi Hierosolymitanæ, quâ liberabantur ob omnium legalium ceremoniarum onere, ut ea solùm observarent, quæ omninò opus est fieri.

32. *Et ipsi.* Æquè ac Paulus & Barnabas.

Cùm essent prophetæ. Hoc est, instructi donis Spiritus-sancti, quibus sensum verbi Dei non cuivis obvium capiebant atque interpretabantur.

Verbo plurimo consolati sunt fratres, & confirmaverunt. Q. d. Fusiùs ex verbo Dei proponebant Antiochensibus Christianis solatia adversùs pericula atque difficultates, ne ipsorum fides ac pietas vacillaret; & incertis erroribus fluctuaret.

33. *Facto autem ibi,* &c. Q. d. Ubi verò per aliquod tempus commorati essent Antiochiæ isti ab Ecclesia Hierosolymitana ablegati, cum apprecatione pacis, in qua Hebræi omnia fausta ac felicia comprehendunt, facta est eis à Christianis Antiochenis potestas redeundi Hierosolymam ad eos qui miserant illos. Minùs rectè vulgares codices Græci habent πρὸς τοὺς Ἀποστόλους, *ad Apostolos,* cùm manuscriptus Alexandrinus & multi alii longè rectiùs habeant πρὸς τοὺς ἀπεσταλκότας αὐτοὺς, *ad eos qui miserant illos,* ut eriam reddidit Latinus vulgatus interpres. *Puto,* inquit clarissimus Beza, *sic declarari hoc loco per* Apostolos *intelligi generaliter Ecclesiam Hierosolymitanam, non illos peculiariter sic vocatos, qui tunc fortassè pauci erant Hierosolymis, ac fortassè præter Jacobum nulli, siquidem ista sic satis diu post illam Synodum habitam gesta sunt.*

34. *Visum est autem Silæ ibi remanere,* &c. Q. d. Silas tamen cum Paulo ac Barnaba sponte aliquantò diutiùs remansit Antiochiæ post datam sibi abeundi veniam.

Judas autem solus abiit Jerusalem. Hoc in vulgaribus codicibus Græcis subintelligitur; in aliquibus tamen expressum invenerunt Robertus & Velesius.

35. *Paulus autem & Barnabas demorabantur,* &c. Q. d. Paulus quoque ac Barnabas: post Judæ abitum subsistere Antiochiæ, ubi cum aliis plurimis indicatis suprà cap. 11. v. 19, 20, 27 & 28. 13. v. 1. assidui erant in prædicanda doctrinâ Jesu Christi in Evangelio comprehensa, atque etiam per Spiritum-sanctum eis inspirata.

36. Per

36. *Per universas civitates.* Syriæ, Pamphyliæ, Pisidiæ, Lycaoniæ & Lyciæ.

Quomodo se habeant. Hoc est, an in suscepta fide maneant, atque in pietate crescant ac proficiant.

37. *Barnabas autem volebat secum assumere.* Comitem videlicet ad illud iter agendum, quod à Paulo proponebatur.

38. *Paulus autem rogabat eum non debere recipi.* Hoc est, ut planiùs transtulit Æthiopicus. *Rogavit Paulus Barnabam ut non assumeret Marcum.* Vide quæ de hoc Joanne Marco diximus suprà cap. 12. v. 12.

Ut qui discessisset ab eis de Pamphylia. Suprà cap. 13. v. 13.

Et non isset cum eis in opus. Evangelii nimirum per varia Asiæ minoris oppida prædicandi.

39. *Facta est autem dissensio* Gr. παροξυσμὸς, *irritatio, acris commotio, exacerbatio,* à παροξύνω, *irrito, provoco, exacerbo.* Ex acri disputatione inter Paulum quod justius erat suadentem, & Barnabam quod benignius erat volentem, orta est quædam ad iram concitatio, & offensio sed absque odio hostili.

Ita ut discederent ab invicem. Ut olim Abrahamus & Lotus salvâ amicitia, Gen. 13. v. 9. Ex humana pusillanimitate orta inter Apostolos Paulum & Barnabam, aliàs quàm maximè concordes, dissensio id boni per divinam providentiam attulit, ut isti duo insignes verbi Dei præcones disjuncti & in loca diversa atque dissita profecti, opus communis Domini latius promoverent, atque doctrinam Evangelii magis propagarent.

Assumto Marco. Consobrino suo, Col. 4. v. 10. Dorotheus tamen Tyrius autor Συνόψεως libelli de vita & morte Prophetarum, Apostolorum, & discipulorum Christi, hunc Marcum à Barnaba itineris comitem assumtum, & eum qui ejusdem Barnabæ consobrinus dicitur Col. 4. v. 10. ab invicem distinguit, faciens alterum Bybli Episcopum, alterum Apolloniadis.

40. *Paulus verò electo Sila.* Hoc est, allecto sibi itineris & operis sacri comite Sila, de quo suprà v. 32.

Profectus est. Antiochiâ.

Traditus gratiæ Dei à fratribus. Id est, commendatus Deo precibus à Christianis Antiochenis, ut Deus ejus iter atque labores felici ac prospero successu prosequeretur. *Colligere,* inquit Calvinus, *ex contextu licet, probatum Ecclesiæ fuisse Pauli consilium. Proripit enim se Barnabas, & cum suo comite in Cyprum navigat. Fratrum nulla fit mentio: ac si furtim illis insalutatis abiisset. Paulum autem fratres suis votis commendant gratiæ Dei: unde apparet stetisse ab ejus parte Ecclesiam.*

41. *Perambulabat autem Syriam.* Cujus metropolis erat Antiochia, ex qua mox discesserat.

Et Ciliciam. Unde oriundus erat ipse Paulus.

Confirmans Ecclesias. In fide Christiana atque pietate.

Præcipiens custodire Præcepta Apostolorum & Seniorum. Quæ scilicet sunt expressa in epistolico decreto suprà v. 29. Hæc verba postrema hujus capitis in textu Græco & versione Syriaca non sunt; id tamen à Paulo fuisse factum nullus est dubitandi locus. cùm epistolicum illud decretum ab ipsa Synodo Hierosolymitana fuerit directum ad Syriæ & Ciliciæ fratres, quos in pace & tranquillitate ambulantes scrupulis turbaverant, qui circumcisionis reliquarúmque Legis ceremoniarum necessitatem urgebant. Vide suprà v. 23 & 24. & infrà cap. 16. v. 4.

CAP. XVI.

1. *Pervenit autem in Derben & Lystram.* Isauriæ urbes, de quibus suprà cap. 14. v. 6.

Et ecce discipulus quidam. Id est, Christianus.

Erat ibi. Sive Derbæ, sive Lystræ.

Filius mulieris Judææ fidelis. Hoc est, cujus mater Eunice, ut & ipsius avia Lois, 2 Tim. 1. v. 5. cùm esset Judaicæ nationis ac religionis, susceperat fidem in Jesum Christum.

Patre Gentili. Et, ut apparet, incircumciso, qui Timotheum puerum non fuerat passus circumcidi, quamvis ex matre Judæa susceptum.

2. *Huic.* Timotheo scilicet.

Fratres. Id est, Christiani.

3. *Hunc voluit Paulus secum proficisci.* Ut esset ejus comes in itineribus & administer infrà cap. 19. v. 22. & cooperarius Rom. 16. v. 21. in Evangelio, 1 Thess. 3. v. 2.

Et assumens circumcidit eum propter Judæos. &c. Non ideo, Paulus Timotheum circumcidit, quòd in circumcisione fiduciam collocaret, eámque ad salutem necessariam putaret, cùm ipse Paulus disertè doceat Gal. 5. v 6. Judæos, qui Christum fide amplexi fuerunt, circumcisionis ritu non ampliùs teneri; sed quòd speraret ipsius operâ multos ex Judæis nondum conversos ad Christum posse converti, qui Timotheum ex materno genere Judæum fuerant declinaturi velut hominem profani patris æmulum, si circumcisionem neglexisset, per quam Israelitæ

nelitæ à reliquis terræ populis diſcriminabantur; ſciebant enim eum patre gentili procreatum.

4. *Cum autem*, &c. Q. d. Prout autem pertranſibant urbes, in quibus erant Eccleſiæ Chriſtianæ, tradebant eis illa quæ Synodus Hieroſolymitana omni neceſſitate Chriſtianis qui ex gentibus Chriſto nomen dabant eſſe cuſtodienda decreverat ſuprà cap. 15. v. 21 & 29.

5. *Et Eccleſiæ*, &c. Q. d. Atque ita Eccleſiæ proficiebant in ſuſcepta Chriſti fide, creſcentéque in dies neophytorum multitudine augebantur.

6. *Tranſeuntes*, &c. Q. d. Peragratis autem Phrygiâ & Galatiâ Aſiæ minoris provinciis, afflatu Spiritus-ſancti prohibiti ſunt ne prædicarent Evangelium in Aſia Proconſulari, ſeu Aſia propriè dicta, ejuſdem Aſiæ minoris regione, quæ mari Ægeo alluitur, habétque Bithyniam ab Aquilone, ab Ortu Phrygiam, & ab Auſtro Cariam. Vide quæ de Phrygia & Aſia Proconſulari diximus ſuprà cap. 2. v. 9 & 10. Galatia, aliàs Gallogræcia, regio eſt minoris Aſiæ Phrygiæ contermina, ſic dicta à Gallis, qui relictâ patriâ, Româ exuſtâ, & Italiâ vaſtatâ, hic ſedes fixerunt, cùm olim Phryges eandem regionem incolerent. *Provincia conſularis fuit*, inquit Spanhemius in introductione ad Geographiam Sacram, *in primam & ſecundam diſtincta ſub Theodoſio; habuítque prima Galatia ad Ortum Heltnopontum, à Meridie Galatiam Salutarem, ab Occaſu Phrygiam, cujus quondam pars fuit Strabone teſte, & à Septentrione Paphlagoniam. Mitropolis fuit Ancyra Ἀγκύρα, à Phrygiana diverſa, in qua Synodus quondam Ancyrana. Galatia ſecunda, quæ & Salutaris. Præſidialis illa, priori, ut dictum, magis ad Meridiem & Occaſum fuit, habuítque à ſeptentrione Paphlagoniam & Honoriada, à Meridie Piſidiam & Lycaoniam. Metropolis fuit Peſſinus, quæ etiam πεσσινοῦς Peſſinus dicta.* Porrò cur noluerit Deus tunc temporis à Paulo aut Timotheo Evangelium prædicari in Aſia Proconſulari, cujus metropolis erat Epheſus, cauſæ nos latent. Potuit habere varias, vel quod alio in loco eorum vellet uti miniſterio, vel quòd alios huic operi deſtinaſſet. Quicquid ſit, certum eſt non eſſe cauſam ab abſoluto reprobationis decreto arceſſendam, prout Calvinus facit ſuper hunc locum. Conſtat enim ſaltem paulò pòſt Evangelium illic fuiſſe annuntiatum, & ab ipſo quidem Paulo; adeo ut Demetrius ille argentarius mirum Evangelii progreſſum in Aſia miniſterio Pauli graviter quereretur dicens infrà cap. 19. v. 26. *Videtis & auditis quia non ſolùm Epheſi, ſed penè totius Aſiæ Paulus hic ſuadens avertit multam turbam, dicens quoniam non ſunt dii qui manibus fiunt.*

7. *Cùm veniſſent autem in Myſiam.* Myſia regio minoris Aſiæ ad Helleſpontum, Troadi contermina: cujus incolæ dicebantur

tur Mysi & Mysii, Æolicè Mysadii, teste Stephano. Fuere verò Mysi abjectissimæ conditionis homines, ita ut locum Proverbio fecerint. Quoties enim hominem nullius pretii denotare volebant, *Mysorum ultimum* vocabant; ac quia, qui despicatui ducitur injuriæ & rapinæ aliorum exponitur, ideo ab hac gente aliud dimanavit adagium, Μυσῶν ἔσχατος, *Mysorum prædo.* Hoc usus est Aristoteles Rhetoric. lib. 1. illo Cicero in Oratione pro L. Flacco. *Namque,* inquit, *ut opinor, Asia vestra constat ex Phrygia, Mysia, Caria, Lydia. Utrum igitur nostrum est, an vestrum hoc proverbium,* Phrygem plagis fieri solere meliorem? *Quia de tota Caria? Nunne hoc vestrâ voce vulgatum est, siquid cum periculo experiri velis,* In Care id potissimùm esse faciendum? *Quid porrò in Græco sermone tam tritum, atque celebratum est, quàm, siquis despicatui ducitur, ut* Mysorum ultimus *esse dicatur?* Strabo etiam Mysos constituit in Europa, in confinio Pannoniæ ad Danubium fluvium, putátque Mysos Asiæ ab his, ut originem, ita & nomen duxisse, sed hi à Plinio *Mœsi* dicuntur. Dividitur autem Mysia in minorem sive Hellesponticam, quæ ad Hellespontum, habéreque Troadem ad Austrum; & in majorem, quæ ad Olympum dicitur sive Olympenica, ubi Olympeni, concluditúrque ab Occasu Mysia minore & Troade, ab Ortu Bithyniâ, ab Austro Asiâ Proconsulari, seu Asiâ propriè dictâ. Mysia etiam Europæa gemina est apud Ptolomæum, superior & inferior, sed hæc melius Mœsia dicitur.

Tentabant ire in Bithyniam. Bithynia regio est Asiæ minoris, quæ cum Ponto una provincia effecta (Ponto ad ortum sito, Bithynia ad Occasum) terminatur à Septentrione mari Ponticò seu Euxino, ab Ortu Galatiâ, à Meridie Asiâ propriè dictâ, ab Occasu Propontide. *Bithynia,* inquit Thomas de Pinedo, *regio ad Pontum olim* Cronia, *dein* Thessalis, *dein* Maliande, *teste Plinio lib. 5. cap. 32. apud quem pro* Maliande *legendum existimo* Mariandyne. *Sic enim antiquitùs Bithynia vocata fuit, ut narrat Eusebius Chronico Canone, cujus ad numerum 594 sunt, quæ sequuntur verba:* Βιθυνία ἐκτίσθη ὑπὸ Φοινίκων, ἡ νῦν πρὸς Μαριανδύνοις καλουμένη, Bithynia condita fuit à Phœnice, prius Mariandyne vocata. *Ad quem locum inquit Scaliger in paucis eruditissimus, Latinè nondici,* Condere Bithyniam, *sed cum fefellit opinio. Hæc enim Phrasis tam apud Græcos, quàm apud Latinos est in usu, ut jam alibi annotavi. Nolo enim cramben repetere, ne lectori fastidium pariam. Bithyniam appellatam quoque fuisse* Bebriciam, *autor est Servius ad Æntid. lib. 5. versum* 537. Huic provinciæ præerat Plinius Junior sub Trajano, cum Proconsulari potestate. Insignes in Bithynia urbes fuere Nicomedia, quam Ammianus Marcellinus lib. 17. cap. 13. *Bithyniæ urbium matrem* vocat; Nicæa duobus Conciliis celebris, à Strabone lib. 12. Geographiæ dicta

ſita *Metropolis Bithyniæ*, & Chalcedon, ubi celebrata fuit Synodus ſexcentorum triginta Epiſcoporum Anno Chriſti 451.

Et non permiſit eos Spiritus Jeſu. Q. d. At Dominus Jeſus Chriſtus eis revelavit ſe nolle ut tunc in Bithyniam pergerent.

8. *Deſcenderunt Troadem.* Troas à quibuſdam cenſetur eſſe Phrygiæ pars mediterranea, cujus urbs princeps Ilium & Troia fuit appellata. Sed alii exiſtimant notari urbem cognominem ejuſdem regionis, de qua Plinius 5 Nat. Hiſt. 30. *Troadis primus locus Arnaxitus, dein Cebrenia, ipſaque Troas, Antigonia dicta, nunc Alexandria, colonia Romanorum.* Urbem eſſe videtur colligi poſſe infrà cap. 20. v. 6. & 2 Tim. 4. v. 13. Venerat illuc Paulus ad Evangelium Chriſti prædicandum, ut videre eſt 2 Cor. 2. v. 12.

9. *Vir Macedo quidam erat ſtans & dicens.* Hoc eſt, apparuit ſpecies quaſi viri Macedonico veſtitu induti, Macedonicâque linguâ dicentis.

Tranſiens in Macedoniam adjuva nos. Salutaris videlicet Evangelii prædicatione. Macedonia regio Europæ ampliſſima, ab Ortu Ægæo mari concluſa, à meridie Theſſalia & Epiro, ab Occidente Ionio mari, ab Aquilone Scardo monte & Orbelo. Nomen adepta dicitur à Macedone Jovis filio ex Thyia Deucalionis filia. Ematia quoque vocata fuit, & Macetia, unde incola Macetes & fœmina Macetis nuncupatur. Oppidorum Macedoniæ celeberrima fuere Theſſalonice magnitudine, Ægeæ regum ſepulchris, Pella Alexandri natalibus; fluviorum celeberrimus erat Strymon, montium Athos, qui quoniam inter Macedoniam & Thraciam ſitus erat, à nonnullis Thraciæ adſcribitur. Macedoniæ reges ab Hercule originem trahere gloriabantur. Quare pro corona & purpura regia, leonini capitis exuvio redimiti apparebant, quo ornatu magis delectabantur, quàm omnibus pretioſis lapillis. Regnum incepit florere à Carano Rege, auctum eſt à Philippo Alexandri Magni patre, ac in tantam magnitudinem ſub ipſo Alexandro excrevit, ut Aſiam, Armeniam, Iberiam, Cappadociam, Syriam, Ægyptum, Judæam, Phœniciam, Mediam & Perſidem, ac denique totum Orientem & Indiam ſubegerit. Tandem decidit ſub Perſeo Philippi filio, qui regiam dignitatem unà cum regno, victus à Paulo Æmilio Conſule, amiſit; tantam differentiam ſortis præſtitere duo homines, uterque Philippi filius, ille omnes illas gentes inſtar fulminis ſubegit, hic regnum ipſum amiſit, ac captus cum conjuge & liberis ab Æmilio Romam adductus fuit, ex quo Macedonia ad præfecturæ formam redacta eſt, ut Refert Plinius 4 Hiſt. nat. 10.

10. *Statim quæſivimus.* Ex hoc loco & ſequentibus multis apparet Lucam, qui iſta Apoſtolorum Acta conſcripſit, Paulo adhæſiſſe comitem ſaltem à Troade, ſi non ab Antiochia adhæſit.

Certi

Certi facti. Gr. συμβιβάζοντες, quod est, Hesychio interprete, συλλαλοῦντες, *colloquentes*. Hoc est, alter alteri dicentes. Monet Cl. Ludovicus De Dieu συμβιβάζειν etiam sumi ab Hesychio pro εἰς φιλίαν ἄγειν, *coire facere, in amorem & consensum agere*, quâ significatione quoque intransitivè sumitur, ut apud Platonem de Republica lib. 6. συνεβιβάζομεν δικαιοσύνης πέρι καὶ σωφροσύνης, *convenit inter nos de justitia & temperantia*, interpretatur Budæus. Συμβιβασμὸς, *transactio, concordia*. Atque ita συμβιβάζοντες rectè hoc loco vertas, *consentientes, pariter hoc statuentes*.

Evangelizare eis. Macedoniæ videlicet incolis.

11. *Recto cursu venimus.* Gr. εὐθυδρομήσαμεν, *secundo vento navigavimus*. εὐθυδρομεῖν, inquit Grotius, *est secundo vento navigare, ut infrà cap. 21. v. 21.*

Samothraciam. Samothrace insula maris Ægæi Thraciæ vicina haud procul ab Hebri fluvii ostiis, cum urbe cognomine. Latinis plerumque dicitur Samothracia Virg. 7 Æneid. v. 207.

His ortus ut agris,
Dardanus Idæas Phrygiæ penetravit ad urbes,
Threïcio quæ nunc Samothracia fertur.

Hæc insula antè vocabatur *Dardania* ab hoc Dardano Jovis ex Electra filio, qui propter fratrem Jasium à se interemtum eò ex Italia aufugerat. *Leucadia* quoque vocata fuit, quòd procul intuentibus albicet: deinde *Thracia* ab incolis Thracibus, ac tandem Samothracia, quoniam post Thraces in ea Samii habitavere. Plinius 4 Nat. Hist. 12. ait hanc insulam fuisse omnium portuosissimam, & monte Saoce attolli, quare *Saocis* quoque fuit appellata, autore Hesychio in Σαωκίς. *Melitea* etiam & *Samon* vocitatam tradit Strabo lib. 10. *Samadrachi* hodie vulgo vocitatur. Fuere olim inter Ethnicos Samothracum Sacra celeberrima, quorum ceremonias *sanctissimas* vocat Plinius lib. 36. cap. 5. Ideo Germanicus apud Tacitum Annal. lib. 2. desiderio Sacra Samothracum visendi captus fuit, sed id obvii aquilones depulere. Samothraces *cognati Romanorum* dicebantur, quia Penates Deos ex Italia in Samothraciam, & inde in Phrygiam Dardanus portaverat, quos deinde Æneas in Italiam ex Troia revexit, autore Servio ad 3 Æneid. v. 12. Celebrabantur etiam annuli Samothraciani, qui vel toti ferrei erant, sed inaurati, vel aurei quidem sed capitulo ferreo, ut ferrum pro gemma esset, utì videre est apud Plinium lib. 33. Nat. Hist. 1. Hinc Lucretio lib. 6. *Samothracia ferrea* dicuntur hoc versu:

Exultare etiam Samothracia ferrea vidi.

Samo-

Samothracios hos annulos vim ἀλεξίφαρμακον habere credidit antiquitas, ut & Græcorum φυσικὰς ἀκτυλίους, intùs pervios & cassos, quemadmodum scripsit Artemidorus. In ceremoniis sanè dialis scriptum fuit, *Annulo nisi pervio cassoque ne utitor.* Samothrax fertur fuisse celeberrimus ille Grammaticus, Aristarchus nomine, qui tantum jus in Homericos versus sibi arrogavit, ut quos ipse non probaret, à familia Homerica removeret. unde alienorum scriptorum censores vocantur *Aristarchi.*

Sequenti die Neapolim. Urbem Macedoniæ, in confinio Thraciæ, maritimam ad Strymonicum sinum: quæ hodie *Christopoli* vulgò vocatur.

12. *Et inde Philippos.* Hanc urbem inter Pangæum montem & oram maris Ægæi, alii Thessaliæ, alii Thraciæ, alii Macedoniæ adscribunt, hæ quippe regiones erant finitimæ. Celeberrima fuit pugnâ Augusti & Antonii cum Bruto & Cassio Cæsaris percussoribus. Scylax in Thracia autor est à Calliſtrato Athenienſi conditam fuisse, quæ posteà cùm à Philippo Macedonum Rege & Alexandri Magni patre instaurata fuisset, *Philippi* vocata fuit, quæ antè *Datum* seu *Datus* appellabatur, & *Crenides*, quod Κρῆναι, id est, *fontes* inibi scaturirent, ut̀ testatur Appianus de bellis civilibus lib. 4. *Proxima Thessalonicæ & illi subjecta fuit urbs Philippus vel* Philippi, *inter Apolloniam & Amphipolim*, Pauli *epistolâ*, *Christianæ Ecclesiæ primitiis*, *&*, *ut vulgò censent*, *Epaphroditi Episcopatu nobilis*, ait Fridericus Spanhemius in introductione ad Geographiam Sacram.

Quæ est prima partis Macedoniæ civitas colonia. Ita hæc legenda, nec interstinguendum inter πόλις *civitas* & κολώνια *colonia*, monent viri doctissimi Bertramus Cornelius & Hugo Grotius. Macedoniam petentibus è Samothrace insula primam in littore ἡ Ἠδωνίδος, (quæ est pars Macedoniæ ad utramque Strymonis fluvii ripam, non longe ab ejus ostiis, in Thraciæ confinibus) civitatem quæ sit colonia occurrere Philippos. *Neapolis*, inquit Grotius, *urbs est Edonidis partis Macedoniæ, in qua & Philippi: sed Neapolis in ipso sinu Strymonico, introrsum* Philippi.

Partis Macedoniæ. Id est, provinciæ Macedoniæ. Gr. ἡ μερὶς ἡ Μακεδονίας, quod Beza vertit, *Hujus partis Macedoniæ*, id est, ejus Macedoniæ tractûs, Edonidis nimirùm, ut articulus in ἡ μερὶς vim habeat pronominis, ac si dicatur ταύτης ἡ μερὶς. Sic suprà cap. 9. v. 2. ὅπως εὑρῇ τινας εὑρῇ ἡ ὁδῦ ὄντας, hoc est, ταύτης ὁδοῦ, *siquos inveniſſet hujus viæ*, ut optimè vulgatus Latinus interpres ibi reddidit.

Colonia. Scilicet Romanorum, quod magni æstimabatur propter multas prærogativas colonis concessas. *Paulus*, inquit Grotius, *coloniæ maximè sequebatur, quòd ibi & plus esset hominum, & genus varium. Celsus in Lege Colonia. D. de censibus.* Colonia

nia Philippensis juris Italici est. *Ulpianus in lege, in Lusitania eodem titulo,* In provincia Macedoniæ Dyrracheni, Cassandrenses, Philippenses, Dienses, Stobenses juris Italici sunt.

Diebus aliquot conferentes. Gr. διατρίβοντες, *consistentes*, interpretantur Vatablus & Cajetanus. Διατρίβω significat non simpliciter commorari in aliquo loco, sed laboribus insistere, in re aliqua cum intentione & summo studio immorari, ut Aretius adnotavit ad Jo. 3. v. 22. Hinc διατριβὴ *exercitatio* dicitur. Atque ita monemur Paulum cum comitibus suis Philippis aliquot dies Evangelii prædicandi causâ fuisse commoratum.

13. *Die autem Sabbathorum.* Id est, quodam Sabbatho.

Egressi sumus foràs Portam. Quia vel Judæi conventibus suis locum à turbis remotum elegerant, vel quia eis non licuit in civitate convenire.

Juxta fluvium. Strymonem, ut nonnulli volunt, de quo Plinius 4 Nat. Hist. 10. *Macedoniæ terminus Strymon amnis, ortus in Hemo* Thraciæ monte. *Memorandum, in septem lacus tum fundi, priusquam dirigat cursum.* His deinde in unum alveum collectis juxta Amphipolim influit in maris Ægæi sinum, qui ab ipso Strymonicus appellatur.

Ubi videbatur oratio esse. Gr. ᾗ ἐνομίζετο προσευχὴ εἶναι, id est, Beza ac Piscatore interpretibus, ubi de more ac consuetudine haberi consueverunt conventus. Νομίζεσθαι pro *moris esse*, sive in *more positum esse*, reperitur passim apud Græcos autores, ut exemplis confirmat Henricus Stephanus in Thesauro. *Non gravatè verterem,* ἐνομίζετο, fama erat, *vel* putabatur, *scilicet à nobis, id est, putabamus, ut vertit Æthiopicus*; νομίζεσθαι enim pro in fama & existimatione esse, *aliquando usurpari docet ex Platone Budæus,* inquit Ludovicus De Dieu.

Oratio. Gr. προσευχὴ, quæ vox & *precationem* & *locum precationis* significat. Juven. Sat. 3.

Ede ubi consistas, in qua te quæro proseucha?

Ubi Scholiastes, *Proseucha, locus Judæorum in quo orant.* Philo Synagogas vocat προσευχάς, quia in illis & legebatur Lex, & orabatur. *Sed etiam,* inquit Grotius, *quibus in locis Synagogæ non erant, putà ob exiguum Judæorum numerum, aut quòd Magistratus non permitterent, habebant Judæi loca orationibus destinata, procul à turba, & maximè ad amnes aut mare. Philippis non fuisse Synagogam colligimus & infrà cap.* 17. *v.* 1. Epiphanius in hæresi Massalianorum, *Orationis locus,* inquit, *Sicimis, quæ nunc Neapolis vocatur extra urbem est in planitie, distans quasi duobus lapidibus, formâ theatri, in aere & sub aperto cœlo paratus à Samaritis Judæorum per omnia æmulis.* Judæi enim, ut advertit Chrysostomus,

nus, non ubi Synagoga erat tantùm, sed & extra eam orabant, loco ad id quasi definito.

Sedentes loquebantur. Sedere solebant qui longum sermonem inciperent.

Mulieribus quæ convenerant. Mulieres in Synagogis Judæorum pariete cancellato à conventu virorum dividuntur.

14. *Purpuraria civitatis Thyatirenorum.* Hoc est, purpuræ venditrix ex civitate Thyatirenorum oriunda. *Thyatira*, inquit Strabo lib. 13. *Macedonum colonia, quam Mysorum ultimam nonnulli dicunt.* A Ptolemæo lib. 5. cap. 2. *Metropolis* vocatur. Autor libri de locis Actorum Apostolorum sub nomine B. Hieronymi, *Thyatira*, inquit, *civitas Lydiæ, quæ est provincia Asiæ* minoris, *templo quondam Æsculapii famosa: cujus civis erat illa Lydia* πορφυρόπωλις, *id est purpuræ venditrix, quæ in Philippis fidem Christi suscepit.* Provinciam Lydiam sic describit Plinius 5 Nat. Hist. 29. *Lydia perfusa flexuosis amnis Mæandri recursibus super Ioniam procedit, Phrygiæ ab exortu solis vicina, ad septentrionem Mysiæ, meridianâ parte Cariam amplectens, Mæonia antè appellata.* Lydiæ & Stephanus Thyatiram adscribit, eámque *Mysorum ultimam* vocari ait. *Thyatira*, inquit Plinius loco mox laudato, *alluitur Lyco, Pelopia aliquando & Eurippa cognominata.*

Colens Deum, Id est, religiosa, &, ut credibile est, proselyta, quæ ex Ethnica ad Judæorum religionem accesserat. Ita enim hujusmodi proselyti vocari solent, ut videre est suprà cap. 13. v. 43. & infrà cap. 17. v. 4.

Audivit. Nempe sacrum illud nostrum cum mulieribus colloquium.

Cujus. Religiosæ scilicet feminæ, ac salutis suæ studiosæ.

Aperuit Cor, &c. Q. d. Deus intùs cor pulsavit, ut vocationi externæ, quæ per verbum prædicationis Paulinæ fiebat, morigeram se præberet; secundum id quod dicit regius Psaltes Ps. 25. v. 14. *Secretum Domini timentibus eum, & pactum suum notum illis faciet.* Et Jesus Christus Jo 7. v. 17. *Siquis voluerit voluntatem ejus facere, cognoscet de doctrina utrum ex Deo sit, an ego à me ipso loquar:* significans illum, qui de veritate religionis certus esse cupit, debere primùm ardente desiderio teneri faciendi Dei voluntatem, & tunc Deum non permissurum ipsum dubitationum fluctibus agitari, sed quid sequi debeat ut salutem adipiscatur ei revelaturum. Nec tamen certò affirmari potest, an Lydia sola Pauli prædicationi crediderit. Quod enim Lucas illius singulariter meminit tendere solùm videtur ad ostendendum quid Paulum moverit ut cum suo comitatu in ejus ædes diverteret.

Intendere his quæ dicebantur à Paulo. Præclarè Calvinus, *Notanda est locutio, Apertum fuisse cor Lydiæ, ut voci externæ doctoris in-*

intenderet. Nam ut sola prædicatio nihil aliud est quàm mortua litera; ita vicissim cavendum est ne falsa imaginatio, aut species arcanæ illuminationis à verbo nos abducat, unde fides pendet & in quo recumbit. Multi enim ut gratiam Spiritûs amplificent, ἐνθουσιασμοὺς, nescio quos sibi fingunt, ut nullus supersit externi verbi usus; atqui tale divortium fieri non patitur Scriptura, quæ hominum ministerium cum arcano Spiritûs afflatu conjungit. Nisi aperta fuisset mens Lydiæ, literalis futura erat Pauli prædicatio: Deus tamen non illi nudas tantùm revelationes inspirat, sed reverentiam verbi sui: ut vox hominis quæ alioqui in aerem evanuisset, in mentem cælesti luce donatam penetret. Facessant ergo fanatici homines, qui prætextu Spiritûs externam doctrinam respuunt; tenendum est enim temperamentum quod hîc statuit Lucas, nihil nos ex solo verbi auditu consequi absque Spiritûs gratia: & Spiritum nobis conferri, non qui verbi contemtum pariat, sed potiùs qui ejus fidem mentibus nostris instillet, ac cordibus inscribat.

15. *Cùm autem baptizata esset.* Præclarè iterùm Calvinus: *Hinc apparet quàm efficaciter brevi temporis momento Deus operatus sit in Lydia. Neque enim dubium est, quin verè amplexa fuerit Christi fidem, eí que nomen dederit, antequam Paulus ipsam ad baptismum admitteret.*

Et domus ejus. Id est, & domestici ejus, qui prædicationi Evangelicæ crediderunt, essent quoque baptizati. *Non habuit,* inquit Calvinus, *Lydia in manu suorum omnium corda, ut quoscunque vellet suo arbitrio converteret ad Christum; sed Dominus pio ejus studio benedixit ut morigeros haberet domesticos.*

Deprecata est. Hoc est, nos precibus omnibus oravit & obtestata est.

Dicens, Si judicastis me fidelem Domino esse. Q.d. Quandoquidem mea in Jesum Christum fides Baptismi sigillo à vobis approbata est. Vocula *si* hoc loco non dubitantis sed confirmantis est, significátque *siquidem, quandoquidem.* Sic sumitur suprà cap. 4. v. 9. 11. v. 17. Mat. 12. v. 27. Jo. 10. v. 35. 13. v. 32. 18. v. 8. Gal. 5. v. 25. 1 Pet. 1. v. 17. & alibi. Cicero 5 ad Atticum 14. *Tu velim, si me nihilo minùs nosti curiosum in Rep. quàm te, scribas ad me omnia quæ sint, quæ futura sint.* Sic *si* pro *siquidem* ponitur à Virgilio, 1 Georgic. v. 7 & 17, alibíque, utì Servius adnotavit.

Introite domum meam & manete. Id est, hospitamini apud me.

Et coegit nos. Prece, ut ad ipsam hospitii causâ diverteremus. Sic duo discipuli qui proficiscebantur Emmauntem Luc. 24. v. 29. coegerunt Jesum amicâ persuasione & instanter rogando, ut maneret cum ipsis. Sic obtestationis instantiâ convivæ ad epulas compelli præcipiuntur Luc. 14. v. 23. Sic Gen. 19. v. 3. Lot compulit Angelos ut ad se diverterent. Sic prece Regem Saulem comedere ipsius servi coegerunt 1 Sam. 21. v. 23.

sic

Sic Lucius Apuleius Aſini Aurei lib. 2. *Fortè*, inquit, *quâdam lamiarum magnoperè contendit ut apud eam cœnulæ intereſſem, & cùm impendiò excuſarem, negavit veniam.* Et lib 3. *Hoſpes meus Milo ut hodierni diei præſentiſſimum numen adjurans effecit, ut ejus hodiernæ cœnæ pignoraret: nec ipſe diſcedit, nec me digredi patitur.*

16. *Adorationem.* Gr. εἰς προσευχὴν, *ad precationem*, vel *ad locum in quo fieri ſolebat precatio*; utrumque enim προσευχὴ ſignificat.

Puellam. Id eſt, ancillulam.

Habentem Spiritum Pythonem. Gr. *Spiritum Pythonis.* In Syro eſt, *Spiritum divinationis.* Plutarchus lib. *de defectu oraculorum* ſignificat omnes homines, qui Spiritu fatidico correpti eſſent, *Pythons* appellari. Clariſſimus Bochartus Hierozoici p. 2. lib. 3. cap. 5. probat פתן Pethen eſſe aſpidem, & cùm aſpides in Ægypto uſque ad minimæ draconum ſpeciei molem, quæ eſt quinque pedum, creſcant, Hebræum nomen פתן Pethen draconi fuiſſe cum aſpide commune. *Atque*, inquit, *huc alludere videtur Græcum* Pythonis *nomen, quo cæſum in Parnaſſo draconem ab Apollini Poetæ vocant. Draconem tamen non fuiſſe, ſed hominem, ſcripſit Ephorus, ex quo refert Strabo lib. 9. Appollinem Sagittis confeciſſe virum atrocem* Pythonem *nomine, Draconem cognomento, poſtquam ſcilicet cædibus & latrociniis diu fuiſſet Parnaſſiis infeſtus. Idem pro Pythone Delphynes nominatur à Suida in* πυθὼ *poſt Apollonium Argon. lib. 2. v. 708. In his tenebris ſiquid video, fuit is prædo inſignis in Phocide, cujus verum nomen erat Delphynes.* Python *cognomen inditum à Phœnicibus in vicina Bœotia tum degentibus, ob tumultus concitatos, & latrocinia commiſſa. Nimirum apud Arabes quibus* Phe *eſt loco* pe, *quia literâ* pe *carent*, phathana *eſt concitare tumultus*: Phithna, *ſeditio, cædes*: Phathan, *ſeditioſus, latro, graſſator. Sed idem ex graſſatore draco factus eſt à fabulatum arcbitectis, quia Syris* Pethen *vel* Pithun *draconem ſignificat. Itaque etiam* Python *dictus eſt. Ab hoc* Pythone Pythii *ludi, & Delphorum urbs* Πυθὼ, *vel* Πυθὼν, *atque ipſe Apollo* Python *vocatus. Macrobius lib. 1. cap.* 20. Hoc nomen Python ex nece draconis inditum Deo Græci fabulantur. *Itaque Act. 16. v. 16.* πνεῦμα Πύθωνος *eſt* Spiritus Apollinis, *quo Dæmone mulier illa* ἐγγαστρίμυθος *plena eſſe credebatur. Unde ipſos etiam ventriloquos* Εὐρυκλέας πάλαι, *νυνὶ* Πύθωνας *appellant, ait Plutarchus in libro* De defectu oraculorum. *Eo ſenſu pro* Pythone, *Hebræi* פיתום, Pithom *Scribunt, voce leviter deflexâ, atque aviolorum id genus non ex ventre, ſed ex axillis vocem emiſiſſe ſomniant.* Vide ſis Maimonidem in tractatu De idololatria cap. 6.

Quæſtum magnum præſtabat dominis ſuis. Forſan hero & heræ.

Divinando.

Divinando. Id est, præmia divinationis accipiendo ab iis qui ipsam de rebus occultis consulebant, ut de rebus furto sublatis, de successu itineris aut aliorum negotiorum. *Euryclem*, ut ad Aristophanem in vespis observat Scholiastes, *tanquam ventriloquum Athenis vera vaticinatum ferunt Dæmonis ope qui ei inerat. Hinc ventriloqui & Euryclitæ dicti vates omnes, ab Eurycle primo ejus rei autore.*

17. *Hæc subsequuta Paulum & nos.* Silam, Timotheum & Lucam Pauli comites.

Isti homines servi Dei excelsi sunt. Spiritus impurus aliquando vera dicit, sed non bono fine.

Malus bonum cùm simulat, tum est pessimus.

Qui annuntiant vobis. Philippenis.

Viam salutis. Id est, modum veræ æternæque felicitatis assequendæ.

18. *Hoc autem faciebat.* Id est, iterabat.

Dolens autem Paulus. Veritatem suspectam reddi Spiritûs mendacis testimonio toties repetito. Vide quæ adnotavimus ad Mar. 1. v. 25.

Et conversus. Ad ancillulam *habentem spiritum Pythonis.*

Spiritui. Illi scilicet Pythonico hanc ancillulam occupanti.

Dixit, Præcipio, &c. Q. d. Utens jure dato Mar. 16. v. 17. tibi eâ autoritate, quam Dominus Jesus in te & ego ab illo habeo, mando ut continuò ab ista fœmina excedas.

Et exiit eâdem horâ. Q. d. Immundus ille Spiritus autoritate Christi perculsus, citra moram paruit Paulo jubenti ipsum ab ancillula quam occupaverat excedere, ut mox ex effectis in ea conspicuis patuit. Specimina potestatis autoritate Christi dæmones expellendi ab ipso servis suis concessæ videre est suprà cap. 5. v. 16. & 8. v. 7.

19. *Videntes autem domini ejus.* Nimirùm illius ancillulæ Pythonissæ herus & hera, vel etiam heriles filii.

Quia exivit spes quæstus eorum. Hoc est, quòd nulla superesset spes ancillulam à Spiritu Pythonis relictam ipsis aliquem deinceps quæstum præbiturum arte divinandi.

Apprehendentes Paulum & Silam. Qui Spiritum hunc impurum, quamvis sibi blandientem ex ista ancillula expuleram, zelo sancto & spiritûs divini instinctu impulsi.

Perduxerunt in forum ad principes. Id est, ad præfectos urbis, pacis publicæ tutores, & iudicium judices.

20. *Et offerentes eos magistratibus.* Gr. τοῖς στρατηγοῖς *militum* seu *satellitum præfectis.* Quibus nimirum præeunte Principum, hoc est, judicum, decreto, sontium capiendorum, & punien-

juniendorum ac in carcerem conjiciendorum cura incumbebat. Alii eosdem versu mox præcedente ἄρχοντας, *principes* dictos volunt, qui hoc versu jam honoratiori vocabulo dicuntur στρατηγοὶ, *Magistratus*, & utrobique intelliguntur Duumviros coloniæ.

Dixerunt, Hi homines, &c. Calumniantur viros pios esse pacis publicæ turbatores, quum suum privatum detrimentum perdolentes ulcisci volunt. Sic olim impius Achab pium Prophetam Eliam est calumniatus 1 Reg. 18. v. 17.

Cùm sint Judæi. Quorum nomen exosum Romanis ob religionis & morum diversitatem.

21. *Et annuntiant morem*, &c. Romani olim inter leges XII. Tab. caverant: *Separatim nemo habessit Deos, néve novos, sive advenas, nisi publicè adscitos, privatum colunto. Ritus familiæ patriæque servanto. Sacra privata perpetua manento.* Livius lib. 4. *Datum inde negotium Ædilibus, ut animadverterent, ne qui, nisi Romani Dii, ritu quo alio more, quàm patrio colerentur.*

Cùm simus Romani. Hoc est, cùm civitas nostra Romanorum colonia sit, atque adeo nos Romanorum nomine censeamur.

22. *Et cucurrit plebs adversus eos.* Q. d. Et concitata est turba adversus Paulum & Silam, quos innocentes calumniosis criminibus insectabantur Pythonissæ herus & hera, vel etiam heriles filii.

Et Magistratus. Gr. καὶ οἱ στρατηγοὶ, *& militum seu satellitum præfecti*, ut suprà v. 20.

Scissis tunicis, &c Q. d. Absque causæ justa cognitione lictoribus demandarunt insontium & vestem discindere, & corpus virgis cædere. Moris erat tum apud Judæos, ut legere est in משנה tract. מכות, tum apud Romanos, ut videre est in Livio, Plutarcho & aliis Historicis, flagellandorum vestes seu tunicas non exuere, sed lacerare, ut eorum corpora nudarentur ad verbera.

23. *Et cùm multas*, &c. Q. d. Paulum & Silam densis verberibus multatos duci in carcerem jubent Duumviri, seu Præfecti urois, additis mandatis ei qui in carcerem conjectis erat præpositus, ut eos turò asservaret, ne scilicet elaberentur, atque ita ipsos porrò punire non possent.

Custodi. Gr. δεσμοφύλακι, *vinctorum custodi.* Paulus Jurisconsultus hunc appellat *carceri præpositum*: Ambrosius, *optionem carceris*: Alii *commentariensem.* Porrò commentariensem, quo de hîc agitur, putant Græci fuisse Stephanam, cujus Paulus meminit 1 Cor. 1. v. 16. & 16. v. 15 & 17. Sed hoc incertum, quia Stephanas cum domo sua vocatur *primitiæ Achaiæ* 1 Cor. 16. v. 15. Achaia verò est dissita & distincta regio à Macedonia in

qua iste commentariensis Philippis vixit, & ibi est conversus ad Christum. Nisi quis dicat eum ex Achaia oriundum Philippos demigrasse, & inde forsan rursus in Achaiam, nempe Corinthum reveniſſe.

24. *Qui.* Commentariensis scilicet.

Misit eos in interiorem carcerem. Ut scilicet pluribus clausſtris septi tutiùs asservarentur.

Et pedes eorum strinxit. Gr. ἠσφαλίσατο, *custodiit*, id est, securos fecit. *Metonymia*, inquit Grotius; *Custodia enim securos nos facit.*

Ligno. Hoc est, cippo, seu, ut Plautus appellat, *ligno custodiâ*, cui pedes eorum indidit.

25. *Mediâ autem nocte.* Cùm homines profundissimo somno quasi sepulti jacere solent.

Orantes laudabant Deum. Gr. ὕμνουν τὸν Θεὸν, *laudes canebant Deo.* Ruffinus Presbyter Aquileiensis in tit. Ps. 72. *Hymni*, inquit, *sunt cantus continentes laudem Dei. Si sit laus, & non sit Dei, non est hymnus; si sit laus & Dei, & non cantetur, non est hymnus. Oportet ergo ut sit hymnus, habeat hæc tria, & laudem, & Dei, & canticum.* Atque ita meritò Davidem *Hymnidicum* appellat Gregorius Bæticus Episcopus Eliberitanus lib. de fide. Laudes itaque Deo canebant Paulus & Silas pro honore sibi habito, in eo quòd Christi gloriæ promovendæ causâ innocentes paterentur. Vide suprà cap. 5. v. 41.

26. *Subitò verò terræ-motus factus est magnus.* Immensâ Dei potentiâ atque efficaciâ.

Ita ut moverentur fundamenta carceris. Non carceris tantùm ædificio ipso commoto, sed etiam eo cui erat inædificatum solo validè succusso. Tali terræ motu videtur Deus significasse se præsentem servis suis adesse, víque suâ eos è furibundorum Magistratuum severitate ereptum iri.

Et statim. Atque videlicet totus succusso solo nutavit carcer.

Aperta sunt omnia ostia. Illius nimirùm carceris.

Et universorum. Qui in eodem carcere vincti erant.

27. *Expergefactus autem custos carceris.* Magno videlicet terræ motu.

Evaginato gladio volebat se interficere. Metu Magistratûs, ne ab eo graviori supplicio afficeretur. *Solebant enim commentariensis*, inquit Grotius, *si effugissent vincti, eandem pati pœnam quam vincti passuri fuerant*, L. *Ad commentariensem. C. de custodia reorum.*

28. *Nihil tibi mali feceris.* Metu gravioris supplicii.

Universi enim. Qui hoc in carcere eramus in vinculis priusquam terræ-motu omnes illius aperirentur fores.

Hîc sumus. Forsan qui vincti erant in illo carcere præter Paulum

Paulum & Silam, inopinatis eorum hymnis aures præbentes, mirabilique terræ-motu perculsi non adverterunt vincula sua esse soluta & omnia carceris ostia reserata.

29. *Petitoque lumine.* A domesticis è domo ad carcerem sita. *Introgressus est.* Carcerem cum impetu ac celeritate, visurus an vincti omnes adessent.

Et tremefactus. Divini judicii metu.

Procidit Paulo & Silæ ad pedes. Venerabundus more in regionibus orientalibus usitato, & inde ab Alexandri Magni Asiæ victoris temporibus etiam ad Macedonas translato.

30. *Et producens eos foras.* Ex carceris interioris claustro in locum aliquem carceris subdialem, in quo liberiùs respirarent.

Ait. Adinstar eorum qui Petri concione erant permoti suprà cap. 2. v. 37. & publicanorum Luc. 3. v. 10 & 12.

Domini. Ita honorificè compellavit eos commentariensis, quos homines haud vulgaris esse sanctitatis agnovit in eo, quòd tam arctè asservati, divinitùs oblatâ ipsis liberatione è carcere, quum foribus apertis & vinculis laxatis effugere possent, præsertim si ipsum sese interficere, ut volebat, passi fuissent, tamen non fugerint, sed de ipsius potiùs quàm de sua ipsorum vita solliciti fuerint. *Dominos,* inquit Grotius, *vocare eos quos honorare velimus, receptum tum erat & apud Græcos, & apud Romanos, teste Martiale & alii.*

Quid me, &c. Q. d. Audivi vos annuntiare modum consequendæ supremæ felicitatis, neque miraculum circa vos divinitùs factum me de rei veritate dubitare sinit, ostendite ergo mihi, amabò, quam insistere debeam viam, ut hanc felicitatem assequar.

31. *Crede in Dominum Jesum.* Hoc est, verâ animi fiduciâ in Jesum Christum unicum Servatorem à Deo constitutum recumbe, firmiter persuasus te, si anteactæ vitæ pœnitens reliquum vitæ spatium ex ipsius doctrinæ præscripto transigere seriò proposueris, ipsius sanguine ab omnibus omninò peccatis ablutum iri.

Et salvus eris tu. Hoc est, & beatitatem supremam in æterna vita consequeris, juxta Christi promissum, Jo. 3. v. 15, 16 & 36. 6. v. 47.

Et domus tua. Id est, domesticique tui sub eadem conditione, nempe si & ipsi eâ fide Christum fuerint amplexi, quæ ad pœnitentiam, & vitæ emendationem ad ipsius doctrinæ normam eorum animum flectat.

32. *Et locuti sunt ei verbum Domini,* &c. Id est, Evangelium Jesu Christi. Quis sit iste Jesus Filius Dei: quid in terris egerit, & pro redemtione humani generis passus fuerit, quanta miracula ediderit, quomodo, quamvis Judæorum instigatione

crucifixus revixerit, super omnes cœlos ascenderit, & Dominus omnium constitutus fuerit: quæ promissa atque præcepta proposuerit. Hæc summatim exposuerunt. Nam talia in concionibus suis Apostoli edisserere sunt soliti.

Cum omnibus qui erant in domo ejus. Q. d. Non commentarienſi soli, sed & domesticis ejus omnibus, qui ipsum an ullus vinctorum effugisset reseratis terræ-motu carceris foribus visurum è domo sua ad carcerem erant comitari, liquidam distinctámque Christi ejúsque doctrinæ cognitionem dederunt.

33. *Et tollens eos in illa hora noctis, lavit plagas eorum.* Id est, Grotio interprete, *Adductis ad* κολυμβήθραν piscinam *aliquam, quæ erat intra septa carceris, abluit sanguinem virgis excitatum.* Sanguis aquis eluitur, & earum frigore fluxus ejus continetur. atque vulnera per ablutionem mundantur, & ad sanationem disponuntur: ideo vulnera lymphis abluere usitatum.

Et Baptizatus est, &c. Q. d. Ipse verò commentarienſis, omnésque domestici ejus, qui sermonem Domini prædicatum audiverunt versu mox sequente, citra moram juxta Christi institutum immersi sunt in aquam, ut hoc signo profiterentur se peccatis morituros, novámque ac piam vitam imposterum acturos.

34. *Cúmque perduxisset eos in domum suam.* Ad carcerem sitam, ut solent esse domus commentarienſium.

Apposuit eis mensam. Id est, convivio eos refecit, ut Levi Christum Luc. 5. v. 29. Zachæus 19. v. 6.

Lætatus est cum omni domo sua credens Deo. Participium hîc causam reddit, q. d. In eo gaviſus vehementérque lætatus est, quòd non ipse tantùm, sed & universi ejus domestici fidem in Deum verum, quem anteà ignorabant, agnovissent ac suscepissent. Sic suprà cap. 8. v. 39. Æthiops Eunuchus agnitâ veritate divinâ lætitiæ plenus describitur.

35. *Miserunt Magistratus.* Gr. οἱ στρατηγοὶ, *Prætores*, seu *militum duces.* Vide quæ diximus suprà v. 20.

Lictores. Gr. τοὺς ῥαβδούχους. Grorius censet in Latina translatione vocem *rabduchos* esse retinendam, *Quanquam enim*, inquit, *& Plutarchus & Glossaria* lictores *Græcè* ῥαβδούχους *vocant, ipsa tamen vox Græca quosvis Magistratuum ministros significat, quòd baculum, qui Græcè* ῥάβδος *dicitur, in ministerii sui signum gestarent.* Calvinus ῥαβδούχους reddit *apparitores.* Beza & Stephanus *viatores.*

Dicentes: Dimitte homines illos. Subierat judices urbanos pœnitentia, quòd in plebis commotæ gratiam velut maleficos convictos cædi jussissent homines advenas inauditos contra Romanas & omnium benè moratarum gentium leges.

36. *Ut*

36. *Ite in pace.* Id eſt, abite liberi & feliciter agite.

37. *Paulus autem dixit eis.* Quos miſerant Magiſtratus.

Cæſos nos publicè. Dicuntur Magiſtratus feciſſe, quod fieri juſſerant. Injuriam augebat, quòd eſſet illata in publico, in conſpectu populi.

Indemnatos. Id eſt, inauditos & indefenſos contra juris ordinem, quo

Qui ſtatuit aliquid parte inauditâ alterâ,
Æquum licèt ſtatuerit, haud æquus fuit.

Homines Romanos. Contra leges Porciam & Semproniam. Cicero pro Rabirio, *Porcia lex virgas ab omnium civium Romanorum corpore amovet.* Et Verrinâ quintâ; *Cædebatur virgis in medio foro Meſſanæ civis Romanus, Judices; cùm interea nullus gemitus, nulla vox iſtius miſeri inter dolorem, crepitúmque plagarum audiebatur, niſi hæc, Civis Romanus ſum. Hac ſe commemoratione civitatis omnia verbera depulſurum, cruciatúmque à corpore dejecturum arbitrabatur.* Et mox! *O nomen dulce libertatis! O jus eximium noſtræ civitatis! O lex Porcia legéſque Semproniæ!* Haud ita multò poſt: *Facinus eſt, vinciri civem Romanum, ſcelus verberari.*

Miſerunt in carcerem. Quaſi atrociores de nobis pœnas ſumturi.

Et nunc occultè nos ejiciunt. Q. d. Nunc verò publicè & palàm ignominioſâ affectos injuria, abſque honoris reſtitutione privatim & occultè extrudere volunt.

Non ita, &c. Sedenim jam non è carcere exibimus, niſi judices ipſi honorificè nos inde educant, ut appareat nos immerenter fuiſſe verberatos & in vincula conjectos.

38. *Timuerúntque audito quòd Romani eſſent.* Id eſt. metuebant ne accuſarentur criminis læſæ majeſtatis, quod Cicero Verri circa finem Verrinæ quintæ minatur. Nam legibus conſtiturum erat ut cive Romano læſo, ipſa populi Romani majeſtas læſa cenſeretur. *Non movento,* ait præclarè Calvinus, *altero capite, quòd perperàm in homines innoxios ſævierint, nullâ interpoſitâ cognitione: & tamen gravior erat illa exprobratio. Sed quia nullum vindictæ timebant ex hominibus, Dei judicio non movebantur: hinc fit ut ſecurè præterant quòd de injuſtitia objectum erat, tantùm ſibi metuunt à ſecuribus Romanis propter violatam libertatem in civis corpore. Sciebant hoc ſummis Præſidibus eſſe capitale: quid ergo coloniæ unius Decurionibus futurum erat? Talis eſt impiorum metus, qui ſtupidam habent conſcientiam coram Deo, ſibi in omnibus peccatis prolixè indulgent, donec immineat ultio ab hominibus.*

39. *Et venientes.* Nempe urbani Judices in carcerem ad Paulum & Silam, qui, ut Grotio placet, per Synecdochen

Romani dicuntur, cùm solus Paulus jus Romanæ civitatis habuerit. Talis extat Synecdoche Mat. 27. v. 44.

Deprecati sunt eos. Gr. Παρεκάλεσαν αὐτούς, quod alii reddunt, *Consolati sunt eos.* Nempe blandis verbis eos sunt deprecati ut injuriam sibi immerentibus illatam ab ipsis clamore populi coactis condonarent & ignoscerent; atque ita eorum innocentiam confitentes, eos solabantur.

Et educentes rogabant ut egrederentur de urbe. Q. d. Eductósque è carcere precibus urserunt ut Philippis egrederentur, ne forsan quid gravius ab iratis Philippenis paterentur.

40. *Exeuntes autem.* Paulus scilicet & Silas.

Introierunt ad Lydiam. Id est, in domum Lydiæ fœminæ piæ Philippis habitantis, de qua suprà v. 14.

Et visis fratribus. Id est, Christianis, qui in Lydiæ ædes convenerant.

Consolati sunt eos. Cohortatione ad constantiam in religione Christiana, cùm Deus iis qui hujus religionis ergô persecutionem patiuntur, etiam præter expectationem per miracula subveniat & opituletur.

Et profecti sunt. Philippis, ut Judices urbani petierunt versu mox præcedente. *Nempe,* inquit Grotius, *tum ne periculis se ingererent non necessariis, tum quia Macedonia, quam ipsis Deus commendaverat, latiùs patebat.*

CAP.

CAP. XVII.

1. *Cùm autem perambulassent.* Paulus scilicet & Silas.

Amphipolim. Urbem Macedoniæ juxta Philippos, Thraciæ confinem, quæ, ut ex Thucydidis lib. 1. & 4. apparet, priùs vocabatur Ἐννέα ὁδοὶ, *Novem viæ*, sed ab Agnone Atheniensium duce capta, *Amphipolis* dicta fuit, quòd à fluvio Strymone utrinque allueretur. Posteà *Christopolis* à Græcis appellata est, vulgo Christiano *Christopoli*, Turcis *Emboli* hodie dicitur, éstque urbs Archiepiscopalis Macedoniæ.

Et Apolloniam. Urbem Macedoniæ, in ejus parte Mygdonia dicta, ad fluvium Chidorum, duodecim circiter milliariis Thessalonicâ distantem, quæ hodie *Ceres* vocatur.

Venerunt Thessalonicam. Civitatem Macedoniæ amplissimam, & emporium celeberrimum, *quæ*, ut legimus in excerptis Strabonis lib. 7. *priùs Therme vocabatur, opus verò est Cassandri, qui eam de nomine suæ uxoris, filiæ Philippi filii Amyntæ Thessalonicen nominavit, finitimorum oppidorum incolis in eam deductis, velut Chalastræ, Æneæ, Cissi, & aliorum quoque quorundam.* Erat vicina Thermæo sinui, qui à Therme nomen habet, unde creditur esse qui hodie vulgò Italis dicitur *Golfo di Salonichi.* Itali enim Thessalonicen vocant *Salonichi.*

Ubi erat Synagoga Judæorum. Cùm videlicet Amphipoli & Apolloniæ nulla esset.

2. *Secundum consuetudinem.* Quam nimirùm habebat Paulus, adeundi Judæos in eorum Synagogis.

Disserebat eis de Scripturis. Nempe veteris Testamenti, quæ à Judæis pro Canonicis recipiebantur.

3. *Adaperiens*, &c. Q. d. Explicans apertè tum expressa de Messia vaticinia tum typos quibus adumbrabatur, ut Judæorum oculis subjiceret ipsum debuisse verbera, vulnera, indignâmque necem pati, & ad vitam reverti, proindéque Jesum à se prædicatum esse illum à Prophetis prædictum Messiam, cùm omnia quæ de diris perpessionibus, acerbis afflictionibus, ignominiosa morte, gloriosáque resurrectione prænuntiarunt Prophetæ, in eum unum aptè quadrare eventu deprehendatur. Hanc Pauli Methodum adhibet, quisquis pro Christo adversus hæreticos bellum gerit. *Arma cœlestia intentat, aciem Scripturaram instruit. His gladiis compellit hæreticos ad officium,*

his crucibus atque tormentis duritiam eorum frangit & subigit, uti eleganter dicit doctissimus Nicolaus Rigaltius nostras ad Tert. Scorp. cap. 11. Vide infrà v. 17. & cap. 26. v. 9. & suprà cap. 5. v. 39.

Quia hic est Jesus Christus, quem ego annuntio vobis. Verborum istorum transpositorum hic est ordo, *Quia hic Jesus, quem ego annuntio vobis, est Christus*, id est, Messias ille, quem Prophetæ prædixerunt indignâ morte peremtum à mortuis esse excitandum.

Quem ego annuntio vobis. Commutatur oratio ex obliqua in directam, quod frequens est tum aliis, tum sacris maximè Scriptoribus,

4. *Et quidam ex eis.* Qui Pauli dissertationibus in Synagoga Thessalonicensi habitis interfuerunt Judæi.

Credidérunt. Jesum videlicet esse illum Messiam in Lege & Prophetis promissum, qui salvos faceret credentes in se à peccatis eorum.

Et adjuncti sunt Paulo & Silæ. In verbo Græco προσκληρώθησαν *plus aliquantò est*, inquit Grotius, *& significat illos plane addictos fuisse Paulo & Silæ, sicut res hereditariæ apud Hebræos. Utitur hoc Verbo & Lucianus: συγκληρῶσαι pro eodem dixit Aristides.*

Et de colentibus Gentilibus. Id est, ex iis, qui cùm origine essent Gentiles, relictis idolis vanis veri Dei cultum erant amplexi, priusquam ipsis annuntiaretur Evangelium.

Multitudo magna. Indicari videtur Paucos ex iis qui origine Judæi erant, plures autem ex gentilibus, qui jam antè à Gentilismo ad Judaicam religionem transierant, ad Christum fuisse conversos.

Et Mulíeres nobiles. Ex procerum illius civitatis uxoribus, quæ ut viri ex Ethnicis factæ erant Proselytæ.

5. *Zelántes*, &c. Q. d. Judæi autem, qui pertinaciùs Evangelio à Paulo & Sila prædicato repugnarunt, illud à tanta multitudine fuisse creditum furentes, assumtis nequissimis, & ad omne facinus emancipatis scurris, turmatim plebem concitaverunt adversus Paulum & Silam, & circumsidentes domum Jasonis, qui illos hospitio acceperat, tumultuosè contendebant eos inde extrahere, ut turbæ plebis furiatæ objicerent trucidandos ac discerpendos.

De vulgo viros quosdam. Gr, ἀπὸ ἀγοραίων τινὰς, *circumforaneorum quosdam.* Hos circumforaneos Tacitus vocat *sordidam plebem, circo ac theatris assuetam.* Cicero *cœnum fœcémque civitatis.* Apuleius *trivialem populariumfecem.* Horatius *natam in triviis, & pinè forensem.* Livius *sordidam factionem.* Plautus *scurras*, quos sic Graphicè depingit,

Nihil

Nihil eſt profectò ſtultius neque ſtolidius,
Neque mendaciloquius, neque argutum magis,
Neque confidentiloquius, neque perjurius,
Quàm urbani aſſidui cives quos ſcurras vocant.

Malos. Qui nimirùm maleficio & ſcelere paſcuntur.

Et turbâ factâ. Id eſt, plebiſque multitudine in unum congregatâ.

Concitaverunt civitatem. Hoc eſt, injecere tumultum civitati.

Et aſſiſtentes domui Jaſonis. Id eſt, obſidentes domum Jaſonis civis Theſſalonicenſis apud quem Paulus & Silas diverſabantur. Sunt qui velint hunc Jaſonem eſſe eundem cum illo, cujus mentio fit Rom. 16. v. 10. quanquam is tunc Corinthi habitavit.

Quæribant. Id eſt, omni ope atque operâ enitebantur

Eos producere in populum. Hoc eſt, in proſpectum populi, ut ab ipſo graviter commoto diſcerperentur.

6. *Et cùm non invenijſſent eos.* Paulum ſcilicet & Silam.

Et quoſdam fratres. In Chriſto, id eſt, Chriſtianos.

Ad principes civitatis. Hoc eſt, ad Magiſtratus Theſſalonicenſes.

Clamantes. Ut Rabulæ forenſes ſolent, quibus in more poſitum vociferationibus forum implere magniſque clamoribus ad ravim uſque judicum aures obtundere. Unde & *Proclamatores*, & *clamatores* Cicero eos vocat lib. 1. de Oratore. *Non enim Cauſidicum neſcio quem, neque Proclamatorem, neque Rabulam hoc ſermone noſtro conquirimus.* Et lib. 3. de Oratore, de Pericle ait: *At non hunc Clamator aliquis ad clepſydram latrare docuerat.* Quintilianus *Latratores* appellat lib. 12. Inſtitut. Orator. *Super omnia perit illa, quæ plurimùm Oratori & autoritatis & fidei adfert, modeſtia, ſi à viro bono in Rabulam, Latratorémque convertitur.*

Qui Orbem concitant, & huc venerunt. Q. d. Iſti errones, qui ubique gentium novæ religionis introductione ſeditionem concitant, etiam huc in urbem Theſſalonicam eo conſilio venerunt, ut nos quietos novis ſuis dogmatis conturbarent. Præclarè Calvinus, *Hoc eſt*, inquit, *Evangelii conditio, ut illi imputentur tumultus, quos in illius oppugnationem Satan concitat. Hæc quoque hoſtium Chriſti improbitas eſt, ut in ſanctos & modeſtos doctores regerant turbarum culpam, quarum ipſi ſunt autores. Certè non in hunc finem prædicatur Evangelium, ut homines ad mutuos conflictus accendat, ſed potiùs ut Deo reconciliatos in pace continet. Quum nos illic Chriſtus ad ſe benignè invitat, Satan & impii tumultuantur. Paulo igitur & Silæ in promtu erat defenſio: ſed oportuit hanc falſam in-*

infamiam ipsos ad tempus subire, & quantisper non audiebantur, tacitos devorare. Et Dominus eorum exemplo monere nos voluit, non cedendum esse calumniis nec sinistris rumoribus, quin fortiter in asserenda veritate perstemus, parati in rectè factis malè audire. Quare faciessat perversa quorundam sapientia, qui ut falsum crimen refugiant, Christum & Evangelium non dubitant perfidâ suâ moderatione prodere: ac si eorum fama prætiosior esset quàm Pauli & similium: imò quàm sacrum Dei nomen, quod à blasphemiis immune non est.

7. *Quos suscepit Jason.* Id est, eos ipsorum fautor Jason hospitio excepit.

Contra decreta Cæsaris faciunt. Populus Romanus olim, & posteà Cæsares, qui populi Romani imperium in se transtulerunt, non sinebant in provinciis ipsorum imperio subjectis, quarum una tunc erat Macedonia, quenquam nisi suo permissu Regem appellari. *Grave*, inquit Calvinus, *& odiosum crimen, sed nimis impudenter confictum. Christi regnum, quod spirituale est, erigere studebant Paulus & Silas. Hoc Judæi sciebant fieri sine ulla Romani imperii injuria. Sciebant nihil illis minus fuisse propositum, quàm ut publicum statum labefactarent, vel jus suum eriperent Cæsari; sed colorem hunc malitiosè obtendunt quærendæ invidiæ causâ. Non tanti erat apud Macedones religio, præsertim Judaica, ut ejus causâ hominis ignotos protinùs ad cædem raperent. Prætextum igitur læsæ majestatis arripiunt Judæi, ut solâ criminis invidiâ innoxios obruant. Nec hodie desinit Satan stringendis hominum oculis tales fumos spargere. Optimè norunt Papistæ, & coram Deo satis supérque convicti sunt, plusquam vanum esse quod nobis objectant, convelli à nobis totam politiam, dissipari leges ac judicia, Regum potestatem everti: non tamen eos pudet, ut totum mundum nobis infensum reddant, nos publici ordinis hostes mentiri. Notandum enim est, quòd non tantùm insimulant Judæi violata fuisse Cæsaris edicta, quòd aliquid in religione ausi fuerint novare Paulus & Silas: sed quia alium esse dixerint Regem. Hoc crimen prorsus fictitium erat. Cæterùm, siquando tyrannicis edictis, quæ debitum Christo honorem, & cultum Deo præstare vetant, resistere nos cogit religio: tunc quoque jure testari licet, non violari à nobis Regum potestatem. Neque enim ita in sublime evecti sunt, ut gigantum more Deum ex solio suo detrahere moliantur. Vera erat illa Danielis excusatio, Adversùs Regem nihil deliqui, quum tamen nefario edicto non paruisset: neque enim injuriam fecerat homini mortali, quia illi Deum præferebat. Sic nos bonâ fide Principibus solvamus sua tributa, ad civile quodvis obsequium parati simus: verùm si suo gradu non contenti, excutere nobis velint Dei timorem & cultum, non est cur illos à nobis spreni quisquam dicat, quia plusquam est nobis Dei imperium & majestas.*

Regem. Totius videlicet humani generis. *Nam*, inquit Grotius, *Christiani Jesum vocabat* Κύριον Dominum, *quod in hoc libro sæpè;*

sæpè; sæpissimè verò in Paulinis literis occurrit. Hoc autem idem valet quod Βασιλεὺς Rex Apoc. 1. v. 8. 15. v. 3. 17. v. 14.

Alium. Nimirùm à Cæsare, *qui*, ut ait idem Grotius, *se κόσμου κύριον* mundi Dominum *dicebat, ut est in L.* Ἀξίωσις deprecatio, *D. ad legem Rhodiam.*

8. *Concitaverunt*, &c. Q. d. Fictis his criminibus in Paulum & Silam plebis in foro coactæ & Magistratuum, coram quibus objiciebantur, suspicionem commoverunt.

9. *Et.* Hîc ista vocula, quæ alioqui est copulativa, sumitur pro adversativa particula *sed*, ut & subinde alibi.

Acceptâ Satisfactione. Id est, satisdatione judicio sisti Paulum & Silam ubiubi opus erit.

A Jasone. Pauli & Silæ hospite.

Et ceteris. Christianis videlicet, qui suprà v. 6. unà cum Jasone rapti fuerant ad Magistratus Thessalonicenses.

Dimiserunt. Id est, liberos abire permiserunt.

10. *Fratres verò.* Id est, Christiani Thessalonicæ degentes.

Confestim. Ne furentes & violenti impetus plebis à pervicacibus Judæis concitatæ in Paulum, ac Silam fierent.

Per noctem dimiserunt Paulum & Silam in Berœam. Hoc est, clandestino modo, tenebrarum beneficio usi, eos ex urbe eduxerunt & prosequuti sunt, ut in aliam Macedoniæ urbem nomine Berœam commearent. Macedonica Berœa jacet inter Thessalonicam & Candavios montes Illyriam à Macedonia dividentes, prope Lydiam fluvium, in Emathia regione. Hæc urbs hodie vulgò *Veria* vocatur. Sic enim Græculi hodierni pronuntiant. *Boor* dicitur à Turcis, utì autor est Leunclavius. Plinius lib. 4. Hist. Nat. cap. 10. inter Macedoniæ urbes primo loco numerat Pellam, Philippi & Alexandri Magni Macedonum Regum patriam; Secundo Berœam.

Qui. Paulus & Silas.

Cùm venissent. Berœam.

In Synagogam Judæorum introierunt. Tentaturi an aliquos ex Berœensibus Judæis ad Christum convertere possent.

11. *Hi autem.* Judæi videlicet Berœam incolentes.

Erant nobiliores eorum qui sunt Thessalonicæ. Hoc est, indolis excellentiâ & animi nobilitate Thessalonicensibus præstabant.

Qui. Judæi Berœenses.

Susceperunt verbum cum omni aviditate. Id est, pronis auribus & promtis animis Evangelium à Paulo prædicatum auscultarunt.

Quotidie scrutantes Scripturas Hoc est, diligentissimè eorum, quæ de Christo prædicta sunt in Lege & Prophetis, sensum rimantes.

Si hæc ita se haberent. Id est, ut perviderent num quæ à Paulo de Jesu prædicabantur, congruerent cum Scriptis Mosis ac Prophetarum de Messia oraculis. Nempe ut præclarè Cyrillus

rillus Hierosolymorum Episcopus Catech. 4. Δεῖ περὶ τῆς θείας καὶ ἁγίας τῆς πίστεως μυστηρίων, μηδὲ τὸ τυχὸν ἄνευ τῆς θείας ἁγίας γραφῆς, μηδὲ ἁπλῶς πιθανότητι καὶ λόγων κατασκευῇ πιστεύεσθαι: *Divinorum sanctorumque fidei mysteriorum nihil sanctè absque Scripturarum autoritate tradi debet, neque simplici probabilitate verborúmque apparatu proferri.* Hinc patet contra Pontificios non cæcam deberi Ecclesiæ pastoribus obedientiam, sed eos demum nobiles inter Christianos esse censendos, qui quicquid à Pastoribus prædicatur, diligenter divino Sacrarum Scripturarum testimonio examinaverint. **We pretend to no blind obedience due to Church-mens directions, and count them noble Christians, who search and try all they say by that test of the Scriptures,** inquit in aureo libello, inscripto **the mystery of iniquity unvailed**, solidissimi judicii vir, & in orthodoxæ fidei dogmatibus adversus Papismum & irreligiositatem disceptandis nulli secundus, religiosissimus pariter ac doctissimus Sacræ Theologiæ doctor, Gilbertus Burnet, cujus insigni erga pauperes ac peregrinos charitati magna me debere beneficia profiteor.

12. *Et multi quidem crediderunt ex eis.* Q. d. Cùm autem Judæi Berœenses hoc Scripturarum scrutinio detexissent minimè doctrinæ Pauli cum vaticinationibus Mosis ac Prophetarum concentum atque consensum, longè plures ex eis, quàm ex Thessalonicensibus origine Judæis, Evangelio à Paulo prædicato fidem adhibuerunt, & Jesum esse Messiam in Lege ac Prophetis promissum agnoverunt.

Et mulierum, &c. Q. d. Quin & ex spectatis & honestis utriusque sexûs Ethnicis quàm plurimi Berœæ fidem in Jesum Christum susceperunt.

13. *Judæi.* Contumaciter resistentes verbo Dei, seu Evangelio à Paulo prædicato.

Commoventes & turbantes multitudinem. Hoc est, ut Berœæ turbam contra Paulum concirarent.

14. *Statímque*, &c. Q. d. At Christiani Berœenses ut ipse Paulus ex insidiis incredulorum Judæorum Thessalonicensium eriperetur, statim eum ad oram maris, quasi navi consensâ ex illis regionibus esset enavigaturus, deduci curarunt, cùm Timotheus & Silas Berœæ remanerent, ut ibi recens conversos in fide confirmarent. Quid autem Lucas tunc fecerit, ubíve fuerit, ipso reticente, divinare temerarium est.

Ut iret usque ad mare. Vulgares Græci codices habent, ὡς ἐπὶ τὴν θάλασσαν, quod Syrus, Arabs, & Æthiopicus simpliciter reddunt,

mare, vacante vel ὡς, vel ὅτι. *Nam*, inquit Ludovicus de Dieu, ὡς θάλασσαν *Atticè rectè dicitur pro* ὅτι θάλασσαν, *ad mare*, *ſicut* ὡς Βασιλέα, ad regem, ὡς ἐμέ, ad me, *paſſim apud Ariſtophanem, Xenophontem, Demoſthenem, aliòſque Scriptores Atticos, etiam apud Homerum, qui Odyſſeæ* Ρ΄ *dixit*, ὡς ἀεὶ τὸν ὅμοιον ἄγει θεὸς ὡς τὸν ὅμοιον, quàm ſemper ſimilem adducit Deus ad ſimilem! *Neque deſunt alia exempla, ubi* ὡς *aliis particulis ſic jungitur, ut alterutrum vacet Ut* ὡς ὅτι μάλιστα. quàm maximè, *apud Platonem, quum ſufficeret* ὡς μάλιστα, vel ὅτι μάλιστα. *Apud eundem* ὡς ὅτι βέλτιστον, quàm optimum. *Apud Galenum* ὡς ὅτι μαλακώτατα, quàm molliſſima. *Sic* ὡς ἀληθῶς *pro ſimplici* ἀληθῶς, verè, *apud Demoſthenem, Platonem, & alios. Et ad Homeri Iliad.* Β΄. *Euſtathius annotat Oratores ſæpè ponere* ὡς *tanquam* παρέλκον, redundans.

15. *Qui autem.* Bercœenſium fratrum mandato.

Deducebant Paulum. Ad oram maris. Gr. καθιστῶντες τὸν Παῦλον, *conſtituentes Paulum*, id eſt, qui comitatu ſuo ſecuritatem ab adverſariorum inſidiis Paulo præſtabant, vel *qui Paulum ſuſceperant tuto loco conſtituendum*, utì clariſſimus Beza interpretatur.

Perduxerunt eum uſque ad Athenas. Atticas videlicet ubi turus ab implacabili Theſſalonicenſium Judæorum odio Paulus videbatur. *In meo vetuſtiſſimo codice*, inquit Beza, *poſt* ἕως Ἀθηνῶν, Athenas uſque, *ſcribitur*, Παρῆλθεν δὲ καὶ Θεσσαλίαν· ἐκωλύθη γὰρ ὑπ' αὐτοῦ κηρύξαι τὸν λόγον. Præterierat autem, *nuſquam videlicet ibi commoratus*, Theſſaliam: quòd prohiberetur eis, *nempe Theſſalis*, Sermonem *Dei* prædicare. *Et certè mirum alioqui videri poſſet Paulum tot regiones quot inter Theſſalonicam & Athenas interſunt, nempe Theſſaliam, Bœotiam, & Atticam, nuſquam annuntiato Evangelio præteriiſſe: vel* Lucam *Pauli jam tum comitem, ut apparet ſupra cap.* 16. *v.* 10. *eorum quæ ibi dicta factáque ſunt, hiſtoriam totam prætermiſiſſe.*

Et accepto mandato ab eo, &c. Q. d. Cúmque illi, qui Bercœâ Athenas Paulum ſunt comitati, accepiſſent ab eo mandatum ad Silam & Timotheum Bercœæ relictos, ut quàm citiſſimè ad ipſum venirent, Athenis abierunt, Bercœam rediturì. Erant autem Athenæ Atticæ ad Iliſſum fluvium prope ſinum Saronicum, Urbs Græciæ clariſſima, & Atticæ metropolis, ex qua humanitatem, doctrinam, religionem, fruges, jura & leges ortas, atque in omnes terras diſtributas eſſe exiſtimabant Romani, utì teſtatur diſertiſſimus Romuli nepotum pro Lucilio Flacco. Unde Lucretius de rerum natura lib. 6.

Prima

Primæ frugiferos fœtus mortalibus ægris
Dedidérunt quondam præclaro nomine Athenæ,
Et recreavérunt vitam, legésque rogárunt
Et primæ dederunt solátia dulcia vitæ.

16. *Paulus autem cum Athenis eos expectaret.* Id est, Silam & Timotheum, ut ipsum adjuvarent in negotio Evangelii promovendo.

Incitabatur, &c. Q. d. Magnâ animi perturbatione commovebatur, quum ipsi per Athenarum vicos incedenti, tot locis tot occurrerent Deorum simulachra. Gr. Παρωξύνετο τὸ πνεῦμα αὐτοῦ, *exacerbatus est spiritus ejus.* Sic Asaph Ps. 73. v. 21. dixit, תחמץ לבי *exacerbatum est cor meum.* Lactantius lib. de ira Dei cap. 17. *Necesse est bono ac justo displicere quæ prava sunt: & cui malum displicet, moveri cùm id fieri videat.* Et pòst, *Naturale est bono ad alterius peccatum moveri & incitari.* Sic 1 Mac. 2. v. 24. Mattathias Judæum idolis sacrificantem videns, magno zelo exarsit. Sic 2 Pet. 2. v. 8. Lothus justus aspectu scelerum Sodomitarum in dies cruciabatur. Sic Apoc. 2. v. 2. Angelus Ephesi non potest sustinere malos. Apuleius adulterum ad suam Dominam quotidie commeantem videns dixit: *At mihi penitùs præcordia carpebantur.*

Idololatriæ deditam. Gr. κατείδωλον, id est, Casaubono interprete, *idolis refertam.* Petronius Athenienses facetè perstringens, introduxit quendam dicentem, *Utique nostra regio tam prægentibus plena est numinibus, ut facilius possis Deum, quàm hominem invenire.*

17. *Disputabat igitur.* Nempe de religione rebúsque ad eam spectantibus. Non violentâ manu idola demoliri, sed idololatriam ex animis amoliri nervosâ oratione aggreditur Christi Apostolus. *Hæretici*, inquit Bernardus ser. 64. in cantic. *capiantur potiùs quàm effugentur, capiantur dico non armis, sed argumentis revellantur errores eorum.* Et Ser. 66. *Fides suadenda, non imperanda.* Lactantius Institut. lib. 5. cap. 19. *Non est opus vi & injuriâ, quia religio cogi non potest; verbis potiùs, quàm verberibus res agenda est, ut sit voluntas.* Ibidem Paulò pòst: *Nos* Christiani *non illicimus, ut ipsi* Ethnici *objectant, sed docemus, probamus, ostendimus. Itaque nemo à nobis retinetur invitus, inutilis est enim Deo, qui devotione ac fide caret; & tamen nemo discedit, ipsâ veritate retinente.* Vide adnotata suprà v. 3. & cap. 5. v. 39. & infrà cap. 26. v. 9.

In Synagoga cum Judæis & colentibus. Id est, cum Judæis origine atque proselytis, qui ex gentibus extraneis orti religionem Judaicam susceperant. Vide suprà v. 4.

Ad

Ad vos qui adierant. Hoc est, cum quibusvis forum adeuntibus, seu *cum quibusvis obviis*, uti Beza ex Græco hîc reddit.

18. *Quidam autem Epicurei & Stoici Philosophi.* Duo Philosophorum genera nominat, maximè alienorum à Christiana religione. Autumabat enim Epicurus infra Dei majestatem esse, res humanas curare. Hanc ob causam Cicero, Plutarchus & alii Epicurum ex albo Philosophorum expunxerunt. *Nam Epicurei*, inquit Grotius, *neque mundum conditum à Deo credebant, neque Deo curam esse rerum humanarum; neque ulla præmia aut pœnas post mortem; neque bonum aliud quàm quod sensibus percipitur.* Stoici verò ad unum omnes, unico forsan Socrate excepto, elato ac superbo fuere animo. Sapientem suum in idea effictum Deo parem esse, imò aliquatenùs antecedere, superbè atque furiosè nugabantur. *Tantùm*, inquit Seneca epist. 53. *sapienti sua, quantùm Deo omnis ætas patet. Est aliquid quo sapiens antecedat Deum: ille naturæ beneficio non timet, suo sapiens. Ecce res magna, habere imbecillitatem hominis, securitatem Dei.* Et epist. 73. *Solebat Sextius dicere, Jovem plus non posse, quàm bonum virum. Plus Jupiter habet, quæ præstet hominibus; sed inter duos bonos non est melior, qui locupletior. Jupiter quo antecedit virum bonum? Diutius bonus est. Sapiens nihilo se minoris æstimat, quòd virtutes ejus spatio breviore clauduntur.*

Disserebant cum eo. Gr. συνέβαλλον αὐτῷ, *congrediebantur cum eo*, hoc est, acriter eum oppugnabant.

Seminiverbius. Id est, seminator verborum, locuteleius, &, ut Plinius loquitur, *qui libens verba funditat.* Gr. σπερμολόγος. Quâ voce Aristoteles aviculam, quæ *frugilega* latinè dicitur, ἀπὸ τὸ λέγειν σπέρματα, quòd rostro refossa semina legat & depascatur. Inde apud Atticos ad hominum mendicabula, qui circa mercatus & fora versantur, ut quæ ex saccis defluunt colligant, atque inde vivant, fuisse translatam docet Eustathius. Hinc usurpatur ut convitium in homines nauci ac nullius pretii, qui ab omnibus despicatui ducuntur. Paulus itaque *Spermologus* audit à Philosophis Athenienſibus, non ut blatero, *qui*, ut Gellius loquitur, *nullo rerum pondere innixus, verbis humidis & lapsantibus diffluit*, sed ut homo tenuissimæ fortunæ, parúmque splendidè vestitus. Q. d. Quid vult vilissimus iste homuncio dicere?

Novorum dæmoniorum videtur annuntiator esse. Dæmonia in sacris litteris appellantur impuri Spiritus, qui sunt ab Ethnicis prodiis culti & habiti, & hoc ipso nomine Græcè vocati, sed tanquam honorifico, quasi *Scientes*, sive *Sapientes* appelles, propter data videlicet ab ipsis oracula. *Scientis* autem appellatio mirè congruit cum historia arboris Scientiæ boni & mali Gen. 3. Porrò apud eosdem Athenienses & Socrates Philoso-

phus

phus olim fuit accusatus, quòd Deos receptos tolleret, ξένα δὲ καινὰ δαιμόνια εἰσηγούμενος, *alia ac nova dæmonia*, id est, numina, *introducens*, ut Diogenes Laertius in ejus vita scripsit.

Quia Jesum & Resurrectionem annuntiabat eis. Paulus prædicabat credendum esse in Jesum Nazarenum miraculis editis clarum, ipsiúsque Resurrectione constare nos aliquando esse resurrecturos. At Sophistæ perperàm Pauli verba interpretantes, opinati sunt eum tam per ἀνάστασιν, *Resurrectionem*, quàm per *Jesum* significare voluisse numen aliquod adorandum, ipsámque ἀνάστασιν esse Deam aliquam novam, ut & Chrysostomus adnotavit.

19. *Et apprehensum eum.* Nempe Paulum, ut cum eis in talem locum procederet, in quo honestiùs quàm in foro inter promiscuam multitudinem exponeret quid novæ rei adferret.

Ad Areopagum duxerunt. Areopagus una erat regio Athenis ex quinque in quas tota urbs aliquando fuit divisa. Eæ autem fuere Ἄρεως πάγος, seu Ἀρειοπάγος, *Martius pagus*, seu *Areopagus*, Κρόνου πάγος, *Saturni pagus*, Παλλάδος πάγος, *Pânis pagus*, Ποσειδῶνος πάγος, *Neptuni pagus*. Ἑρμοῦ πάγος, *Mercurii pagus*. A Marte, qui Græcè Ἄρης vocatur, denominatus fuit *Areopagus*, quasi *Martius collis*, quòd Mars illic primùm cæso Halirrhotio Neptuni filio ut reus citatus capitis causam dixerit, ut tradit Pausanias lib. 1. vel quòd Marti esset consecratus, ut eriam Martis templum ibi esset, quomodo in ceteris quatuor collibus erat Saturni, Pânis, Neptuni & Mercurii. In Areopago à Judicibus, qui inde Areopagitæ sunt nominati, judicia à Cecrope Athenarum primo Rege instituta de causis & criminibus gravibus exercebantur. Hinc Hesychius, Ἄρεως πάγος ἐν Ἀθήναις δικαστήριον ἐν ἀκροπόλει, *Areopagus Athenis tribunal in arce.* Athenarum arx *Acropolis* peculiari nomine dicebatur & *polis*, uti adnotavit doctissimus Thomas de Pinedo. Hoc tribunal à Juvenale Sat. 9. v. 100. *Curia Martis* appellatur.

Ergo occulta teges, ut curia Martis Athenis.

Ad quem versum Thomas Farnabius, *Areopagitæ tacentes judicabant per characteres & litteras. Pers.* 4. Nigrum scis ponere Theta. *Dicitur Areopagus ab* Ἄρης, Mars, & πάγος, Saxum, collis. *Hîc enim à Neptuno Mars homicidii accusatus coram duodecim Diis, sex sententiis absolutus est.* Hujus curiæ judices erant integri, incorruptíque, unde parœmiæ, *Areopagita severior*, & *Areopagita taciturnior.* Cicero lib. 1. ad Atticum epist. 14. *Romanæ*, inquit, *se res sic habent: Senatus Ἄρειος πάγος, nihil constantius, nihil severius, nihil fortius.*

Poss-

Possumus scire, &c. Q. d. Age nunc, edisserе nobis, si placet, nova quæ prædicas dogmata.

20. *Nova*, &c. Q. d. Inaudita quippe nobis antehac doctrina à te prædicatur, cujus penitùs pernoscendæ nos ingens incessit cupido.

21. *Athenienses.* Id est, Athenarum cives indigenæ.

Advenæ hospites. Id est, qui ex aliis regionibus Athenas portu & artium domicilio celebres confluxerant & ibi commorabantur, indigenarúmque moribus sese accommodabant.

Ad nihil aliud vacabant, &c. Hoc est, novis rumoribus aucupandis, serendísque tempus conterebant. Apud Thucydidem lib. 3. Cleon Athenienſibus objicit ipsos esse rerum quidem insuetarum semper servos, usitatarum verò contemtores. Similia habentur apud Demosthenem Philippicâ quartâ, & ad Philippi epistolam responsione, & Olynthiacâ tertiâ.

Aliquid novi. Gr. καινότερον, *novius.* Comparativus pro Positivo. Sic & apud Platonem, τί καινότερον, ὦ Σώκρατες; *quid novi, ô Socrates?* Et apud Demosthenem locis mox laudatis usurpatur comparativus νεώτερον, quomodo hîc καινότερον, pro Positivo.

22. *Stans autem Paulus in medio Areopagi, ait.* Q. d. Cùm Paulus constituisset in medio loci illius celebris, qui Areopagus dicebatur, hominum frequentiâ referti, ore imperturbato sic eos est affatus.

Viri Athenienses. Ita eos etiam ipsorum Oratores, ut Demosthenes & Æschines compellare soliti.

Per omnia quasi superstitiosiores vos video. Annotavit Erasmus in hoc sermone Pauli miram solertiam & prudentiam, cujus verba, cùm egregiè hunc locum illustrent, non pigebit hic adscribere. 'Res, *inquit*, erat Apostolo prædicanti 'Evangelium Athenis cum diversarum sententiarum hominibus: in his erant Epicurei, qui negant ullos esse Deos, 'aut negant illis esse curæ res mortalium: & Stoici, inuri'les auditores gratiæ evangelicæ, quippe qui sapientem suum 'aquarent deis, atque hominis summum bonum in ipsius ho'minis viribus collocarent: reliqua turba miserabili caligine 'omnium dæmoniorum genus pro vero Deo colebat. Apud 'tale theatrum quomodo orationem suam temperat? Num 'exorditur ab execratione criminis idololatriæ? Num appellat 'Deos Athenienſium *ligna ac lapides*, aut quod his deterius est, '*impios Spiritus, Deo invisos & generi humano inimicos?* Num exprobrat illis nefaria crimina, per quæ traditi fuissent in reprobum sensum, qualia contexit in epistola ad Romanos? 'Nequaquam, nondum enim expediebat, sed moderatissimè 'dicit, se ex illorum simulachris & monumentis deprehendisse, 'Athenienses non vacare omninò superstitione. Superstitionis

'verbum mollius est quàm idololatriæ, & hoc ipsum mitigat
'per Comparativum *Superstitiosiores*, atque hoc rursus attenuat
'addens *quasi*. Quid sibi vult hæc Apostoli civilitas? Quò
'spectat, quid captat? Num timebat Athenienses? Nequa-
'quam, sed lucrum affectat, & consecutus est. Sciebat Athe-
'nienses esse deditos cultui simulacrorum, quemadmodum
'ceteras gentes, etiam antequam veniret Athenas. Verùm ne
'videretur siniſtram de Athenienſibus opinionem ſecum attu-
'liſſe, aut eſſe curioſus in Republica aliena, ait ſe ſuperſtitio-
'nem illorum deprehendiſſe è ſimulacris in publico poſitis,
'idque non ſtudio, ſed fortè prætereuntem. Neque ea vocat
'idola aut impietatis monumenta, ſed mitiore verbo σεβάσμα-
'τα, quod & in bonam partem ſonat. Conſilii & illud fuit
'quod ait, ſe vidiſſe aram inſcriptam, *Ignoto Deo*. Quid egit hac
'prudentiâ, nimirùm quò pronioribus uteretur illorum auri-
'bus, ſi non videretur novæ religionis autor, quod apud Athe-
'nienſes capite plectebatur, ſed eum prædicaret Deum, quem
'ipſi dudum licèt inſcienter colerent. Jam illud mihi conſide-
'ra, quibus verbis prædicet *ignotum*: non ait: Deus Abraham,
'Deus Iſaac, Deus Jacob, quemadmodum Petrus apud Judæos
'verba faciens, ſed ſermone ita temperato, ut poſſet & ab Eth-
'nicis patienter audiri: Deus qui fecit mundum & omnia quæ
in eo ſunt. *Addit Paulus:* Hic cœli & terræ cùm ſit Dominus, non in manufactis templis habitat, nec manibus humanis colitur indigens aliquo, cùm ipſe det omnibus vitam & inſpirationem, & omnia. *Hactenus nihil dicit quod ferri non poſſit. Nec hîc audis teſtimonia Prophetarum, quibus uſus eſt Petrus apud Judæos, ſed Arati teſtimonium producit:* Ipſius & genus ſumus, *non illum quidem nominans, ſed quod erat ad perſuadendum accommodatius*, Sicut, *inquit*, & quidam veſtrorum Poetarum dixerunt: *tametſi vocem* Poetarum *ſuſpicor à recentioribus additam, vel hoc argumento, quòd pervetuſtus ille Irenæus citans hunc locum, non apposuit* Poetarum, *nec Auguſtinus. Nunc illud obſerva, quantâ prudentiâ Arati teſtimonium ad id quod agit accommodet. Si Deus non abeſt ab unoquoque noſtrùm, cujus beneficio ſpiramus & vivimus, non eſt utique viſibilis aut corporeus, aut aliquo ſenſu perceptibilis, multò minùs quàm anima noſtra, cùm ille ſit animæ noſtræ quaſi anima. Dein ſi filii ejus ſumus, non decet ut filii de tanto parente humilem geramus ſuſpicionem: conſtat enim animum longè præſtantiorem eſſe hominis partem, ſine quo corpus nihil eſt; atqui corpus hominis longè præſtat ſimulacris ligneis, lapideis, æreis, argenteis, aureis, in quibus nec ſenſus eſt ullus nec motus, nec à Deo condita ſunt ſed à fabro. Proinde qui ſimulacra colunt, id habent pro Deo quod eſt deteriore hominis parte vilius. Vides quantâ cautione, quantaque temperantiâ demonſtravit culturam idolorum non eſſe religionem ſed ſuperſtitionem. Hic*

certè

certè erat locus excandescendi in Athenienſium cæcitatem; qui cum ita didiciſſent è ſuis autoribus, tamen res mutas ac mortuas pro Deo colerent. Verùm nec hîc quicquam acerbius loquitur. Totam ſuperiorum ſæculorum amentiam in ipſa tempora rejicit, atque in Dei diſſimulatione, ut quicquid hactenus geſtum eſſet, per ignorantiam in qua Deus paſſus eſt homines ad tempus cæcutire, excuſaretur, tantùm ut nunc ad exuſcitantem Evangelii lucem reſipiſcant. Nec hîc ad Athenienſes propriè ſermonem dirigit, ſed quò minùs offenderet in genere loquitur, ut omnes, *inquit,* ubique pœnitentiam agant. *Oſtendit præteritorum paratam eſſe veniam ad meliora ſeſe recipientibus: alioqui inſtare ſeverum judicium iis qui tantam numinis gratiam aſpernarentur. Nec ita loquitur, Nos vobis annuntiamus inſtare judicium, & ad pœnitentiam confugiendum, ſed Deus annuntiat. Nulla adhuc mentio de Chriſto, cujus illi nullam habebant notitiam: naturalis autem docendi ratio à notis capit initium. Hîc adverte, Paulus qui in epiſtolis tam ſublimi tubâ Chriſti majeſtatem perſonat, quàm parcè illum attingit. De divina natura nulla mentio, de cruce item ſilentium, quæ gentibus erat Stultitia. Tantùm* Virum *appellat, quem Deus in hoc produxiſſet, ut per eum illuſtratâ veritate reſipiſcentibus gratis daretur venia criminum omnium, incredulî jam inexcuſabiles juſtas darent pœnas. Neque hîc adducit Prophetarum teſtimonia, ſed unico tantùm argumento probat quod dixit, quia Deus illum à mortuis ſuſcitavit. Cæterùm ad Reſurrectionis mentionem quidam videbant, alii modeſtiores dicebant,* Audiemus te de hoc iterùm. *Aliquouſque profecit qui cupit pleniùs doceri. Atque hîc videtur Apoſtoli ſermo fuiſſe interruptus, diſerentibus ipſum auditoribus. Nec ultrà voluit eos urgere,* ſe exivit, *inquit Lucas,* de medio eorum, *expectans commodiorem occaſionem. Atque hoc ipſum factum eſt Pauli prudentiâ, quòd nec conſputatus eſt, nec conviciis affectus, nec manuum injectione violatus, ſed incolumis diſceſſerit, non tamen abſque lucro. Qui ipſi adhæſerunt ut plenius docuit, in quibus erat Dionyſius, & mulier quædam nomine Damaris, & alii cum eis. Hinc liquet quantam energiam habeat ſermo prudenti manſuetudine temperatus.*

Superſtitioſos. Gr. Δεισιδαιμονεστέρους, *Superſtitioſiores.* Lactantius lib. 4. Inſtit. cap. 28. 'Superſtitioſi, *inquit,* vocantur, 'qui ſuperſtitem memoriam defunctorum colunt; aut qui pa-'rentibus ſuis ſuperſtites, celebrant Imagines eorum, tanquam 'Deos Penates. Nam qui novos ſibi ritus aſſumebant, ut in 'Deorum vicem mortuos honorarent, quos ex hominibus in 'cœlum receptos putabant, hos *Superſtitioſos* vocabant: eos 'verò qui publicos & antiquos Deos colerent, *Religioſos* nomi-'nabant; unde Virgilius *Æn.* 8.

Vana Superſtitio, veterúmque ignara Deorum.

Sed, pergit Lactantius, *cum veteres quoque Deos inveniamus eodem modo consecratos esse post obitum, superstitiosi ergo qui multos, ac falsos Deos colunt. Nos autem religiosi, qui uni & vero Deo supplicamus.* Servius ad Iudata Evandri ad Æneam verba ex Virgilii libro Æneidos octavo: 'Superstitio, inquit, est timor superfluus & 'delirus, aut abæniculis dicta, quæ multis superstites per æta-'tem delirant, & stultæ sunt: aut secundum Lucretium super-'stitio est superstantium rerum id est, coelestium & divinarum, 'quæ super nos stant inanis & superfluus timor.

23. *Simulachra.* Gr. τὰ σεβάσματα. *ta quæ coluntur, numina.*

Iacèni & avam. Βωμὸς in Græcis Bibliis ac Patribus, & ara in Vulgata Bibliorum translatione Latina, Latinisque patribus, usurpatur tantùm de altari in honorem idolorum erecto, cùm altare in honorem & cultum veri Dei sub veteri Testamento erectum, Συσιαστήριον Græcè, *altare* Latinè constanter & perpetuò appellent. In medio cujusque primitivorum Christianorum conventiculi unica poni solebat mensa, in qua quisque collocaret, quod in usum pauperum elargiebatur, ut edisimus ex Theodoret. lib. 5. cap. 18. Quia verò eleemosynæ sacrificii nomine insigniuntur Heb. 13. v. 16 mensa illa in qua eas collocabant, altaris nomen apud veteres Christianos obtinuit. Hæc mensa etiam ad sacræ cœnæ usum erat destinata, & sic evenit ut paulatim illi, qui in illa mensa ob eleemosynas in eadem collocatas altaris appellationem sortita panem & vinum Eucharistiæ accepissent, dicti fuerint altari participasse. De mensa illa loquitur Paulus 1 Cor. 10. v 21. & Athanasius in epistola ad solitariam virum agentes. Etiam hoc notandum quod ubi Christiani tempore Constantini Magni summotis Deo cœpere struere ædes, tum etiam in unaquaque ferè Dei domo unicæ mensæ ligneæ loco lapideam uticam fuisse erectam, quæ tamen eidem rei, cui antea mensa ligneа, inserviret.

In qua Scriptum erat Ignoto Deo. Ita sacrum Deus *Ignoti* apud gentes appellationem obtinebat, quod nullum haberet nomen cognitum Gentibus: περιγεγραμμένον verò, quo à Judæis appellabatur, vulgò pronunciare non licebat. Hinc in secundo Pharsaliæ à Lucano, *Incertus Deus*, à Trebellio Pollione in vita Claudii *Incertum Mosis numen*, à Caio Caligula apud Philonem in lib. de legatione ad ipsum *Deus innominatus*, ab Ethnicis apud Justinum Martyrem in paræneſi ad Græcos πρόγνωστος, *penitus Occultus*, & ab ipso Propheta Esaia cap. 45. v. 15. אל מסתתר, *Deus absconditus* nuncupatur. Huic ut *Carmeli montis incolæ apud Tacitum in hist. lib. 2. cap. 78. neque simulachrum tribuebant, neque templum, sed aram tantùm & reverentiam: ita*, inquit Usserius, *Athenienses quoque* Aram misericordiæ *in media sua urbe sive ullo simulachro similiter posuerunt, in duodecimo libro Thebaidos ita referente Statio,*

Nulla

Nulla autem effigies, nulli commissa metallo
Forma Dei; mentes habitare & pectora gaudet.

Autor Dialogi, qui *Philopatris* inscribitur, & à nonnullis Luciano tribuitur, jurat per *Deum ignotum*, qui erat Athenis, & in fine ejusdem Dialogi ait: Ἡμεῖς δὲ ἐν Ἀθήναις ἀγνωστον ἑυρεντες θεον, ὦ ἀναστησαντες, χειρας εις ὑραν ἐκτεινοντες, τοτε ὑμνησαμεν, id est, Vossio interprete, *Nos autem Athenis Deum ignotum invenientes, & adorantes manibus in cælum expansis, hinc gratias agimus.*

Quod ergo, &c. Q. d. Numen itaque, quod confusè cognitum colitis, hoc ego distinctè & explicatè vobis annuntio esse mundani hujus operis opificem & rectorem Deum.

24. *Deus*, &c. Q. d. Verus hic Deus, qui cœlum ac terram condidit atque creavit, omnisque, quæ cœli ac terræ ambitu continentur, produxit, cùm ritus universi uti operis sui sit Dominus, includi non possit templis manu hominum factis, sicut Reges terreni palatiis quæ incolunt. Euripides,

Ποῖ δ' ἂν τις ἐς δόμους τυκίσεν Πλακὸς; τὸν
Δίκας τὸ δοκοῦν πανδίκαιον τίμιον πλοῦτον;

Quis possit ædes structa fabrili manu
Tenere cum pusillus incolam Dei?

Non in manu factis templis habitat. Vide quæ diximus suprà cap. 7. v. 48. Veteres Christiani suorum conventuum loca *Ecclesias, conventicula, Dominica, Oratoria, Basilicas* & *Domos Dei* vocabant, Templi autem appellationem unis idolcis vulgò tribuebant, ersi Lactantius 5 Instit. 2. *Dei Templum* appellaverit ædificium à Christianis cultui religionis dicatum. S. Hieronymus in epistola ad Riparium de Juliano Apostata ait: *Quòd Sanctorum* Basilicas *aut destruxerit, aut in* Templa *converterit.* Et Tertulliano de Idololatria cap. 15. & de corona militis cap 11. renunciasse Templis dicitur, qui idolis renunciavit.

25. *Nec manibus humanis colitur, indigens aliquo.* Id est, neque ideo viri religiosi cultum suum Deo quasi manibus offerunt, quòd eo cultu ipse indigeat, sed quia id humanæ est officii. Idem sensus Ps. 50. v. 10, 11, 12 & 13.

Cum ipse, &c. Sensus est, cùm ipse gratuitâ benignitate omnibus animantibus sit causa vivendi, essique omnium rerum, quas natura desiderat, abundantiam & copiam suppeditet.

Vitam & inspirationem. Id est, inspirationem vitæ, ut patet ex Gen. 2. v. 7. *Dans*, inquit Grotius, *pater Spirituum. Nam*

16. *v.* 22. *id est, omnibus animantibus causa vivendi; eximiè verò hominum, ut qui & sui & aliarum rerum dominium adipisci Dei acceperint.*

26. *Fecitque ex uno.* Supple, *sanguine*, ut habetur in textu Græco.

Omne genus hominum. Nempe, ut Lactantius loquitur 6 Institut. 10. *Ab uno homine, quem Deus finxit, omnes orimur.*

Inhabitare super universam faciem terræ. Hoc est, ut homines multiplicati, per omnes orbis terræ regiones dispersi, omnes terræ habitabilis partes incolerent. Vide Gen. 11. v. 8. *Unus homo*, inquit Lactantius capite mox laudato, *à Deo factus est, ab eoque uno omnis terra humano genere completa est.*

Definiens, &c. Hoc est, quum perfinivisset tempora quibus populus quisque quamque regionem esset inhabiturus, quæ nec antevertere nec superare posset.

27. *Quærere Deum.* Q. d. Deus creando homines, terrámque ipsis inhabitandam distribuendo, hunc sibi proposuit scopum, ut homines quærerent Deum, qui cœli ac terræ, & omnium quæ in eis sunt creator ac Dominus est. *Quærere* autem *Deum* nihil aliud est nisi gratiam & favorem ejus colendo ipsum ambire, & sibi conciliare studere, ut liquet ex istis divini ad Hebræos Scriptoris verbis Heb. 11. v. 6. *Accedentem ad Deum credere oportet quia Deus est, & quærentibus se remunerator est.*

Si fortè attrectent eum. Hoc est, si fortè intenderent in Deum, qui cùm sit naturâ incorporeus, se & bonitatem suam tot modis sentiendum & fruendum præbet, ut quasi corporeum in rebus aspectabilibus factum, sese attrectatu quadantenus ipso cognoscendum præbere videatur.

Et inveniant. Id est, & quærentes invenirent. *Deum quærere*, inquit Curcellæus in dissertatione de necessitate cognitionis Christi num. 19. *idem est ac ipsum cultu & honore debito prosequi, ut docet illud divini scriptoris*, Deum esse remuneratorem iis qui se quærunt, Heb. 11. v. 6. *Et invenire illum, est favoris ejus esse participem, ut ostendit Propheta cùm dicit*, Quærite Deum dum inveniri potest; invocate eum dum prope est, Es. 55. v. 6.

Quamvis non longè sit ab unoquoque nostrûm. Q. d. Licet ita prope nos sit beneficiis suis, ut se inventu facillimum demonstret, si quærendi laborem non detrectemus.

28. *In ipso enim vivimus, movemur & sumus.* Phrasis ista, *in ipso*, est Hebraismus nihil aliud significans, nisi *per ipsum*, ut cùm Pharisæi Christo objiciunt, illum *in principe dæmoniorum ejicere dæmonia*, Mat. 9. v. 34. & 12. v. 24. id est, *per principem*. Et in hoc ipso capite nostro infra v. 31. *Judicaturus est orbem in viro in quo statuit*, id est, per eum virum, quem definiit, nempe per Dominum nostrum Jesum Christum. Sensus itaque est,

Dei

Dei beneficio ac potentiâ conditi sumus, & creati conservamur, fovemur, ac sustentamur, fruimúrque eis quæ suppeditent & ad vitæ necessitatem & ad delicias.

Sicut & quidam vestrorum Poetarum dixerunt. Plurium mentionem facit, quia apud Homerum, Hesiodum, Menandrum, Callimachum, Pindarum extant quædam quæ huc faciunt. Sed Paulus Cilix unius conterranei sui Arati Cilicis verba citat.

Ipsius enim & genus sumus. Hoc hemistichium in Phænomenis Arati legitur, quæ à Cicerone admodum adolescentulo conversa sunt ex Græco sermone in Latinum, ut ipse asserit de natura Deorum lib. 2. ac tandem à Sexto Ruffo Avieno. Constat inter doctos, hominem ignarum astrologiæ, ornatissimis atque optimis verbis Aratum de cœlo, Stellísque dixisse, ut inquit Cicero de Oratore lib. 1. Fuit autem Aratus Solensis ex *Solis* Ciliciæ urbe, quæ posteà à Pompeio Magno instaurata *Pompeiopolis* vocata fuit. Claruit tempore Ptolemæi Philadelphi, vixítque illustris in regia Antigoni Gonatæ, filii Demetrii Poliorcetæ, qui imperium Macedonum suscepit Olympiade Centesimâ vigesima quinta. Ejus opera recensent Suidas, inter quæ primum tenent locum *Phænomena*, quorum initium est admirabile, ait Suidas, scilicet quòd hoc poema de astris ita auspicatus est:

Ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα· τὸν οὐδέποτ' ἄνδρες ἐῶμεν
Ἄρρητον. Μεσταὶ μὲν Διὸς πᾶσαι μὲν ἀγυιαὶ,
Πᾶσαι δ' ἀνθρώπων ἀγορὴ, μεστὴ δὲ θάλασσα
Καὶ λιμένες. Πάντῃ δὲ Διὸς κεχρήμεθα Πάντες.
Τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν, &c.

A Jove principium, quem nunquam viri mittimus
Infatum: plena verò Jovis omnia quidem compita,
Omnes verò hominum cœtus, plenum verò mare
Et portus; ubique autem Jove indigemus omnes,
Hujus enim & genus, sumus, &c.

In penultimo versu Virgilius videtur legisse πεπλήσμεθα, *pleni sumus.* Sic enim ille Eclogâ tertiâ v. 60. hunc Arati locum imitatus est,

Ab Jove principium musæ, Jovis omnia plena.

Quod, inquit Grotius, *de Jove dixerat Aratus, id vero Deo aptat Paulus, quia & Sapientiores Græci per Jovem Deum summum intelligebant. Sic Aristæus apud Josephum ait Deum Judæorum esse Deum universi, quem* Ζῆνα, Jovem *vocant Græci.*

29. *Genus ergò cùm simus Dei.* Hoc est, cùm Dei filii simus. *Accommodat se,* inquit Grotius, *Poeticæ locutioni Paulus. Significat autem nos mente potissimùm ad Deum accedere, ac propter hanc similitudinem filios ejus dici. In Novo verò Testamento graviore de causa filii ejus dicimur, quòd bonitatem ejus imitemur: varsùs aliter per resurrectionem filii ejus erimus, beatitudinis consortio.*

Non debemus æstimare, &c. Q. d. Nemo sanæ mentis persuadere sibi debet, Deo vivo, & aliis vitam largienti inanima, auru n purà, argentum, & lapidem assimilari, quàlibet arte & ho nine excogitatà sculpta fuerint. Aurum enim, argentum & lapis multò inferiora sunt homine, & ars non potest esse non ignobilior artifice. Vide Es. 40. v. 18. 44. v. 13. 46. v. 5. *Ceterùm,* inquit Beza, *sciendum est, ex Scripturæ consuetudine, appellatione χαραγματος, non modò sculptile opus, sed etiam pictum συνεκδοχικῶς, omnia denique ea intelligi quæ hominis colendo aut præsentando numini solent comminisci.*

30. *Et tempora,* &c. Q. d. Deus autem, cujus purissimus honos est in cultu abdvcto à sensibus, cùm hactenùs dissimulaverit ea quæ temporibus istis præteritis crassâ ignorantiâ Gentes idololatræ patrabant peccata, nunc discussâ priorum temporum caligine, omnibus ubique hominibus absque discrimine & delectu nationum Evangelii præconio strictè denuntiat, ut præterita errata atque peccata corrigant, atque novam vitam ex præscripto præceptorum Dei agant.

Despiciens. Gr. ὑπερίδων, *dissimulans.* Verbo ὑπερεῖδον significatur, inquit Beza, *qui leviter & superficiem tantùm rerum simulat se videre.* Hoc Horatius *pervidere* dixit in his versiculis.

Cùm tua pervideas oculis mala lippus inunctis
Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum?

Pervideas, inquit Beza, *id est, nisi fallor, quasi per transennam & leviter pertranseuntem videas.* Porrò Deus dicitur despexisse, neglexisse, & dissimulasse tempora ignorantiæ: vel quia gentibus non præscripsit religionis formam sicut Israeli is, per quam in officio & cultu ipsius continerentur, nec ullos ad eas misit prophetas, qui ipsarum tenebras profligarent, sed permisit eas ingredi vias suas, ut dictum est suprà cap. 14. v. 16. vel quia ista tunc non severè punivit, sed toleranter passus est. Vide Rom. 3. v. 26.

31. *Eò quòd.* Redditur ratio cur homines sese corrigere debeant.

Statuit diem. Id est, definivit diem certam, etsi quando is futurus sit celaverit.

In quo judicaturus est orbem. Id est, orbis hujus incolas.

In

Iniquitate. Hoc eſt, juſtè, ſecundum cujuſque opera, abſque reſpectu perſonarum. Vide Rom. 2. v. 6, 7 & 8.

In viro in quo ſtatuit. Id eſt, per virum à ſe conſtitutum Judicem vivorum & mortuorum. Vide ſuprà cap. 10. v. 42.

Fidem præbens omnibus, &c. Q. d. Certo & fide digno argumento probans, Chriſtum fore mundi Judicem, quum eum è mortuis ſuſcitavit. *Deus,* inquit Grotius, *Jeſum reſuſcitando è mortuis, maximum quod potuit doctrinæ ejus teſtimonium præbuit. In ea autem doctrina & hoc erat, ſe fore judicem humani generis, Mat. 25. v. 31 & ſeq. Jo. 5. v. 25.*

32. *Cum audiſſent autem reſurrectionem mortuorum.* Id eſt, hominem à mortuis fuiſſe excitatum.

Quidam quidem irridebant. Ut ſolent rebus dictis nullam fidem adhibentes. Ethnicus apud Minutium Chriſtianos deridens, *Aniles fabulas,* inquit, *adſtruunt, & annectunt, Renaſci ſe ſperant poſt mortem & cineres, & niſcio quâ fiduciâ mendaciis ſuis inicem credunt: putes eos jam revixiſſe.* Reſurrectura corpora nec Platonici credebant, qui in pœnam corpora animis data cenſebant; neque verò aut Epicurei, aut Peripatetici, qui rerum humanarum curam nullam eſſe Deo docebant; illi apertiùs, hi verò ἐν ἐπωτερικοῖς λόγοις, *in arcanis ſermonibus.*

Quidam verò. Qui putabant nihil repugnare hominem à Deo, ut primùm potuit effingi, ita poſſe denuò reformari.

Dixerunt, Audiemus te de hoc iterum. Nempe quum nobis otium erit.

33. *Sic Paulus exivit de medio eorum.* Q. d. Paulus itaque dilatus in alium diem abiit Areopago.

34. *Quidam verò.* Ex eis qui Paulum in Areopago concionantem audierant.

Adhærentes ei. Id eſt, Grotio interprete, *Cùm ſe propiùs in ejus familiaritatem inſinuaſſent. Sic* κολλᾶσθαι *ſumitur ſupra cap. 5. v. 13. 9. v. 26. 10. v. 28.*

In quibus. Id eſt, inter quos erat.

Et Dionyſius Areopagita. Id eſt, unus è Senatoribus illis, qui in Areopago de cauſis capitalibus pronuntiabant tantâ integritate, ut noctu, non interdiu judicarent, quòd non dicentes, ſed quæ dicerentur obſervarent. Hunc Dionyſium Areopagitam *primum Eccleſiæ Athenienſes Epiſcopum deſignatum, alius quidam Dionyſius Eccleſiæ Corinthiorum paſtor, ſcriptor ſanè pervetuſtus narrat,* inquit Euſebius Hiſt. Eccl. lib. 3. cap. 4. Joanne Chriſtophorſono interprete.

Et mulier nomine Damaris. Hæc fuit Dionyſii Areopagitæ uxor, ſi Ambroſio, Chryſoſtomo & Auguſtino credimus.

Et alii. Athenienſes minùs celebres.

Cum eis. Dionyſio ſcilicet & Damari.

CAP

CAP. XVIII.

1. *Postbec*, &c. Paulus Silam & Timotheum, qui Beræâ ad ipsum venerant, iterùm in Macedoniam remittens, solus Athenis remansit. Et ipse quidem semel atque iterùm in animo habuerat Thessalonicam proficisci, nec potuerat tamen id exequi, à Satana præpeditus, ideóque Timotheum eò misit, qui Thessalonicenses in fide confirmaret & consolaretur. Interim, relictis Athenis, venit Corinthum. Vide 1 Thess. 2. v. 17 & 18. 3. v. 1 & 2. Erat Corinthus, quam disertissimus Romuli nepotum pro Lege Manilia *lumen totius Græciæ* vocat, urbs Achaiæ, seu Peloponnesi. Peloponnesus enim in Achaia comprehendebatur, sita in Isthmo ab ea nomen adepto. Isthmos vocant Græci quascunque terræ angustias, per quas è peninsula ad continentem itur, sed κατ' ἐξοχὴν de Corinthiaco seu Peloponnesiaco dicebatur, in quo ludi Neptuno celebrabantur. Erat verò urbs duobus inclyta portubus, quorum alter dicebatur *Lechæa*, alter *Cenchreæ*, illo ad Europæas, hoc ad Asiaticas negotiationes utebantur, alter Ionio, alter Ægæo mari imminebat, quare Latinis *bimaris* dicebatur, Græcis ἀμφιθαλάσσιος. Ejus arx dicebatur *Acrocorinthus*. Erat autem mons mœnibus ita circumdatus, ut arcis usum præberet, ut refert Strabo lib. 8. Ibi erat *Pirene* fons musis sacer. Eadem urbs olim vocata fuit Ephyra. De ejus conditore non convenit inter autores, etsi Plutarchus in libro de malignitate Herodoti eam vocat *Glauci urbem*, ac si à Glauco fuerit condita, cujus fit mentio apud Stephanum in Ἔφυρα. Ex commerciis magnas adepta divitias, à Poetarum parente Iliad. B'. ἀφνειὸς *dives* cognominatur, & à Pindaro dicitur ὀλβία Κόρινθος, Ἰσθμιὰ πρόδυρον Ποσειδᾶνος ἀγλαόκωμον, *Beata Corinthus, Isthmii vestibulum Neptuni, florens juvenibus*. Ex divitiis ad tantum pervenit luxum, ut inde natum sit proverbium,

Οὐ παντὸς ἀνδρὸς εἰς Κόρινθον ἐσθ' ὁ πλοῦς

Corinthum non cujusvis navigatio est.

Scortis verò plurimùm semper indulsere Corinthii, adeò id non turpe habentes, ut publicis precationibus adhiberentur me-

meretrices, essétque in iis precationibus, ut augerent dii numerum proventúmque mereticum, etiam voverent quidam se novas meretrices adducturos, quæ ex Athenæo & Ælíano docemur. Ibi Lais de tota Græcia tributa exegit libidinis, denis drachmarum millibus usum sui indicans, & mortua sepulchrum habuit omnium Poetarum versibus celebre. Et hinc Κορινθιάζεσθαι, *Corinthiari* vulgò Græcis est Scortari, & Κορινθία κόρη, *nulla Corinthia* Platoni est ea quæ se vulgat. Semper celeberrimas meretrices Corinthi fuisse notat Scholiastes Nazianzeni ad priorem in Julianum. Ælianus etiam ebriosos ait fuisse Corinthios. Divitias solet superbia comitari, quam in Corinthiis eximiam notat Plutarchus. Erat in ore illis, οὐκ ἀνέξεται ὁ Διὸς Κόρινθος, *non feret hæc Jove genitus Corinthus.* Hæc superbia cùm eos ad contemtum usque Romani nominis inflasset, excidium eis attulit, victore L. Mummio: sed restitutâ per Julium Cæsarem urbe, ut Strabo narrat, & in fragmentis Diodorus Siculus, brevissimè ut opulentia, ita & vitia illa redière. Philosophiæ ibi studia ab antiquo floruere, Periandro ejus urbis Principe inter septem Græciæ Sapientes enumerato, multúmque ibi versato receptarum inter homines opinionum derisore Diogene.

2. *Et inveniens quendam Judæum.* Nempe origine, sed religione jam Christianum, ut patet ex sequentibus.

Ponticum genere. Id est, oriundum ex Ponto, regione Asiæ prope mare, quod Pontum Euxinum vocant.

Qui nuper venerat. Corinthum Scilicet.

Ab Italia. Italia est regio Europæ notissima, ab Italo rege quodam Arcadum nomen habet, utì tradit Thucydides, lib. 6. cùm priùs vocaretur *Ausonia, Ausonis, Hesperia, Saturnia, Latium, & Oenotria.* Terminos habet à Septentrione Alpes, ab Ortu Arsyam Histriæ flumen & mare superum, quod & mare Adriaticum appellatur; à Meridie mare inferum sive Tyrrhenum & Tuscum, ab Occasu iterùm Alpes usque ad mare Mediterraneum. *Italia,* inquit C. Julius Solinus cap. 8. *tantâ curâ ab omnibus dicta est, præcipuè à M. Catone, ut jam inveniri non possit, quod non veterum autorum præsumserit diligentia, largiter in laudem excellentis terræ materiâ suppetente, dum scriptores præstantissimi reputant locorum salubritatem, cœli temperiem, ubertatem soli, aprica collium, opaca nemorum, innoxios saltus, vitium olearumque proventus, ovilia, pecuaria, tot amnes, lacus tantos, bisera violaria, inter hæc Vesuvium flagrantis animæ Spiritu vaporantem, tepentes fontibus Bajas, colonias tam frequentes, tam assiduam novarum urbium gratiam, tam clarum decus veterum oppidorum, quæ primùm Aborigines, Aurunci, Pelasgii, Arcades, Siculi, totius postmodùm Græciæ advenæ, & in summa victores Romani condiderunt. His tot bonis,* Inquit Thomas

de

de Pinedo in notis suis ad Stephanum de Urbibus & populis, *vitium masculæ Veneris objiciunt. Italos enim primos necessitate coactos in diutinis bellorum expeditionibus maribus abusos fuisse refert Nicolaus Leonicus de Var. Hist. lib. 3. cap. 25. Sed id vitii ego potiùs à Græcis crediderim originem trahere, quandoquidem Herodotus lib. 1. cap. 135. Persas puerorum quoque indulgere amori à Græcis edoctos, à quibus id vitii in alias irrepsisse gentes verosimile est, etsi vitia sine magistro etiam discuntur.*

Et Priscillam uxorem ejus. Hæc insignis pietate fœmina & maritus ejus Aquilas Ponticus cum commendatione memorantur Rom. 16. v. 3. 1 Cor. 16. v. 19. Vide & 2 Tim. 4. v. 19.

Eò quòd præcepisset Claudius, Romanorum imperator quintus, stolidus, uxorum & libertorum regimini obnoxius.

Discedere omnes Judæos Româ. Sub Judæis comprehendebantur etiam Christiani ex Judæis oriundi. *Judæos impulsore Chresto assiduè tumultuantes Claudius Româ expulit,* inquit Suetonius in Claudio cap. 25. *Hujus Chresti,* ait Usserius ad annum æræ Christianæ quinquagesimum quartum, *solus, ni fallor, meminit Suetonius: nam Christum Dominum nostrum, à quo Christiani alibi ab eodem memorati hìc ab illo fuisse intellectum, adhuc mihi persuadere non possum.* Non diu Romæ istud Claudii edictum fuisse observatum ex fine hujus libri Actuum Apostolorum colligere est, unde fortè & Josephus illius non meminit.

A Roma. Celeberrima urbs Italiæ Græcis dicitur Ῥώμη (id nomen sonat *Valentiam*) Latinis *Roma.* Habuisse alterum nomen, quod dicere arcanis ceremoniarum nefas habebatur, testatur Plinius lib. 3. Nat. Hist. cap. 5. & Servius ad Æneid. lib. 1. v. 281. Quod nominis quidam tribunus plebis ausus enunciare, neci datus est, ut ait Solinus cap. 1 seu in crucem levatus, ut tradit Servius ad Georgic. lib. 1. v. 499. Valerius Soranus vocabatur ille, de quo præter autores citatos videsis Plutarchum Quæst. Problem. 60.

3. *Erant autem scenofactoriæ artis.* Id est, exercebant artificium conficiendi umbracula seu tentoria, in quibus homines non tantùm in castris & bello, sed etiam domi in pace tempore æstivo degere soliti erant. Hæc autem conficiebant, sive ex linteis, sive ex pellibus consutis. Syro σκηνοποιοὶ sunt *opifices conopæorum,* Vatablo & aliis, *aulæorum.* Vide quæ adnotavimus suprà ad cap. 9. v. 43.

4. *Et disputabat,* &c. Q. d. Differebat tamen Paulus de religione Christiana in loco conventui Judæorum Sacrato singulis septimis diebus, quibus potissimùm & ex professo Judæi religioni vacabant & in suam sententiam adducebat tum Judæos tum Græcos seu Gentiles, qui curiositatis ergò vel veritatis inquirendæ causâ Judæorum Synagogam adibant. Etiam Græcos

cos Sabbato disputare solitos scripsit Suetonius in Tiberio cap. 32.

Interponens nomen Domini Jesu. Hæc verba in textu Græco non extant, neque in translatione Syriaca.

5. *Cùm venissent autem de Macedonia Silas & Timotheus.* Quos nimirùm Paulus utì diximus suprà v. 1. Athenis remiserat.

Instabat verbo Paulus. Gr. συνείχετο τῷ πνεύματι ὁ Παῦλος, *constringebatur Spiritu Paulus.* Id est, Spiritûs afflatu quasi correptus magno cum zelo prædicabat. Vide infrà cap. 20. v. 22.

Testificans, &c. Hoc est, firmissimè asseverans Jesum esse illum Christum, seu Messiam promissum in Lege & Prophetis.

6. *Contradicentibus,* &c. Q. d. Cùm autem Judæi contumaces Paulo prædicanti obsisterent, atque in Christum ab ipso prædicatum blasphemarent, ille ut testaretur nihil se velle cum illis commune habere, coram eis excussit vestem suam, nequid vel pulveris eorum ipsi adhæresceret, dixitque ad eos, *Sanguis vester,* &c.

Excutiens vestimenta sua. Hoc est, vestem suam exteriorem. Sic Mat. 26. v. 65. *Princeps Sacerdotum scidit vestimenta sua.* Hoc est, exterius vestimentum suum, Marc. 5. v. 30. *Quis tetigit vestimenta mea?* Hoc est, vestimentum meum, utì Paulò antè v. 27, & 28 singularis ponitur. Jo. 13. v. 4. Christus *surgit à cœna & ponit vestimenta sua.* Hoc est, vestimentum suum seu pallium exterius. Jo. 19. v. 23. Milites cùm crucifixissent Jesum, *acceperunt vestimenta ejus, & fecerunt quatuor partes.* Ubi unicum pallium, à quo *tunica* statim distinguitur, intelligi, vide demonstratum in harmonia evangelica Gerardi in historia passionis cap. 14.

Sanguis, &c. Heb. דמכם על ראשכם, 2 Sam. 1. v. 16. *Est autem,* inquit Beza, *obtestationis quædam species, quasi diceret Paulus, Video vos in perniciem vestram ruere. Ego igitur Deum hîc coram vobis testor, non me sed vos vobis ipsis causam esse exitii, ut loquitur David, 2 Sam 1. v. 16. Sanguinis enim appellatione cùm cædes, tum verò omne exitii genus intelligitur, cujus causa is esse dicitur Hebræorum more, cujus, ut ita loquar, capiti imponitur, id est, cui imputatur, quasi suum ipsius sanguinem fundat, id est, ipse sibi mortem conscisçat. Unde horribilis illa Judæorum inclamatio Mat. 27. v. 25.* Sanguis ejus super nos & super filios nostros.

Ex hoc ad gentes vadam. Q. d. Ab hoc tempore, quoniam repellitis gratiam Dei vobis oblatam, à vobis ad gentes divertam. Vide suprà cap. 13. v. 46.

7. *Et migrans inde.* Scilicet è Synagoga.

Cujusdam nomine Titi Justi. Syrus & Arabs legêre tantùm *Titi*; vulgares Græci codices habent duntaxat *Justi*; at quædam exemplaria Græca habent utrumque *Titi Justi*, sicut & interpres Latinus vulgatus. *Co'entis*

Colentis Deum. Id est, ex ethnico facti proselyti ad Judaicam religionem. Vide suprà cap. 16. v. 14. & 17. v. 4.

Conjuncta. Hoc est, contigua.

8. *Crispus autem Archisynagogus.* Hoc est, unus ex iis qui Synagogæ Judaicæ erant præfecti moderatores. Vide quæ adnotavimus suprà cap. 13. v. 15.

Credidit Domino. Id est, prædicatione Pauli persuasus fuit Jesum esse Messiam in Lege ac Prophetis promissum mundi redemtorem.

Cum tota domo sua. Id est, cum omnibus qui in familia sua erant fidei capaces. Similis locutio extat Jo. 4. v. 53.

Et multi Corinthiorum. Q. d. At longè plures ex Ethnicis Corinthum incolentibus, quàm ex Judæis.

Audientes. Paulum scilicet concionantem.

Credebant. Hoc est, fidem in Jesum Christum amplexabantur.

Et baptizabantur. Crispus quidem Archisynagogus, & Gaius, quem Rom. 16. v. 23. Paulus hospitem suum vocat, ipsiusmet Pauli manibus, ut ipse testatur, 1 Cor. 1. v. 14. ceteri autem à Pauli sociis & adjutoribus Sila atque Timotheo, ut fidem suam sacrâ in aquam immersione palàm coram toto mundo profiterentur ac demonstrarent, juxta Christi præscriptum Marc. 16. v. 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, Salvus erit.* Ad quem Marci locum in observationibus sacris Illustrissimo Londinensi Antistiti, in me olim liberalissimo & beneficentissimo Henrico Compton A. M. DC. LXIX. dicatis eruditissimus Paulus Colomesius Rupellensis, 'Hinc, *inquit*, non immeritò colligas, solos adul-'tos Baptismi esse capaces. Qua in sententia Veteres fuisse li-'quidò fatentur Walafridus Strabo lib. de rebus Ecclesiasticis 'cap. 26. Ludovicus Vives ad Aug. de civ. Dei lib. 1. cap. 27. 'Erasmus in quadam Epistola, quam cum aliis edidit Paulus 'Merula anno 1607. Grotius in Epistolis ad Gallos p. 418. edit. 'secundæ ut ad Mat. 19. v. 14. Salmasius libro de Transubstantia-'tione p. 494. & Johannes Baptista Thiers in libello utilissimo de 'festorum dierum imminutione p. 265. Veteribus hisce accen-'sendus Berengarius, vir magnus, quem Pædobaptismum im-'pugnasse tradunt Georgius Cassander, talium peritissimus, 'Præfat. in librum de Pædobaptismo, & meritissimus Antecessor 'Franciscus de Roye in Berengarii vita. Berengarium ἀπὸ 'ποδὸς secuti sunt Albigenses; sic enim Johannes Chassanio 'Theologus Gallus, Albigensium Hist. lib. 1. cap. 6. Ce qui me fait croire que les Albigeois n'approuvoyent point le Baptesme des petits enfans, c'est qu'en l'histoire de la ville de Trieves, il est dit qu'à Yvoy du Dioceſe de Trieves aucuns nioyent le sacrement du

du Bapteſme profiter à ſalut aux enfans. *Quæ deſunta ſunt ex hiſtoria Trevirenſi Mſ. quam ante triennium Spicilegii ſui tomo duodecimo inſeruit Dominus Lucas Dachery, Monachus Benedictinus, vir de re literaria pulchrè quotidie merens. Locus à Chaſſanione laudatus occurrit p.243. his verbis*: Ivodii, quod Trevericæ Diœceſis appenditium eſt, fuerunt eo tempore hæretici, qui ſubſtantiam panis & vini, quæ in altari per ſacerdotes benedicitur, in corpus Chriſti & ſanguinem veraciter tranſmutari negabant, nec Baptiſmi Sacramentum parvulis ad ſalvationem proficere dicebant. Hactenus vir cumulatiſſimæ eruditionis Colomeſius noſtras. Vide adnotata ſuprà cap. 2. v. 41. & cap. 8. v. 12 & 37.

9. *Dixit autem Dominus.* Id eſt, Jeſus Chriſtus, cui data eſt omnis poteſtas in cœlo & in terra, Mat. 28. v. 18.

Noctè per viſionem. Hoc eſt, in viſione nocturna. Vide ſuprà cap. 2. v. 17. quæ adnotavi ad hæc verba, *Somnia ſomniabunt.*

Noli timere, &c. Q. d. Ne interturbationis metu te à prædicando hîc Evangelio abſterreat.

10. *Egoſum tecum.* Juxta promiſſum meum Mat. 28. v. 20. Vide quæ ibidem adnotavimus.

Et nemo, &c. Q. d. Nec patiar te à quoquam adverſariorum tuorum damno aut detrimento affici.

Quoniam, &c. Q. d. Nolim autem te ceſſare ab Evangelio prædicando in luxurioſa hac civitate, quia multi præter jam converſos ſuperſunt in ea, qui prædicatione meâ convertentur, ſicque populo meo, meiſque ovibus accenſebuntur. Ut hîc populum ſuum, & Jo. 10. v. 16. oves ſuas vocat Chriſtus ex futuro, *ita*, inquit Grotius, *alibi ex præterito dantur nomina, ut Mat. 21. v. 31. Reſpici videtur vaticinium Eſa. 54. v. 15.*

11. *Sedit autem ibi*, &c. Q. d. Hoc itaque Chriſti monito Confirmatus Paulus, annum & ſex menſes Corinthi tranſegit in prædicando Corinthiis Evangelio. *Sedere* dicitur Hebraiſmo Scripturæ familiari, quod Latini dicunt, *moram facere, commorari, degere.*

12. *Gallione autem Proconſule Achaiæ.* Erat hic Gallio frater L. Annæi Senecæ Philoſophi Præceptoris Neronis. Quum eſſet junior vocabatur M. Annæus Novatus, ſed poſteà adoptatus pro filio à L. Junio Gallione, cum familia cognomen hoc aſſumſit. Scripſit ad hunc Seneca frater librum de vita beata, idémque ad matrem ſcribens, ipſum honores conſecutum dicit. *Achaia*, inquit Grotius, *erat provincia Proconſularis ſub Auguſto. Tiberius Macedoniæ adjunxit, & Cæſarianam fecit. Sed Claudius has provincias Senatui reddidit, id eſt, rurſus fecit Proconſulares, teſte Suetonio in Claudio cap. 25. & Dione lib. 60.* Spanhemius

mius in introductione ad Geographiam sacram, *In provinciis Macedonicæ Diœceseos*, inquit, *primum in Notitia Imperii locum habet Achaia, quatenus ea* Proconsuli *paruit, dum cæteræ* Consulares *aut* Præsidiales *essent. Et latior hæc Achaiæ notio est, quàm est apud* Ptolomæum, *complexæ Græciam veterem, Ætholiam scilicet, Locros,* Phocidam, *Bœotiam, Atticam, omnémque quà latè patuit* Peloponnesum. *Metropolis fuit* Corinthus *urbium quondam opulentissima, communi totius Asiæ atque Europæ emporium,* Πεφυρ & *quasi* πύλη *Peloponnesi, in medio Isthmo sita. Inter urbes alias hujus Achaiæ, quæ Ecclesiis & Episcopis struxere, salutante jam* Paulo *in secunda ad Corinthios, fuit post Corinthiacam, illa Atheniensium in Attica, antiquitate, urbis splendore (à* Pompeiis, *Antoniis, Hadrianis, privilegiis auctæ) Paulinâ insuper fundatione, conversione Dionysii, (cui dicam Hierothei Areopagitæ, quem Dionysio magistrum fuisse ferunt) Episcopatu ejusdem Dionysii apud Eusebium, & Publii Quadrati, &c. meritò inter primas.*

Insurrexerunt uno animo Judæi. Increduli scilicet, de quibus suprà v. 6. irritati tum quòd Paulus ab eis quosdam abduxisset, de quibus suprà v. 8. tum quòd cum Judæis in Jesum credentibus, Ethnicos in eundem credentes, licèt non circumcisos, innuum Dei populum conjungeret.

Et adduxerunt eum ad tribunal. Proconsulare Gallionis.

13. *Contra Legem.* Mosis nimirùm, secundum quam nobis Judæis concessum est à Romanis etiam in Græcia vivere.

Hic. Judæus origine.

Persuadet hominibus colere Deum. Absque ceremoniarum legalium & inprimis circumcisionis observatione. *Ideo autem*, inquit Grotius, *Proconsulem accedunt Judæi, quia in Achaia animadversiones in populares suos non habebant, qualem habebant in Judæa & vicinis regionibus.*

14. *Incipiente autem Paulo aperire os.* Ut ad intentatam in se accusationem responderet.

Dixit Gallio ad Judæos. Pauli accusatores.

Siquidem esset iniquum aliquid. Hoc est, sicui vestrum aliqua illata esset injuria contra leges civiles.

Aut facinus pessimum. Id est, maleficium aliquod ex animo maligno patratum esset.

Rectè. Gr. κατὰ λόγον, *secundum rationem.* Id est, rationi consentaneum esset, vel ratio muneris & officii mei Proconsularis postularet.

Vos sustinerem. Q. d. Ut patienter audirem vestram accusationem & l tem judicandam susciperem.

15. *Si verò quæstiones sunt de verbo.* Id est, sed siquæ sint inter vos controversiæ de dictis ambiguis.

Et

Et nominibus. An videlicet ille Jesus, quem iste Paulus prædicat, nominandus sit Messias, necne?

Et Legis vestræ. Supple, ritibus.

Vos ipsi videritis. Hoc est, vobis relinquo ac permitto ut aut eis controversias inter vos componatis, aut de iis quantumlibet verbis disceptetis.

Judex ego horum nolo esse. Q. d. Mihi verò controversiis religionis vestræ dirimendis vacare non est animus. *Romanorum Magistratuum,* inquit Grotius, *non est eis se immiscere, non magis quàm Stoicorum & Epicureorum inter se disceptationibus.*

16. *Et minavit eos à tribunali.* Hoc est, Grotio interprete, *removit eos à limine judicii, tanquam nihil adferentes quod sui fori esse.*

17. *Apprehendentes autem omnes.* Gentiles scilicet è populo Achaico, qui tribunali adstabant, & videbant Judæos ideo à tribunali cum contemtu abigi, quòd suæ legis quæstiunculis obstrepuissent Proconsuli aliis rebus occupato.

Sosthenem Principem Synagogæ. Qui vel cum Crispo, de quo suprà v. 8. fuit jam olim inter Synagogæ Præfectos, quales in una Synagoga Judaica etiam plures fuisse indicatur suprà cap. 13. v. 15. vel Crispo fidem Christi amplexo fuit subrogatus; vel Archisynagogus erat, ut ait Grotius, *alterius Synagogæ ab ea cui præerat Crispus: nam in magnis urbibus plures erant Synagogæ, & singulis sui Archisynagogi. Eadem de causa olim Romæ, Antiochiæ & aliis magnis in urbibus, exceptâ, Alexandriâ, ubi morem alium semper obtinuisse ait Epiphanius, plures fuere Episcopi pro diversis urbium regionibus conventibusque Christianorum. Id in posterum vetuit Synodus Nicæna.* Sosthenes hic inter accusatores Pauli fuisse præcipuus videtur. Hunc tamen postmodùm Christo lucrifactum aiunt nonnulli, eúmque existimant esse illum Sosthenem, qui cum Paulo scripsit epistolam ad Corinthios priorem. Vide 1 Cor. 1. v. 1.

Percutiebant eum ante tribunal. Velut Proconsuli gratum facturi, si verberibus affecerint virum summæ autoritatis inter Judæos à tribunali contumelioſè abactos, quo abirent celeriùs.

Et nihil eorum Gallioni curæ erat. Solebant Præsides, ut advertit Clarissimus Jo. Pricæus, *petulantias hujusmodi quæ Romani nominis majestatem directè non imminuerent, libentes prætervidere, ut Provincialium collo jugum mollius sederet. Nec deerat quæ præ aliarum regionum Præsidibus causa Gallionem moverat: præesse nempe Achaiæ sc, illi veræ (ut vocat Cicero eam) & meræ Græciæ: eóque libertatis simulachra umbrásque usquequaque captanti.*

18. *Paulus verò cum adhuc sustinuisset dies multos.* Id est, quum post tumultum ad Gallionis tribunal adhuc Corinthi mansisset Paulus dies multos, Ecclesiam Christo ex Corinthiis colligens, & confirmans.

Fratribus valefaciens. Id est, vale dicto illis quos Corinthi ad Christum converterat.

Navigavit Syriam. Id est, è portu Cenchreensi solvit, in Syriam inde navigaturus. Plurimas olim Syria provincias comprehendebat, inter quas, Assyriam, Comagenam, Adiabenen, Mesopotamiam, Phœniciam, Palæstinam, Judæam, & alias. Hinc Plinio lib. 5. nat. Hist. cap. 12. dicitur, *Quondam terrarum maxima, & pluribus distincta nominibus.* Variè ejus status describitur à Geographis pro numero regionum, quas illi assignabant. Veteres in tres Syrias eam dividebant, Phœnicen, Palæstinam, & Cœlen. Antiquitùs regionis caput fuit Damascus, postea Antiochia, nunc Europæorum commercio celeberrima urbs quæ dicitur *Tripolis.* Ejus incolæ tam apud Romanos, quàm apud Græcos habiti sunt imbelles & viles, adeò ut servos Syrorum nomine vocaverint. Marcus Tullius Cicero lib. 3. de natura Deorum autor est, Syros piscem venerari. Unde Ovid. lib. 2. Fast. v. 473.

Inde nefas ducunt genus hoc imponere mensis,
Nec violant timidi piscibus ora Syri.

Et cum eo Priscilla & Aquila. Ad quos primò Corinthum veniens accesserat, & manens apud ipsos idem cum illis conficiendi tabernacula artificium exercuerat. Vide suprà v. 2 & 3.

Qui sibi totonderat caput. Hoc Grotius ad Aquilam, alii verò ad Paulum referunt.

In Cenchris. Contractè pro Cenchreis, ut Ovidius 1 Trist. 10. Cenchreæ erat oppidum Corinthiorum nobile portu ex parte maris Ægei ad Orientem, vel ad Simum Saronicum, quemadmodum Lecheæ erat alter portus ex parte Occidentali ad finum Christæum. Spatium inter hos duos portus medium *Isthmus* dicitur, & constat quinque mille passibus. Vide quæ diximus suprà v. 1. Cenchreis Ecclesiam fuisse Christianorum patet ex Rom. 16. v. 1. Apuleius As. aurei lib. 10. *Cenchreas pervado: quod oppidum audit nobilissima Corinthiensium colonia. Adjacet autem Ægeo & Saronico mari, ubi portus etiam, tutissimum navium receptaculum, magno frequentatur populo.*

Habebat enim votum. Id est, receperat in se votum. 'De sacro voto, *inquit Salmasius,* id non potest intelligi, quia deponendus erat capillus votivus Hierosolymis, & supponendus ollis Pacificorum. Civile istud votum fuisse videtur, quod sumserat vel Paulus vel Aquila, qualia multa faciebant Judæi. Non antè capillum tondebo, quàm ad illum locum pervenero. Quæ vota erant peregrinantium. Ita Paulus votum fecit tondendi capilli, ubi Cenchreas perveniset. Hujus generis erant & vota sive ἀγαθύματα quæ in se suscipiebant, non ci-

'cibum sumturos, non potum, nisi illud effectum dedissent. Ut 'illi qui conjurati devoverunt se non manducaturos aut bibi'turos donec Paulum interemissent, in Actis cap. 23. v. 12. Non desunt tamen qui hoc intelligant de sacro Naziræatûs voto, quo quidam ad certum tempus, ut alii in perpetuum sese obstringebant. Quamdiu verò hoc voto erant obstricti, nefas illis erat tondere capillitium. Vide Num. 6. v. 5. Quod autem ibidem v. 18 & 19. Naziræus præcipitur, expletò voto, comam capitis sui detondere ad ostium tabernaculi conventûs, atque igni sacrificiorum pacificorum eandem imponere, & sacrificia Deo offerre, hoc post Cananæam possessam Hierosolymis fieri debebat, ubi tabernaculum erat collocatum. *Sed*, inquit Grotius, *hæc præcepta, ut alia de sacrificiis, eos non obligabant, qui extra Judæam agebant.* Alii denique votum non ad tonsionem capitis, sed ad Pauli navigationem in Syriam referunt. 'Navigavit in Syriam, *inquit doctissimus Samuel Petit*, ut festum 'Hierosolymis ageret, atque istud est quod voverat B. Paulus, 'itaque paulò post Ephesiis dicebat, Oportere omninò, ut di'em festum, qui instabat, ageret Hierosolymis. At verò quare 'id *oportet omninò*? Non id fit propter legem illam Mosaicam, 'quâ cavetur de tribus festis ab omnibus celebrandis Hieroso'lymis. Nam biennium ferè Corinthi, & totum triennium 'Ephesi commoratus est, nec Hierosolyma petiit ut festa agita'ret. Quod igitur dicit B. Paulus hoc in loco, se eò esse neces'sitatis adactum, ut Hierosolyma proficisceretur ad festum, 'adactus est ex voto, non quòd jam ampliùs Lege Mosaicâ te'neretur. Sed quæret aliquis, quare huic historiæ profectio'nis beati Pauli Hierosolyma, inserta sint ista, κειράμενος τὴν 'κεφαλὴν ἐν Κεγχρέαις. & quid causæ fuerit Paulo tondendi 'capitis? Causam facilè reddemus cum bono Deo. Observan'dum igitur est, quid solemne fuerit B. Paulo apud plebem: 'nempe ἐγένετο τοῖς Ἰουδαίοις ὡς Ἰουδαῖος, τοῖς ἀνόμοις ὡς ἄνο'μος, 1 Cor. 9. Ex hoc solemni more non dubitamus B. Pau'lum, quamdiu apud Corinthios fuit, comam aluisse: nam a'pud Græcos id erat hominis ingenui, ut ex hoc Aristophanis 'versu, qui in proverbium abiit, constat,

Ἔπειτα δῆτα δοῦλος ὢν κόμην ἔχεις;

Παρ' ὅσον τῶν ἐ εὐθέρων τὸ κομᾶν, 'ut veteres observant Ma'gistri. Contrà verò apud Judæos obtinuisse, ut comam non 'alerent, sed strictim tonderentur, constat è Nazaræis, qui 'propter voti religionem triginta diebus à tondendis capillis 'abstinebant. Ergo qui nullâ voti religione erant obnoxii a'lendæ comæ, comam non alebant, sed semel atque iterùm,

'aut fortasse pluries singulis mensibus tondebantur. Cum igi-
'tur Paulus, qui Corinthi comam aluerat pro Corinthiorum
'more, Corintho esset profecturus Hierosolyma, antequam è
'portu solveret, comam deposuit, capitque strictim toton-
'dit pro Judæorum more. Nam cum illis rem sibi fore Hiero-
'solymis dubitare non poterat: atque ita qui habitu capitis Co-
'rinthios, quamdiu Corinthi fuit, retulit, idem etiam Judæos
'ad eorum Metropolim accedens referre volebat.

19. *Devenit que Ephesum.* Nempe Paulus cum Aquila & Priscilla Corintho profectus devenit Ephesum, provinciæ, quæ strictiùs Asia dicitur, metropolim. Vide quæ diximus suprà cap. 2. v. 9.

Et illos. Aquilam scilicet & Priscillam itineris sui comites.

Reliquit ibi. Ephesi nimirùm cùm inde Cæsaream proficisceretur, infrà v. 21 & 22.

Ipse verò. Paulus oblatam sibi homines ad Jesum Christum convertendi occasionem arbitratus.

Disputabat cum Judæis. Pro more suo, de veritate Christianæ religionis.

20. *Rogantibus autem eis.* Judæis Ephesiis, quibus disseratio Pauli non displicebat.

Ut ampliori tempore manret. Supple ex textu Græco, apud ipsos, quò scilicet cum eo diutiùs de religione conferre possent.

Non consensit. Ut tunc faceret quod rogabant, ob rationem, quam mox affert.

Sed valefaciens & dicens. Textus Græcus habet: *Sed valedixit eis dicens: Oportet me omninò diem festum, qui instat, agere Hierosolymis.* Instantia non dissimilis simili responsione compescitur, Luc. 4. v. 42 & 43. Dicit autem se oportere festum, quod tunc instabat, celebrare Hierosolymis, vel ex voto, ut diximus suprà v. 18. censere clarissimum Samuelem *Petit*, vel quia ita constituerat. habens causas ejus rei graves, præcipuè spirituales, ut in frequentia Judæorum, Evangelium Jesu Christi promoveret.

21. *Iterùm revertar ad vos.* Post iter propositum absolutum. Promissum implevit Paulus infrà cap. 19. v. 1.

Deo volente. Tali cautione usus est etiam aliàs S. Paulus, non per modum loquendi quasi proverbialem, sed per pietatem, ut videre est Rom. 1. v. 10. 15. v. 32. 1 Cor. 4. v. 19. 16. v. 7. Heb. 6. v. 3. Eâ autem cautione utendum esse egregiè admonet Jacobus cap. 4. v. 15.

Profectus est ab Epheso. Navi vectus versus Syriam. Vide suprà v. 18.

22. *Et descendens Cæsaream.* Hoc est, quum devenisset Cæsaream illam ad mare Mediterraneum sitam, de qua suprà cap. 8. v. 40. ut inde Hierosolymam contenderet.

Ascen-

Ascendit. Supple, Hierosolymam: alioqui non apparet in sequentibus quando istam Jerosolymitanam profectionem ad festum illud proximè imminens absolverit. Solet verbum istud ascendendi crebrò usurpari de Judæa, & præsertim metropoli ejus Hierosolyma, quæ respectu locorum maritimorum in editiore loco sita, atque de Templo, ut Mat. 20. v. 17. Luc. 2. v. 4. 18. v. 10 & 31. 19. v. 28. Jo. 2. v. 13. 5 v. 1. 7. v. 8 & 10. 11. v. 55. Suprà cap. 11. v. 2. Infrà cap. 21. v. 15. 24. v. 11. & alibi.

Et Salutavit Ecclesiam. Nempe illam primariam Hierosolymitanam, hoc est, Christi discipulos qui degebant Hierosolymæ.

Et descendit Antiochiam. Syriæ. Non fit verisimile Paulum Cæsareâ digressum, præterità Hierosolymâ quæ propior erat Cæsareæ, profectum esse Antiochiam Syriæ.

23. *Et facto ibi aliquanto tempore.* Hoc est, quùm aliquandiu Antiochiæ degisset.

Profectus est. Antiochiâ alias Ecclesias invisurus.

Perambulans ex ordine Galaticam regionem & Phrygiam. Quas jam antè adierat suprà cap. 16. v. 6.

Confirmans omnes discipulos. Id est Christianos, qui in illis locis degebant, in vera fide atque pietate admonitionibus suis corroborans. A Galatis ita exceptus fuit Paulus, ac si fuisset Angelus Dei, aut ipse Christus Jesus, utì testatur Gal. 4. v. 14. atque inter alia apud illos instituit, ut Collectæ pro pauperibus die quoque Dominico seponerentur. 1 Cor. 16. v. 1 & 2.

24. *Apollos.* Forma nominis Attica est Ἀπολλὼς, ut Πάμφως, Ἄθως. *Idem*, ait Grotius, *nomen Apella apud Horatium.* Ἀπελλῆς *Apelles Rom.* 16 *v.* 10. *& quod hîc est* Ἀπολλὼς *Apollos. Hebraicè* אפלא *Apella.*

Alexandrinus natione. Id est, Alexandriâ Ægyptiâ oriundus. Hæc ab Alexandro Magno, à quo nomen habet, condita fuit, ac ne quid ad gloriam deesset, ejus locum per somnium Alexandro designatum fuisse fabulabantur. Ea enim erat veterum Ethnicorum consuetudo, ut urbium & gentis primordia ad Deos deferrent, quò augustiora feliciorâque essent, quæ quamvis Poeticis fabulis quàm simillima forent, pro veris tamen habita sunt. Tanta fuit & plebis stultitia, & hominum calliditas. Fuerunt diversa eidem indita nomina. Non solùm enim vocata fuit *Alexandria Ægyptia*, sed etiam *Libyssa, Rhacotis, Pharus, Leontopolis*, eò quod Olympiadis Alexandri Magni matris uterus, ad ipsius Alexandri gloriam leonis imagine signatus fingeretur. Romani eam vocavere *Augustam, Juliam, Claudiam, Domitianam* de horum imperatorum nomine. A Græcis dicebatur Ἀλεξάνδρεια, id est, arcens mala, ac re-

media præstans. Aer illic adeò temperatus est, ut quòlibet die sol ibi videatur. Dicebatur quoque per excellentiam πόλις, *Urbs*, ut sic famâ æquaretur Athenis & Romæ, quæ hoc nomine per antonomasiam insignitæ fuere. Troja quoque apud Homerum πόλις, *Urbs*, sine ullo epitheto vocatur. Unde Alexander Φιλόμηχος sic Alexandriam appellavit, ut refert Eust. ad Il. β'. Fuit regia Ægypti sedes & metropolis. Celeberrimum habuit totius Ethnici orbis, demto Rom. Capitolio, Serapidis templum. Fuisse olim totius orbis maximum emporium testatur Strabo lib. 17. ad cujus portum Ptolemæus (alii id tribuunt Cleopatræ Reginæ) excogitavit turrim excelsam, quæ *Pharos* ab insula ejusdem nominis prope Alexandriam vocata fuit, prælucendi navibus nocturna suggerens ministeria, à qua hujusmodi turres in posterum eodem nomine insignitæ fuerunt. Vide plura sis suprà in notis nostris ad cap. 6. v. 9.

Vir eloquens. Gr. ἀνὴρ λόγιος. Lexicon Constantini, λόγιος, *eloquens, prudens, doctus, verbosus.* Hesychius vertit, ὁ τὰ ἱστορίας ἔμπειρος, πεπαιδευμένος, *historiarum peritus, eruditus.* Peritia historiarum prudentiam parit, atque ita Æthiopicus hîc ex Græco reddit, בַּאשִׁי טַבִּיב, *vir prudens*, vel *sapiens*, ut Cl. Ludovicus de Dieu adnotavit.

Potens in Scripturis. Hoc est, in Scripturis propheticis veteris Testamenti plurimùm exercitatus.

25. *Hic erat edoctus viam Domini.* Hoc est, institutus aliquantùm in religione Christiana. Solet institutum doctrinæ alicujus vocari *via*, ut videre est suprà cap. 9. v. 2. & 13. v. 10, &c. *quia*, inquit Wolzogenius, *per eam itur aliquò, modo Spirituali.*

Et fervens Spiritu. Hoc est, flagrans zelo atque studio promovendæ gloriæ divinæ.

Loquebatur & docebat diligenter ea quæ sunt Jesu. Pro modo scilicet cognitionis quâ ille imbutus erat.

Sciens tantùm baptisma Joannis. Hoc est, cùm nihil amplius sciret de Jesu Christo, nisi quantùm intelligi potuisset ex doctrina quam Joannes Baptista Christi prodromus prædicabat ac baptismi symbolo obsignabat.

26. *Cœpit fiducialiter agere in Synagoga.* Hoc est, liberiùs proferre omnia quæ de Christo noverat in convenu sacro Judæorum Ephesiorum, quàm anteà solebat in publicis conventibus.

Quem cùm audissent Priscilla & Aquila. De Christo disserentem.

Assumserunt eum. Ad se in hospitium.

Et diligentiùs exposuerunt ei viam Domini. Hoc est, accuratiùs virum hunc egregium docuerunt voluntatem Dei per Christum hominibus patefactam.

27. *Cùm*

27. *Cùm autem vellet.* Apollos accuratè & exquisitè in religione Christiana institutus ab Aquila viro mechanico, ejúsque uxore Priscilla, ambobus idiotis nullum in ecclesia munus libentibus.

In Achaiam. Hoc est, Epheso in illam Græciæ regionem transire, cujus metropolis erat Corinthus.

Exhortati fratres. Hoc est, ubi Ephesii Christiani ipsum ad iam forte propositum celeriter implendum fuerunt hortati.

Scripserunt discipulis. Id est, Christianis in Achaia degentibus.

Ut susciperent eum. Hoc est, humaniter & hospitaliter, imò fraternè exciperent.

Qui. Apollos.

Cùm venisset. In Achaiam.

Contulit multùm, &c. Hoc est, multùm profuit iis, qui jam ex Achæis atque Corinthiis operâ S. Pauli erant ad fidem in Jesum Christum conversi, suprà v. 4, 7, 8, & 11. Hos à Paulo plantatos Apollos rigavit, ut scripsit ipse Paulus 1 Cor. 3. v. 6. id est, illos à Paulo edoctos atque institutos, magis in fide confirmavit atque promovit. *Videtur & illud indicari,* inquit Wolzogenius, *quòd quum isti Corinthii Christiani cum Judæis contumacibus magno cum labore conflictarentur, Apollos eos in istis redarguendis egregiè adjuverit.*

Qui crediderunt. Græcè additur, *per gratiam,* quod Syrus interpres refert ad verbum *contulit,* ut significetur non mediocriter adjutos fuisse Achæos Christianos ab Apollo per illa eximia in ipsum à Deo collata dona, quæ sunt suprà v. 24 & 25. memorata, Deúmque ejus laboribus favore atque benedictione suâ successum dedisse. Potest etiam cum verbo crediderunt, ut sensus sit, illos Achæos gratuito Dei favore fide fuisse donatos.

28 *Vehementer,* &c. Q. d. Validis quippe argumentis redarguebat ac convincebat Judæorum errores, demonstrans non ex traditione aliqua incerta, sed ex firmissimis Veteris Testamenti Scripturarum oraculis ac testimoniis Jesum Nazarenum esse promissum olim à Deo Messiam, qui salvum faceret populum suum à peccatis eorum. *Ex talibus,* inquit Wolzogenius, *quæ de isto Apollone hîc scribuntur, quòd fuerit vir eloquens, & Spiritu fervens, & in Scripturis Sacris Veteris fœderis potens, & quòd Judæos validè redarguerit, conjectura capi posse videtur, quòd is sit autor epistolæ ad Hebræos, eloquenter ac disertè præ ceteris novi Testamenti scriptis, & cum fervore Spiritus atque Sacrarum Veteris Testam. Scripturarum crebrâ allegatione & accommodatione, conscriptæ, ut Hebræi seu Judæi illi in religione Christiana vacillantes validè corroborarentur.*

CAP. XIX.

1. *Cùm Apollos esset Corinthi.* Christianismum illic à Paulo plantatum irrrigans, & opus Domini gnaviter promovens.

Peragratis superioribus partibus. Hoc est, Galatià ac Phrygià, regionibus Asiæ minoris mediterraneis, magísque ad Septentrionem sitis. Vide suprà cap. 18. v. 23.

Veniret Ephesum. Unde digressus erat, & rediturum se illuc promiserat suprà cap. 18 v. 19 & 21.

Et inveniret quosdam discipulos, Hoc est, Judæos in Christum credentes, qui ex aliis regionibus Ephesum commigraverant.

2. *Si Spiritum-sanctum accepistis credentes?* Q. d. Numquid ex quo fidem in Christum amplexi estis dona illa eximia Spiritus-sancti in vos fuerunt effusa, quæ juxta Joelis Prophetiam ubique in Christi Ecclesia vigere cœperunt?

Neque si Spiritus-sanctus est, audivimus. Hoc est, dona illa Spiritus-sancti à Joele prædicta in credentes ubertim effundenda, jam in eos passim effundi, ne auditione quidem accepimus. Similis est locutio Jo. 7. v. 34. *Nondum erat Spiritus-sanctus, quia Jesus nondum erat glorificatus.* Hoc est, nondum in quenquam delapsa erant cœlitùs illustria illa Spiritus-sancti dona, quibus à Messia donanda erant Ecclesiæ primordia. Vide quæ diximus suprà cap. 8. v. 16.

3. *In quo ergo baptizati estis?* Q. d. Quâ igitur doctrinâ imbuti, baptismo initiati estis? *Baptizatos fuisse,* inquit Wolzogenius, *in aqua istos, qui vocati sunt discipuli, non erat dubium; sed interrogavit Paulus, in quam doctrinæ professionem?*

In Joannis baptismate. Id est, in ejus doctrinæ, quam Joannes Baptista annuntiabat & baptismo obsignabat, professionem. *Appositissima,* inquit Beza, *est responsio, quà significant isti sese in baptismo professos fuisse doctrinam à Joanne propositam & adhibito baptismo, quo & ipsi baptizati fuerant, sancitam, unde & Christum agnoverant, sed tenuiter admodum, nec audito ipso Christo vel ejus deinceps Apostolis, ut de Apollo quoque paulò ante dictum est: ut mirum non fuerit istos quos ex ipsorum responso apparet, audito tantùm Joanne baptizatos posteà in patriam revertisse, illum Spiritum-sanctum ignorasse, qui in Ecclesiam nonnisi à die illo Pentecostes fuisset missus.*

14. *Joan-*

4. *Joannes.* Gr. additur μὲν, *quidem.* Clarissimus Salomon Glassius Gram. Sacræ tract. 7. can. 14. *Conjunctiones,* inquit, *adversativæ,* μὲν & δὲ, *si in oratione mutuò sequuntur, & altera alteri necessariò (veluti ἀναφορᾷ mutuâ respondet. Mat. 3. v. 11.* Ἐγὼ μὲν βαπτίζω ὑμᾶς ἐν ὕδατι εἰς μετάνοιαν, ὁ δὲ ὀπίσω μου ἐρχόμενος, *&c.* Ego quidem baptizo vos aquâ in pœnitentiam; sed qui post me venturus est, *&c. Mat. 9. v. 37,* ὁ μὲν θερισμὸς πολὺς, οἱ δὲ ἐργάται ὀλίγοι, messis quidem multa est, operarii verò pauci. *Sic aliàs sæpè. Vide Concordantias novi Testamenti. Ex hoc efficitur Act. 19. v. 4 & 5. verba sibi cohærere, & unum continuum Pauli sermonem illis describi cùm particulis his,* μὲν & δὲ *connectantur.* Dixit verò Paulus, Johannes μὲν, *quidem* baptizavit baptismo pœnitentiæ, populo dicens, ut in venturum post se crederent, hoc est in Christum Jesum: ἀκούσαντες δὲ, qui verò audiebant *(præconium Johannis de Christo)* baptizati sunt (*à Johanne*) in nomine Domini Jesu. *Non igitur versus quintus Pauli factum vel anabaptismum quendam exprimit, sed in versu sexto de Pauli facto sequitur,* quòd imposuerit discipulis illis manus, *&c. Conferatur cap. 8. v. 14, 15, 16 & 17. Hanc explicationem Bellarminus* utcunque argutam, at minimè piam & probabilem *vocat. Qui verò non?* In v. 4. baptizationis Johannis fit mentio, igitur supervacanea esset ejus v. 5. repetitio. *Hæc vis argumenti. Verùm non est supervacanea illa repetitio. Primùm enim in genere proponit integrum Johannis ministerium, quod consistit in* baptismo pœnitentiæ, *quæ Phrasis & ipsam Sacramenti administrationem, & pœnitentiæ prædicationem includit. Conser Mar. 1. v. 4. Postèà specialiùs exprimit ministerii ejus ordinem, quòd nimirùm primùm fidem in Christum inculcârit, & deindè auditores suos de Christo informatos in nomine Jesu baptizaverit.*

Baptizavit baptismo pœnitentiæ populum. Hoc est, cùm populum ad pœnitentiam existimularet, eos, qui peccata sua confitebantur, & sinceram conversionem ac vitæ emendationem polliceb antur, baptisma, quod pœnitentiæ symbolum est, primùs administravit. Vide Mat. 3. v. 2, 5, 6 & seqq.

Dicens, &c. Q. d. Ubi eos admonuit, ut Jesum, qui paulò post ipsum auspicaturus erat munus suum Evangelii prædicandi, ut Messiam seu Christum in Lege ac Prophetis promissum fide amplecterentur.

5. *His auditis.* Gr. ἀκούσαντες δὲ, *qui verò audierunt.* Id est, qui verò doctrinæ à Joanne prædicatæ fidem habuerunt.

Baptizati sunt nomine Domini Jesu. Hoc est, eos Joannes baptismo initians Christo dicavit. Versum hunc vulgò accipi, ac si essent verba Lucæ, cùm non sint, inter ceteros adnotavit Clarissimus Drusius lib. 1. quæst. Ebraic. q. 82. *Apostolus,* inquit, *Paulus loquitur de baptismate Joannis, quod idem esse cum Christi bap-*

baptismate probat partim à factis, partim à dictis ipsius. Quippe qui & Christum venturum prædicaverit, & in eundem credentes baptizaverit: atque hoc est quod dicit, baptizati sunt in nomine Jesu; *qui videlicet Johanne concionante Christum fide amplexi fuerant, è quorum numero erant hi discipuli: sed quia credentes Spiritûs dona nondum acceperant, ideò quærit Apostolus cujusnam baptismate sint initiati, & re cognitâ manus imponit, statimque Spiritu superveniente cœperunt loqui linguis & prophetare, quemadmodum Lucas in historiæ contextu memorat.* Porrò Joannem Baptistam in nomine Domini Jesu Christi baptizare solitum fuisse testatur vetustissimus scriptor Gregorius Neocæsariensis in Ponto Episcopus, cognomento Thaumaturgus, qui floruit sub annum Domini ducentesimum trigesimum tertium. Is in Sermone in Sancta Theophania exponens illa verba Joannis Baptistæ ad Dominum Jesum Mat. 3. v. 14. *Mihi opus est ut à te baptizer, & tu venis ad me!* Joannem sic loquentem inducit: *Alios dum baptizo, in tu nomine baptizo, ut credant in te venientem cum gloria: Te verò baptizans, cujus mentionem faciam? In cujus te nomine baptizabo? Asin nomine Patris? at totum habes Patrem in tipso, & totus in Patris.* ὅλον τὸν Πατέρα ἐχεις ἐν σαυτῷ, καὶ ὅλος ὑπάρχεις ἐν τῷ Πατρὶ. *An in nomine Filii? at non est præter te alius naturâ Filius Dei. An in nomine Spiritus sancti? at semper unà tecum est, ut consubstantialis tibi, & ejusdem voluntatis atque sententiæ, & æqualis potestatis ac patris honoris, & itcum suscipit ab omnibus adorationem.* σύνεστί σοι δικὲ παντὸς, ὡς ὁμοούσιόν σοι, καὶ ὁμοβάλον, καὶ ὁμόγνωμον, καὶ ὁμοδύναμον, καὶ ὁμότιμον, καὶ σὺν σοὶ δέχεται τὴν ἐκ πάντων προσκύνησιν.

6. *Et cùm imposuisset illis manus Paulus.* Tum doctrinam à Joanne quidem annunciatam, ab istis verò fide apprehensam, tum etiam Baptismum istis in ejusdem doctrinæ confessionem collatum approbans.

Venit Spiritus-sanctus super eos. Id est, illustria Spiritûs-sancti dona in eos cœlitùs delapsa sunt. *Impositio manuum,* ait Cl. Heideggerus in anatome historico-theologica Concilii Tridentini ad canones sessionis septimæ quæstione unica de Confirmatione, *liberè usurpata est ab Apostolis, ut baptizati acciperent extraordinaria Spiritûs-sancti dona, adeóque Evangelium confirmaretur Heb. 2. v. 3 & 4. donec in publica omnium notitia esset ita munitum & confirmatum, ut nemo nisi præfractus & impudens ejus divinitatem in dubium vocare posset. Nobis verò sufficit, quòd omnes accipimus Spiritum filiationis per fidem, Gal. 3. v. 14. & 4. v. 6.* Vide quæ de ritu impositionis manuum adnotavimus suprà cap. 8. v. 17.

Et loquebantur linguis. Peregrinis videlicet quas non didicerant, ut Apostoli suprà cap. 2. v. 4. & Cornelius ejúsque socii cap. 10. v. 44 & 46.

Et

Et Prophetabant. Eximia ac miranda facta Dei enarrantes, laudibuſque celebrantes, ut ſuprà cap. 2. v. 11 & cap. 10. v. 46. & forſan ſimul, quæ maximè propria eſt prophetiæ ſignificatio, ſitura prædicentes. Vide Luc. 1. v. 67.

7. *Erant autem omnes viri.* Qui olim à Joanne baptizati, nec Epheſi per impoſitionem manuum Pauli donis illis extraordinariis donati ſunt, quæ Spiritûs-ſancti nomine paſſim ſignificantur.

Fere duodecim. Id eſt, circiter duodecim.

8. *Ingreſſus autem Synagogam.* Q. d. Ipſe porrò Paulus, ut Judæos Epheſi commorantes Chriſto lucri faceret, ingreſſus eorum Synagogam.

Cum fiducia loquebatur per tres menſes. Hoc eſt, abſque metu pleniùs & citra ambages ad tres uſque menſes Evangelii doctrinam Judæis promulgabat.

Diſputans & ſuadens de regno Dei. Hoc eſt, ſolidis rationibus comprobans jam per Jeſum eſſe erectum illud inſigne felixque regnum, quod Deus per Meſſiam erigere conſtituerat, de quo Eſaias cap. 52. v. 7. Daniel cap. 2. v. 44. & cap. 7. v. 27. imò ut dicitur ſuprà cap. 3. v. 21. cuncti Prophetæ vaticinati ſunt. Regno Dei *ſcimus*, inquit hîc Calvinus, *ſæpè notari inſtaurationem illam quæ promiſſa erat Patribus, & præſtanda Chriſti adventu. Nam quum extra Chriſtum deformis & confuſa ſit omnium diſſipatio, non fruſtra hoc venturo Meſſiæ tribuerunt Prophetæ, fore ut regnum Dei in mundo conſtitueret. Jam verò regnum hoc, quia nos à defectione ſub Dei obſequium reducit, & ex inimicis facit filios, primùm gratuitâ peccatorum remiſſione conſtat, quâ nos ſibi reconciliat Deus & adoptat in populum: deinde vitæ renovatione, quâ nos ad imaginem ſuam conformat.*

9. *Cùm autem quidam indurarentur.* E Judæis videlicet voluntariâ obſtinatione voci Domini ad pœnitentiam invitantis immorigeri.

Et non credevent. Id eſt, contumacitérque ſpernerent Evangelium ipſis à Paulo prædicatum.

Maledicentes viam Domini. Hoc eſt, maledictis inſectantes voluntatem Dei per Chriſtum hominibus pateſactam. Vide ſuprà cap. 18. v. 25 & 26. Sic ſuprà cap. 13. v. 45. Judæi contumaces cum blaſphemiis in Chriſtum Chriſtianámque religionem reſiſtebant & repugnabant contra veritatem à Paulo prædicatam.

Coram multitudine. Ut Pauli dictis de veritate Chriſtianæ religionis perſuaſos ab ea profitenda deterrerent atque avocarent.

Diſcedens ab eis. Veritati Evangelicæ inflexibili obſtinatione oblatrantibus atque obſtrepentibus.

Segrega-

Segregavit discipulos. Id est, Christianos, qui hucusque maledicis convitiatoribus intermisti erant, & cum his Judæis Evangelio pertinaciter repugnantibus in eandem conveniebant Synagogam, ab eis segregavit.

Quotidie disputans. Q. d. Atque coram illo segregè à refractariis Judæis Christianorum cœtu non tantùm Sabbatis, seu septimâ quâque die, sed sine ulla intermissione singulis diebus disserebat Paulus de rebus ad fidem in Jesum Christum verámque pietatem spectantibus.

In Schola Tyranni cujusdam. Id est, in Schola cuidam Sophistæ, quem *Tyrannum* appellabant, *forsan*, inquit Pricœus, *quòd ut eloquentiæ auditores ageret ferrétque.* Quædam exemplaria Græca addunt, *ab hora quinta ad decimam usque.*

10. *Hoc autem factum est.* Q. d. Continuavit autem Paulus quotidianas suas de religione Christiana dissertationes in Schola Tyranni.

Qui habitabant in Asia. Nempe strictiùs dicta, cujus metropolis prima fuit Ephesus, ut suprà ad cap. 2. v. 9. adnotavimus.

Verbum Domini. Græcè additur, *Jesu*, Hoc est, Christi Evangelium à Paulo prædicatum.

Jud ei atque Gentiles. Id est, tum illi qui ex Hebræorum Patriarchis oriundi in populo Dei censebantur, tum gentes profanæ à populo Dei antehac alienæ.

11. *Virtutésque*, &c. Q. d. Utque prædicati à Paulo Evangelii veritas magis inclarescèret, Deus passim editis per eundem Paulum insignibus miraculis illam confirmabat.

12. *Languidos.* Id est, ægritudine debilitatos.

Deferrentur à corpore ejus. Nempe Pauli.

Sudaria. Id est, strophiola sudori, muco, & lachrymis abstergendis destinata.

Et semicinctia. Gr. *vel semicinctia.* Est autem *semicinctium* prætenta ventri castula, seu, ut Augustinus loquitur, *vestis præcinctoria*, quâ ad velandam anteriorem vestium partem, præcingi solent opifices mechanici, è quorum numero fuit Paulus, ut videre est supra cap. 18. v. 3. Hujusmodi castulâ & mulieres uti solent, eamque in Gallia nostrates *Tablier* vocant, & *Devantier*: Picardi verò *Demicint.*

Et recedebant ab eis languores. Quibus videlicet ægrotantibus, Paulo absente, sudaria ipsius vel semicinctia superponebantur, ut qui nunquam hominem viderant, reverenter nihilominùs absentis doctrinam amplecterentur. *Insulsi sunt Papistæ*, inquit præclarè Calvinus, *qui locum hunc ad suas Reliquias detorquent; quasi verò sua sudaria miserit Paulus, quæ in ejus honorem oscularentur venerabundi homines: sicuti in Papatu calceos & bracchas Francisci,*

Rosæ

Rosæ cingulum, sanctæ Margaritæ pectinem, ac similes nugas adsunt. Imò potiùs res viliſſimas delegit, nequa ex pretio vel ſplendore ſuperſtitio naſceretur. Hoc enim fuit ejus conſilium, integram Chriſto gloriam in ſolidum vindicare.

Et ſpiritus nequam egrediebantur. E corporibus, quæ Deo permittente occupaverant.

13. *Tentaverunt*, &c. Quò certiùs appareat, miraculis illis, quorum modò facta eſt mentio, divinitùs confirmatum fuiſſe Pauli Apoſtolatum, docet nunc Lucas, quum temerè quidam eadem patrare tentarent, gravem de tali temeritate ſumtam fuiſſe pœnam.

De circumeuntibus Judæis. Qui hâc illâc circumcurſabant atque in omnibus locis publicis perreptabant populo aliquid inſigne exhibituri, ut circumforanei, vel circulatores, ſeu agyrtæ ſolent.

Exorciſtis. Gloſſa Latina manu-ſcripta, *Exorciſta, adjurans.* Hinc *exorcizare* apud ſcriptores Eccleſiaſticos eſt, per divina adjurando vim diabolicam expellere. Narrat Flavius Joſephus 8 Antiq. 2. tales adjurationes à Salomone compoſitas, quarum ab Eleazaro quopiam uſurpatarum præſente Veſpaſiano exemplum abs ſe compertum refert. Vide quæ adnotavimus ad Mat. 12. v. 27.

Adjuro vos per Jeſum quem Paulus prædicat. Ut nimirum divinam ipſius perſonam reveriti, procul hinc vos amoliamini.

14. *Erant autem.* Circumforanei illi exorciſtæ, ſeu adjuratores.

Cujuſdam. Gr. *Quidam*, ſcilicet *ſeptem filii.* Sic Apuleius in Mileſiis dixit, *Septem quibuſdam teſtibus.*

Sceuæ Judæi principis Sacerdotum. Hoc eſt, qui erat princeps unius è viginti quatuor familiis Sacerdotalibus, in quas poſteri Aaronis à Davide fuere diſtributi. Vide explicationem noſtram literalem Mat. 2. v. 4. Neque enim in catalogo ſummorum Sacerdotum Sceva memoratur, aut veriſimile ſit tot filios unius ſummi Sacerdotis tam procul ab Hieroſolymis vixiſſe.

Qui hoc faciebant. Id eſt, tales adjurationes per Jeſum à Paulo prædicatum uſurpabant.

15. *Reſpondens autem Spiritus nequam.* Per os hominis illius, quem occupabat.

Dixit eis. Septem Sceuæ filiis, Deo cogente.

Jeſum novi. Habere vim ejiciendi dæmonia.

Et Paulum ſcio. Eſſe eximium Jeſu Chriſti Apoſtolum, ad cujus preces illa propria Chriſto vis ac potentia ſeſe ſupra naturæ ipſius ordinem paſſim exerere ſolet.

Vos autem qui estis? Ut nimirum dæmonia per Jesum Filium Dei vivi adjurare audeatis, quasi Apostolico jure expellendorum dæmoniorum donati fueritis.

16. *Et dominatus amborum.* Vulgares codices Græci legunt, ἀμφοῖν, *eorum.* Homo itaque ille, in quo erat cacodæmon, ejusdem impuri Spiritûs vi duobus aut pluribus adjuratoribus, qui è filiis Scevæ ibi adfuere, prævalescens.

Invaluit contra eos. Id est, vim suam potenter exeruit, eos invadens violenter, lacerans, plagis obtundens.

Ita ut nudi. Hoc est, vestibus spoliati.

Et vulnerati. Hoc est, & corpore sauciati.

Effugerent de domo illa. In qua gloriæ captandæ vel lucri aucupandi causâ dæmonem fugare ac expellere conati fuerant. Aliàs Dominus Jesus nolebat prohiberi eum qui ipsius nomine dæmonia ejiciebat Marc. 9. v. 38 & 39. quia id non malo animo faciebat, licèt non fuerit ita Christo addictus, ut discipulus ejus fieri vellet.

17. *Judæis atque gentilibus.* Vide suprà v. 10.

Cecidit timor, &c. Q. d. Tanta Christi reverentia omnes incessit, ut insigne ejus in cacodæmones imperium illustri laude celebrarent.

18. *Multi quæ credentium.* Id est, eorum qui Pauli ministerio de veritate Christianæ religionis fuerant persuasi.

Veniebant. Ad Paulum, ejúsque socios.

Confitentes & annuntiantes actus suos. Non desunt, qui τὰς Πράξεις, *actus* interpreteutur, non de peccatis, sed de miraculis per fideles patratis. Ita Chrysostomus hom. 41. in Act. Sed fuerit ea confessio peccatorum. At ante, non post baptismum illam factam esse, adeóque minimè sacramentali seu auriculari confessioni Papistarum patrocinari, Petrus Lintrensis & Lorinus Jesuita fatentur, probántque evidentibus argumentis, qualia sunt, quòd series narrationis à versu undecimo ad vigesimum id evincat: quòd similes ἐξομολογούμενοι fuerint etiam Mat. 3. v. 6. ante baptismum Joannis: quòd veteris Ecclesiæ doctores, nominatim Basilius, Eusebius, Augustinus, Beda, Arator de nondum baptizatis id explicaverint: quòd nullus Theologorum veterum, ac ne Tridentinum quidem Concilium hoc loco ad Sacramentalem confessionem probandam usum fuerit: quòd ita sentiant etiam Cajetanus, Michael à Palatio, Andreas Vega: denique quòd verisimile haud sit, Christianos Neophytos tam citò post baptismum suum, Paulo cum socio adhuc præsente & quotidie concionante, rediisse ad peccata pristina, & inter ea ad artes Magicas, ac libros sibi Magicos parasse, eósque legisse. *Fuerit verò,* inquit Clarissimus Heideggerus ad Conc. Trid. Sess. 14. q. 7. *ea confessio posterior baptismo, respondebit adhuc pro nobis Cajetanus ad hunc locum,* describi con-

confitentes facta ſua in genere, aut publicè, neque fuiſſe confeſſionem Sacramentalem, ſed profeſſionem pœnitentiæ vitæ præteritæ. *Quòd ſi etiam confeſſi ſunt ſpecialia quædam, non tamen vel ſacerdoti culpam judici ea demurmurarunt in aures, vel ſingula peccata ordine cum circumſtantiis, ſed atrociora illa, ſive τὰ ἀθεώρητα de quibus agitur verſu decimo nono.* Vide quæ adnotavimus ad Mat. 3. v. 6. de Confeſſione auriculari.

19. *Multi autem ex iis qui fuerant curioſa ſectati.* Hoc eſt, qui ad ſtudium rerum magicarum animum appulerant. Sic apud Auguſtinum 10. Confeſſ. 42. *curioſæ viſiones* pro magicis viſionibus poni videntur. Epheſios autem fuiſſe iſtis damnatis ſtudiis deditos, oſtendit appellatio vetus, Ἐφέσια γράμματα, *Epheſiæ literæ*, quâ deſignabantur notæ quædam & voculæ Magicæ, quibus Magi utebantur in iis liberandis à poteſtate dæmoniorum, qui à dæmoniis vexabantur. Magorum qui erant Epheſi meminit Plutarchus in Alexandro. Et circa initia imperii Neronis, Apollonius Tyanæus Magus celebris, Epheſi publicum Magicæ artis ludum aperuit, uti teſtatur Philoſtratus in ejus vita.

Contulerunt libros. Quibus videlicet *curioſa* ſeu Magica artificia inſcripta erant.

Et combuſſerunt eos coram omnibus. Sponte, ut teſtatum apud omnium animos relinquerent ſe jam ad Chriſtum converſos ſtudio & voluntate à curioſitate magica abhorrere. Hinc autem non ſequitur, quod quidam ſtatuunt, libros eorum qui pro hæreticis cenſentur, invitis poſſeſſoribus ereptos publicâ animadverſione comburendos. Nam primùm difficilius eſt judicatu de hæreſi & de erroribus ad fidei capita ſpectantibus, quàm de Magia planè diabolica, & multæ ſententiæ pro erroneis ac falſis damnantur propter diverſas præconceptas opiniones, quæ erroris ac falſitatis evidenter redarguuntur. Præterea longè hæc inter ſe diſcrepant, quod Epheſii ſuâ ſponte, nullâ adhibitâ vi libros luce & lectione indignos à ſe agnitos igne concremaverunt, & quod poſſeſſoribus invitis, nec de impietate librorum convictis, libri per vim atque imperium ereptî flammis injiciantur. Iſtud ii facere ſolent, qui taliarum librorum argumenta conquiſitis rationibus confutare non poſſunt.

Et computatis pretiis illorum. Librorum videlicet igne abolitorum ab Epheſiis ad Chriſtum ſincerè converſis.

Invenerunt pecuniam denariorum quinquaginta millium. Græcè ad verbum, *invenerunt argenti*, aut *pecuniæ myriadas quinque.* Ἀργύριον, Hebraicè כֶּסֶף, *argentum*, Græci de argento, & de quovis nummo uſurpant, quia eorum nummi ex argento primùm percutiebantur, ut Iſidorus docet. Sic vulgari Gallorum linguâ *argent* quamlibet pecuniam ſignificat, Ut; *argentum* perſæpè apud

apud Plautum, cùm apud alios Latinitatis autores *as* vulgò pro quacunque pecunia sumatur. Itaque ἀργύριον ubi de nummis Judaicis sermo est, ut Mat. 26. v. 15. ex Judæorum usu *argenteum Siclum* denotat, qui Athenienſium *Stateri* omninò par fuit, & valuit hodiernæ monetæ Anglicanæ duobus ſolidis cum ſex denariis. Hinc Euſebius lib. 4. Demonſt. Evang. τετάκοντα ϛατῆρας tranſcripſit, quod Matthæus τετράκοντα ἀργύρια dixerat, quæ ſunt tres libræ Anglicæ cum quindecim ſolidis. Hîc verò ἀργύριον Græcorum nummum ſignificat, valéſque drachmam Atticam, quæ erat quadrans Sicli argentei Judaici, atque ejuſdem valoris cum denario Romano, & ſeptem denariis cum obolo hodiernæ monetæ Anglicanæ. *Græci enim*, inquit doctiſſimus Edwardus Brerewood, *pecuniarum ſummas numerabant drachmis, ut Judæi Siclis, & Romani Seſtertiis: Epheſus autem, cujus argentei illi erant, Græca civitas fuit, Athenienſium Colonia, ut Strabo & Pauſanias autores.* Drachmarum verò Atticarum quinquaginta millia æquivalent mille quingentis ſexaginta duobus libris Anglicanis cum decem ſolidis hodiernæ monetæ.

20. *Ita fortiter creſcebat verbum Dei & confirmabatur.* Id eſt, Evangelium Jeſu Chriſti novos quotidie diſcipulos ipſi parebat, qui magìs magíſque in Evangelii obedientia proficiebant. Vide ſuprà cap. 6. v. 7. & cap. 12. v. 24.

21. *His autem expletis.* Q. d. Cùm itaque Epheſi altiores radices egiſſet fides Chriſtiana.

Propoſuit Paulus in ſpiritu. Hoc eſt, animum induxit Paulus. Spiritus ponitur pro animo, ſicut Jo. 13. v. 21. Rom. 1. v. 9. 1 Cor. 2. v. 11. 5. v. 5. 6. v. 20. 7. v. 34. Eph. 4. v. 23. Phil. 3. v. 3. Col. 2. v. 5. Dubium tamen non eſt, quin Paulus, ut ipſe in re ſimili teſtatur infrà cap. 20. v. 22. Spiritûs ſancti impulſu conſiſium iſtud ceperit, ut ipſa tandem res oſtendit infrà cap. 20. v. 1.

Tranſitâ Macedoniâ. In qua. Philippis & Theſſalonicæ ac Beroeæ Chriſtianiſmum plantaverat ſuprà cap. 16 & 17. Volebat igitur habitantes ibi Chriſtianos reviſere.

Et Achaia. Peloponneſi regione, cujus metropolis Corinthus, ubi quoque Paulus Evangelium ſatìs diu docuerat. A nonnullis *Achaia* hîc pro Græcia tota accipitur. Romani veteres Achæorum & Achivorum nomine Græcos omnes intellexerunt, & Achaiæ Proconſul Peloponneſum ſimul & Græciam regebat.

Ire Hieroſolymam. Ut inviſeret primariam Eccleſiam, atque in ejus uſum deferret eleemoſynam ex Eccleſiis Græcis Macedoniæ & Achaiæ collectam. Vide Rom. 15. v. 25 & 26.

Dicens. Spiritûs-ſancti impulſu.

Poſtquam fuero ibi. Nempe Jeroſolymæ.

Oportet

Oportet me & Romam videre. Hoc est, Romam proficiſci, ut & in ea totius orbis metropoli aliquos Chriſto lucrifaciam. Vide Rom. 1. v. 10, 11, 13 & 15. & ibid. cap. 15. v. 23.

22. *Mittens autem in Macedoniam duos ex miniſtrantibus ſibi.* Q. d. Cùm verò præmiſiſſet in Macedoniam, quò ipſe erat iturus, duos ex ſuis in Evangelio prædicando adjutoribus. *Timotheum.* De quo ſuprà cap. 16. v. 1. & 17. v. 14 & 15. & 18. v. 5. Hoc nemo Paulo ſimilior in Chriſti fide tenenda, excolenda, profitenda, docenda ac defendenda, unde 1 Tim. 1. v. 2. Apoſtolus ipſum vocat *dilectum*, ſeu, ut textus Græcus habet, *germanum filium in fide*, διὰ τὴν ἀκριβῆ πρὸς αὐτὸν ὁμοιότητα, *propter exactam*, ait Chryſoſtomus, *cum ipſo ſimilitudinem in fide*, ex qua dilectio naſcitur: nam alioqui Paulus Timotheum non fecerat fidelem, ſed invenerat, utì patet ex 2 Tim. 1. v. 5. *Et Eraſtum.* Videtur eſſe ille cujus fit mentio Rom. 16. v. 23. & 2 Tim. 4. v. 20.

Ipſe remanſit ad tempus in Aſia. Epheſi ſcilicet, utì patet ex ſequentibus, quæ erat Aſiæ ſtrictiùs dictæ Metropolis prima.

23. *Illo tempore.* Quo nimirùm Paulus Epheſi ſubſtitit. *Turbatio non minima.* Id eſt, maxima tumultuatio. *De via Domini.* Hoc eſt, propter illam Chriſti doctrinam, quam Paulus annuntiabat. Vide ſuprà v. 9. Ita ex occaſione doctrinæ bonæ ſolent fieri tumultus mali ab hominibus malis, quibus iſta doctrina adverſatur.

24. *Argentarius.* Gr. ἀργυροκόπος, quod vocabulum derivatur ab ἄργυρος, *argentum*, & κόπτειν *incidere*, ſeu κόπος, *labor, contuſio*, quaſi fuerit *faber argentarius*, qui cælando, ſculpendo, fingendo laboraverit in argento. Hujuſmodi fabros à præſtantiori materia in qua laborant, vocamus *aurifices*, ſeu *fabros aurarios.*

Faciens ædes argenteas Dianæ. Id eſt, ædiculas ex argento, in quas recondebantur Dianæ parva ſimulachra, quæ vulgò ab iis emebantur, qui Dianam Epheſinam inviſebant. *Et fortaſſe*, ait Caſaubonus, *referebant iſtæ ædiculæ templi Epheſini artificium.* Ædiculæ dicebantur capſulæ & ſcriniola, in quibus Deorum, Dearumve aſſervabantur ſimulachra. Petronius, *Prætereà grande armarium in angulo vidi, in cujus ædicula erant Lares argentei.* Apuleius lib. 3. Mileſiarum: *Reſpicio pilæ mediæ, quæ ſtabuli trabes ſuſtinebat, in ipſo ferè meditullio Hipponæ Deæ ſimulachrum reſidens ædiculæ.* Plinius lib. 36. Nat. Hiſt. cap. 5. De Venere Praxitelis ſervata apud Gnidios loquens ait: *Ædicula ejus tota aperitur, ut conſpici poſſit undique effigies Deæ, favente ipſâ, ut creditur, facto, nec minor ex quacunque parte admiratio eſt.* Juvenalis Sat. 8.

Ipsi deinde Lares, siquod spectabile lignum,
Siquis in ædicula Deus unicus.

Tertullianus de idololatria cap. 8. *Nec enim differt an extruas, an exornes, si aram, si templum, si ædiculam ejus instruxeris.* Ædiculam Tibullus appellat *exiguam ædem*:

Stabat in exigua ligneus æde Deus.

Arnobio lib. 6. hujusmodi ædiculæ seu exiguæ ædes dicuntur *tuguriola, conclavia, cellulæ.*

Dianæ. Jovis filiæ ex Latona, in Deli maris Ægæi insula monte Cyntho eodem cum Apolline partu editæ. Hæc, ob virginitatis amorem, fertur hominum consortia fugisse, & ut à se libidinis pruritum amoveret, venando sylvas incoluisse, pudicarum virginum comitatu contenta. In interis *Hecate*, in sylvis *Diana*, in cœlo *Luna, Phœbe, Delia, Cynthia* dicta. Hanc parturientes, Junonis Lucinæ nomine invocabant. Templum habuit laudatissimum apud Ephesios, quod fuisse dicitur ex septem orbis miraculis unum, cujus primus architecton fuit Chersiphron, teste Strabone lib. 14. Quadringentis annis totâ Asia exstruente peractum fuisse, ac septies restitutum, ait Plin. Nat. Hist. lib. 16. cap. 40. Sed ipse sibi non constat. Etenim lib. 36. cap. 14. dicit ducentis viginti annis à tota Asia factum, inibsque ejus structuram depingit. Hoc adeo sumtuosum & magnificum templum Herostratus combussit, ut nomen memoria sceleris extenderet, utinquit Solinus, cujus ex cap. 43. hîc verba subjiciam: *Epheso decus templum Dianæ, Amazonum fabrica, adeo magnificum, ut Xerxes cùm omnia Asiatica templa igni daret, huic uni pepercerit: sed hæc Xerxis clementia sacras ædes non diu à maledicendo avit. Namque Herostratus, ut nomen memoria sceleris extenderet, incendium nobilis fabricæ manu suâ struxit: sicut ipse fassus est, cui adipiscendæ famæ latioris. Notatur ergo eâdem die conflagrasse templum Ephesi, quâ Alexander Magnus Pellæ natus est, qui oritur, ut Nepos edidit, M. Fabio Ambusto, & T. Quinctio Capitolino, Consulibus, post Romam conditam anno trecentesimo nonagesimo nono. Id* templum *cùm postmodùm ad cultum augustiorem Ephesii reformarent, socer operi Dinocrates præfuit; quem Dinocratem Alexandri jussu Alexandriam jam in Ægypto natatum, suprà exposuimus.* Lepidè dixit Timæus in sua historia, ut refert Cicero de Nat. Deorum lib. 2. *Nihil mirandum, si eadem nocte, quâ natus est Alexander, Dianæ Ephesiæ templum deflagraverit, quia Diana cùm partui Olympiadis adesse voluisset, domo abfuit.*

Præsta-

Præſtabat artificibus. Hoc eſt, ejuſdem artificii cum Demetrio magiſtris.

25. *Quos.* Collegas ſcilicet.

Et eos qui hujuſmodi erant opifices. Id eſt, & operas, quibus ipſe Demetrius, ipſiúſque collegæ magiſtri artifices utebantur in argenteis illis Dianæ ædiculis elaborandis.

De hoc artificio. Id eſt, ex hujus opificii quæſtu.

Eſt nobis acquiſitio. Id eſt. diteſcimus. Ita lucrum iſtis Dea eſt, huícque Deæ velificantur ſub obtentu Dianæ numinis.

26. *Et videtis.* Id eſt, ſed videtis quæ hîc fiunt in præſentia ante oculos veſtros. Particula copulativa *Et* ponitur pro adverſativa *ſed*, ut Mat. 5. v. 43. & aliàs paſſim.

Et auditis. Quæ fiunt alibi.

Quia non ſolùm Epheſi. Ubi vivimus, noſtrámque artem exercemus.

Sed penè totius Aſiæ. Strictiùs dictæ, cujus Epheſus noſtra eſt Metropolis prima.

Paulus hic. Erraticus.

Suadens averſit multam turbam. Hoc eſt, Suadelâ ſuâ quàm plurimos à diis colendis abduxit.

Dicens, &c. Id eſt, negans ullam eſſe vim divinam in manufactis Deorum Dearúmve ſimulachris.

27. *Non ſolùm autem hæc periclitabitur nobis pars.* Id eſt, hoc quod ad hanc rem, nempe noſtrum ſpectat artificium, ex quo lucrum habemus. Ita nomen *partis* uſurpatur pro *re* ſeu *negotio*, ſive *eo quod ſpectat ad rem* de qua agitur, 2 Cor. 9. v. 3. Col. 2. v. 16. 1 Pet. 4. v. 16.

In redargutionem venire. Hoc eſt, ne probro vertatur, quaſi quidpiam neſarium & deteſtandum, noſtro cum maximo damno.

Sed magnæ Dianæ templum in nihilum reputabitur. Hoc eſt, negligetur, atque deſereturᵗur. Magna Dea vocatur Diana, quòd inter numerum magnum ac indefinitum Deorum, quos gentiles religioſe colebant, eſſet è Diis majoribus duodecim, quos Ennius iſto diſticho comprehendit:

Juno, Veſta, Minerva, Ceres, Diana, venus, Mars,
Mercurius, Jovis, Neptunus, Vulcanus, Apollo.

Et deſtrui incipiet majeſtas ejus. Id eſt, vileſcétque ipſius Deæ majeſtas.

Quam tota Aſia & orbis colit. Hoc Apuleius his verbis expreſſit lib. 2. Mileſiarum: *Cujus numen unicum multiformi ſpecie, ritu vario, nomine multijugo totus veneratur orbis.* Erronea Superſtitio, abominabiliſque idololatria tam latè regnabat, ut catholica ſeu uni-

universalis totius ab hominibus inhabitati terrarum orbis religio censeretur, ut hodie Papismus.

28. *His auditis.* A Demetrio.

Repleti sunt irâ. Hoc est, excandescentiâ commoti artifices Demetrii collegæ, & adhibitæ ab ipsis operæ.

Exclamaverunt. Clamore, non rationibus, idololatriam suam tuentur, ut hodiéque suam Papistæ.

29. *Et impleta est civitas tota confusione,* Ad talem vociferationem concurrente populi multitudine, ut suprà cap. 2. v. 6.

Et impetum fecerunt uno animo. Hoc est, Simúlque eum impetu cucurrerunt.

In theatrum. Ubi spectacula, comœdiæ & tragœdiæ peragi solebant.

Rapto Gaio. Hic Gaius seu Caius Macedonibus accensetur, quia in Macedonia habitabat, licèt è Lycaoniæ oppido Derbe videatur oriundus infrà cap. 20. v. 4.

Et Aristarcho. Thessalonicensi, de quo infrà cap. 20. v. 4. & 27. v. 2. Col. 4. v. 10. Philem. 24.

Macedonibus comitibus Pauli. Q. d. Qui ex Macedonia profecti erant ut Paulum Apostolum peregrinantem, & varias oras Evangelii annunciandi causâ peragrantem comitarentur. Vide 2 Cor. 8. v. 19.

30. *Paulo autem volente intrare in populum.* Id est, ad populum, ut acri sermone socios defenderet.

Non permiserunt discipuli. Id est, Christiani, quos Ephesi per doctrinam à se prædicatam Paulus converterat ad Jesum Christum, dissuaserunt aditum ad tantum populi concitati ac furentis tumultum, in quo de vita absque fructu periclitaretur.

31. *Quidam autem & de Asiæ principibus. Asiarchæ* viri erant communi Asiaticarum civitatum consensu delecti, qui communia negotia curarent. Strabo lib. 14. In libris Jurisconsultorum usurpatur hæc vox, ut & *Syriarcharum.* Sic autem dicti sunt sacerdotes quidam, quorum munus erat ludos theatrales in Deorum honorem edere, quos propterea Ruffinus apud Eusebium *Munerarios* interpretatur, ut observat Cujacius Jurisconsultus longè doctissimus. Eorum functio *Asiarchia,* sicut Bithynarcharum *Bithynarchia,* Lyciarcharum *Lyciarchia* dicebatur. *Præsides* iidem dicti: *Principes* item, à ratione tum nominis, tum dignitatis, quæ eminentior erat, & honoris eximii, & notum, eadem vocabula tam *Principes,* quàm *Sacerdotes* sæpius significare. Hinc Athenis Βασιλεὺς, Romæ *Rex* sacra curabat. Vide Seldenum in marmoribus Arundelianis.

Qui erant amici ejus. Licet ipsius doctrinæ non planè fuissent offensi, ut Christi discipulis accenserentur.

Ne ſe daret in theatrum. Quò furens multitudo tumultuoſè concurrebat.

32. *Alii autem aliud clamabant.* Ut in tumultibus fieri ſolet.

Erat enim eccleſia confuſa. Id eſt, miſcellanea turba omni ordine deſtituta.

33. *De turba.* Id eſt, ex media populi multitudine.

Detraxerunt. Hoc eſt, quidam eduxerunt in eum locum, unde ab omnibus exaudiri poſſet.

Alexandrum. Hunc nonnulli putant eſſe eum de quo poſtmodùm fide naufrago queritur Paulus 1 Tim. 1. v. 20. & 2 Tim. 4. v. 14. ubi dicitur faber ærarius.

Propellentibus eum Judæis. Aliqui putant illum, quum eſſet Judæus, ut verſu ſequenti dicitur, ideo à Judæis in medium conventûs protruſum eſſe, ut pro communi cauſa ad ſedandum populum peroraret. Alii autem quòd, quum è Judæo Chriſtianus factus eſſet, & Pauli tunc ſocius, Judæi Paulo & Chriſtianis infenſi vellent eum plebi furênti malè tractandum objicere; & ſe quamvis aliàs idolis gentium eſſent inimici, tunc à Paulo & ejus ſociis averſos, atque eorum, quæ his objiciebantur, immunes oſtendere. Alii denique, quòd vellent, ut is Judæos, quanquam in communi cum Chriſtianis cauſa, circa hoc negotium excuſans, totam accuſationem in Paulum Chriſtianóſque ejus ſocios derivaret.

Alexander autem manu ſilentio poſtulato. Vide ſuprà cap. 12. v. 17. & cap. 13. v. 16.

Volebat reddere rationem populo. Id eſt, defenſione uti ad populum, quâ intentatam accuſationem depelleret.

34. *Quem ut cognoverunt Judæum eſſe.* Origine, & ut alii volunt, etiam religione.

Vox facta una eſt omnium. Hoc eſt, omnes Epheſii idololatræ qui aderant, ſimul vociferati ſunt.

Quaſi per horas duas. Ut idololatriæ ſuæ adverſantes obtunderent.

Magna Diana Epheſiorum. Vide quæ diximus ſuprà v. 28.

35. *Scriba.* Id eſt, Notarius civitatis publicus, vel Legum peritus, quaſi Syndicus, vir non exiguæ apud cives autoritatis, & ut ex oratione ejus apparet, tum prudens, tum Paulo ejúſque ſociis amicus, ut illi Aſiarchæ, de quibus ſuprà v. 31.

Viri Epheſii. Sic eos eorum Oratores compellare ſoliti.

Quis enim, &c. Q. d. Non eſt cur tumultuemini, cùm nemo in controverſiam vocet, quin Epheſii ſint æditui magnæ Deæ Dianæ, ejuſdémque ſimulachri non humanâ manu facti, ſed cœlo delapſi.

Civitatem cultricem. Gr. Πόλιν νεωκόρον, *civitatem adilitiam,* ſeu *templi ornatricem.* Sic dicitur, quòd templi verrendi pur-

gandique cura ejus civibus sit commissa, à Ναὸς, *templum*, & χορέω *Scopis purgo, orno.* De Enna Siciliæ civitate Cicero, *ut mihi non cives illius civitatis, sed omnes sacerdotes, omnes accolæ atque Antistites Cereris viderentur.* Addit Grotius, *Esse νεωκόρου vocabulo sensu etiam in marmoribus Arundelianis, & in nummis sæpè; ut in illo* Μαγνήτων νεωκόρων Ἀρτέμιδος, Magnesiorum Ædilium Dianæ. *In alio,* Ἐφεσίων δὶς νεωκόρων τῆς Ἀρτέμιδος, Ephesiorum bis & item Dianæ ædilium. *Ubi bis νεωκόροι* ædiles *vocantur Ephesii ob bis editos ludos in honorem Cæsaris, Dianæ autem perpetuos.*

Jovisque prolis. Gr. τοῦ Διοπετοῦς, *& à Jove delapsi*, nempe ἀγάλματος, *simulachri.* Jovem pro cœlo usurpari frequens Græcis. Hinc dixit & Horatius, *sub Jove frigido.* Fingebant idololatriæ promotores sacerdotes idolum Dianæ, quod Ephesi habebatur & colebatur, non humanis manibus fabricatum, sed mirabiliter è cœlo esse delapsum. Sicut & de Trojano Palladio, id est, Palladis simulachro ferebatur. Cicero de Enneensis Cereris simulachro: *Erat talè, ut homines aut ipsam videri se Cererem, aut effigiem Cereris non humanâ manu factam, sed cœlo delapsam arbitrarentur.* Plinius lib. 16. Nat. Hist. cap. 40. miratur nomen artificis, qui simulachrum Dianæ Ephesiæ dedolavit, Demonicon edi à Mutiano ter Consule, cùm antiquius id esse prodiderit non modò Libero patre, sed etiam Minerva, cujus figmentum nullius manu artificis factum, cœlo lapsum credebant. Multi veterum dubitarunt, ex qua materie fabricatum esset Ephesium Dianæ idolum. Plerique ligneum fuisse prodiderunt, licet de ligni specie inter se dissentiant. At Xenophon aureum fuisse tradidit, quod sit magis verisimile quandoquidem cùm Ephesium Dianæ templum deflagravit, istud ejusdem simulachrum non fuit simul eodem igne absumtum, nec fuit unquam mutatum, septies restituto templo.

36. *Cùm ergo his contradici non possit.* Q. d. Cùm ergo quicquid de manu-factis simulachris dicitur, nihil lædere possit Ephesium Dianæ simulachrum, quod constat nullius artificis manu factum, sed à Jove delapsum.

Oportet vos sedatos esse. Hoc est, sedare tumultum.

Et nihil temerè agere. Non penitùs perspectâ planéque cognitâ causâ.

37. *Adduxistis enim homines istos.* Gaium videlicet, seu Caium & Aristarchum de quibus suprà v. 29.

Neque sacrilegos. Templi nimirùm Dianæ violatores, cùm id nunquam sint introgressi.

Neque blasphemantes Deam vestram. Cujus simulachro, cùm sit cœlo demissum, suus constat cultus, etsi detur Deos non esse, neque pro Diis colendos, qui manibus fiunt, ut dictum suprà v. 26.

38. *Quod*

38. *Quod ſi Demetrius*, &c. Simillimè Horatius,

Si mala condiderit in quem quis carmina, jus eſt,
Judiciumque.

Conventus forenſes aguntur. Id eſt, ſunt loca & tempora deſignata, quibus jus dicitur, & lites dijudicantur.

Et Proconſules ſunt. Unus in una provincia ſolebat eſſe Proconſul. Hìc verò plures memorantur, vel quòd diverſis temporibus alii aliis ſuccederent, vel quòd cum Proconſule ſimul ejus vicarius ſeu legatus jus etiam diceret.

Accuſent invicem. Videlicet Demetrius iſtos viros, quos huc adduxiſtis, vel iſti illum. Quintilianus Declam. 13. *Nos ideo Magiſtratus leg éſque à majoribus noſtris accepimus, ne ſui quiſque doloris judex ſit: & aſſiduæ ſcelerum cauſæ ſi refellant, ſi ultio crimin imitabitur.*

39. *Siquid autem alterius rei quæritis.* Hoc eſt, ſi præter privatam litem alia res veniat in controverſiam.

In legitima eccleſia. Id eſt, non in tumultuario concurſu, ſed in populi conventu legitimè advocato.

Poterit abſolvi. Hoc eſt, dirimi controverſia.

40. *Nam & periclitamur*, &c. Q. d. Eſt enim metuendum ne accuſemur ſeditionis ob tumultuarium hodiernum concurſum, cùm nulla ſit tumultuoſæ iſtius concurſationis cauſa, quam juſtam eſſe ratione defendi poſſit.

Dimiſit eccleſiam. Id eſt, cœtum. Ita Dei providentiâ diſſolutus eſt tumultuarius populi conventus, & concitatus in Paulum ſociósque ejus à Demetrio tumultus abſque effectu evanuit.

CAP. XX.

1. *Postquam autem cessavit tumultus.* Quem Demetrius Ephesi in Paulum ejúsque socios concitaverat.

Vocatis Paulus discipulis. Id est, quum advocasset Paulus Christianos qui erant Ephesi.

Et exhortatus eos, valedixit. Gr. τὴ ἀσπασάμενος, *& amplexus esset.* Isto fraternæ dilectionis signo eis salutem precatus, atque valedicens, & quidem, ut probabile est, addito ex more illarum gentium oscúlo, unde Syrus transtulit: *Et osculatus est.* Neque dubium est quin Paulus ab Ephesis Christianis abiturus eos ad officia pietatis & constantiam in suscepta Christi fide cum salutis comprecatione fuerit exhortatus.

Et profectus est. Epheso.

Ut iret in Macedoniam. In qua Philippis, Thessalonicæ, & Bereæ nonnullos ad Christum converterat.

2. *Cùm autem perambulasset partes illas.* Nempe urbes Macedoniæ.

Et exhortatus eos fuisset. Christianos nimirum, qui in Macedonia degebant, ad retinendam fidei ac pietatis perseverentiam.

Venit ad Græciam. Hoc est, in illam Græciæ partem, ubi erant Athenæ & Corinthus. *Græcia,* inquit Augustinus Lubin, Regis Galliæ Geographus in indice Geographico ad Ussérii Annales, *celeberrima Europæ regio, quæ olim ab incolis vernaculo nomine* Hellas *appellata est, Macedoniam, Epirum, Thessaliam, Achaiam, quæ Græcia propriè dicta, Peloponnesum & vicinas circùm insulas continens, terminis includitur ab Ortu, Ægæo mari, à Meridie, Cretico, ab Occasu, Ionio, à Septentrione, Scardicis jugis ab Illyriis & Mœsis separatur, Strymonéque amne à Thracibus, nunc vulgò Turcis, quibus paret,* Romeli *dicitur.*

3. *Ubi cùm fecisset menses tres.* Id est, peracto ibi spatio trimestri.

Factæ sunt illi insidiæ à Judæis. Incredulis ipsi infensis, quòd multos à Lege Mosis ad fidem Christi abduceret.

Navigaturo in Syriam. Versus Judæam.

Habuit que consilium, &c. Q. d. Ut ergo structas sibi insidias evitaret, consilium multæ prudentiæ iniit, non rectà ex Achaia,

chaia, seu Græcia propriè dicta in Syriam navigare, sed retrò iter remetiri per Macedoniam, unde in Achaiam tres abhinc menses venerat.

4. *Comitatus est autem eum.* Græcè additur, *usque in Asiam*, nempe strictiùs dictam, cujus prima metropolis Ephesus.

Sospater. Qui per syncopen dicitur *Sopater.* Hic inter cognatos Pauli recensetur Rom. 16. v. 21.

Pyrrhi. Scilicet filius. Hoc vocabulum à vulgaribus codicibus Græcis abest.

Beræensis. Ex Berœa, è numero illorum egregiorum virorum, de quibus suprà cap. 17. v. 10, 11 & 12.

Thessalonicensium verò. Id est, ex Macedoniæ urbe Thessalonica.

Aristarchus & Secundus. Hos duos tantùm Thessalonicenses fuisse putat Syrus. Aristarchus autem Paulum comitatus est non modo in Asiam usque, sed & in Syriam, imò & Romam infrà cap. 27. v. 2. Vide & Col. 4. v. 10.

Et Caius Derbæus. De hoc Caio seu Gaio vide quæ diximus suprà cap. 19. v. 29.

Et Timotheus. Ex eadem urbe Derbe oriundus, si Gesnero credimus. Syrus & Arabs interpretes hoc loco addunt, *qui erat ex Lystra.* Vide dicta suprà cap. 14. v. 6. Hunc Timotheum egregium juvenem, de quo suprà cap. 16. v. 1 & 2. cap. 17. v. 14 & 15. cap. 18. v. 5. & cap. 19. v. 22. Paulus postea reliquit Ephesi, ut ibi Ecclesiæ docendæ regendæque præesset.

Asiani verò. Ex Asia strictiùs dicta, & quidem ejus prima metropoli Epheso; nam vetustissimus codex, quo usus est clarissimus Beza, pro *Asiani* habet *Ephesii.*

Tychicus. Hic commendatur à Paulo Ephes. 6. v. 21. & Col. 4. v. 7. Ephesum mittitur 2 Tim. 4. v. 12. in Cretam insulam Tit. 3. v. 12. Hunc demùm creatum fuisse Chalcedonensem in Bithynia Episcopum scribit Δωρόθεος & Dorotheus in Synopsi de vita Prophetarum & discipulorum Christi.

Et Trophimus. De quo infrà cap. 21. v. 29. & 2 Tim. 4. v. 20.

5. *Hi cùm præcessissent.* Hoc est, prævissent quò Paulus erat iturus.

Sustinuerunt nos. Hoc est, expectarunt Paulum mecum hujus historiæ Scriptore Luca. Hîc Lucas, qui in aliquot capitibus superioribus aliter loquutus fuit, quòd forsan à Paulo missus fuisset aliquò, indicat rursus se Paulo tunc adfuisse comitem hujus itineris, ut & porrò in sequentibus.

Troade. Hoc in loco *Troas* non accipitur de regione, quæ vocabatur *Teucris*, & *Dardania*, & *Xanthe*, sed de ejusdem regionis urbe, quæ *Troas* etiam dicta fuit. Vide quæ diximus suprà cap. 16. v. 8.

6. *Nos*

6. *Nos verò.* Hoc est, ego Lucas & Paulus.

Navigavimus post dies azymorum. Id est, post festum solemne Paschatis Judæorum, quod adhuc Paulus cum aliis qui erant ex Judæis Christiani observasse videtur, ut Judæis sese licitè accommodaret: & proculdubio occasionem annuntiandi Christum Judæis illo tempore festo non neglexit.

A Philippis. Urbe Macedoniæ, de qua suprà cap. 16. v. 12.

Et venimus ad eos. Socios peregrinationis, qui præiverant.

Troadem. Urbem regionis ejusdem nominis.

In diebus quinque. Id est, intra dies quinos.

Ubi demorati sumus diebus septem. Hoc est, in urbe Troade septenos transegimus dies.

7. *Unâ autem Sabbathi.* Id est, *eâ die*, ut Sozomenus loquitur 1 Hist. Eccl. cap. 8. *quæ Dominica appellatur, quam Hebræi primam hebdomadæ vocant, Græci verò soli dicarunt.* Vide quæ adnotavi ad Mat. 28. v. 1. Nomocanon nuper editus à viro clarissimo Joanne Baptista Cotelerio cap. 416. σὲ τ χρεσ γνήσιος, ὐκ ἐλέγετο κυριακὴ, ἀλλὰ πρώτη ἡμέρα, μετὰ τ ἀναστασεος, κυριακὴ, κυρία πασῶν τ ἡμερῶν κ) ἑορτῶν ἐπλήθη ? ἀπ Christi *Resurrectionem non dicebatur Dominica sed prima dies; post Resurrectionem verò Dominica, Domina omnium dierum ac festivitatum appellata fuit.* Nomen Κυριακῆς ἡμέρας, *Dominicæ diei* habes Apoc. 1. v. 10. in Ignatii epistola ad Trallianos & ad Magnesios, & in Constitutionibus Clementis aliquoties, item in Irenæi loco, quem servavit nobis scriptor responsionum ad Orthodoxos apud Justinum Martyrem. Edictum Theophili Alexandrini Patriarchæ: *Et mos & honestas à nobis exigit ut omnem diem Dominicum honoremus, eúmque celebremus, quoniam Christus Dominus noster præclarum in ea suæ Resurrectionis munus obiit.* Sedulius lib. 5. Paschalis operis cap. 20. *Interea cœperat illud triste post Sabbatum dies irradiare felix, qui Domino dominanti gratissimus nomen ab ejus majestate sortitur, dictus hoc honore Dominicus: quippe qui tantum consecutus est dignitatis, ut primus meruerit intueri mundi nascentis originem, & resurgentis Christi virtutem.* S. Aug. epist. 119. cap. 13. *Dies Dominicus non Judæis sed Christianis Resurrectionis Dominicæ declaratus est, & ex illo habere cœpit festivitatem suam.* Et serm. 15. de verbis Apostoli: *Dominicus hic dies dicitur, quia in die Dominus resurrexit: vel, ut ipso nomine doceret, illum totum Domino consecratum esse debere.* S. Maximus Taurinensis Hom. 3. in Pentecosten: *Dominica nobis ideo venerabilis est atque solemnis, quia in ea Salvator velut sol oriens, discussis infernorum tenebris, lucem Resurrectionis emicuit, ac propterea ipsa dies ab hominibus seculi Dies Solis vocatur, quòd ortus eam Sol justitiæ Christus illuminet.* Ordo Romanus & Isidorus lib. 2. de Ecclesiasticis officiis cap. 24. *Dominicum diem Apostoli ideo religiosâ solemnitate sanxerunt, quia in eadem*

ſum Dominus & Redemtor noſter à mortuis reſurrexit: quí que ideo Dominicus appellatur, ut in eo terrenis operibus, vel mundi illecebris abſtinentes, tantùm divinis cultibus ſerviamus, dantes ſcilicet huic diei honorem & reverentiam, propter ſpem reſurrectionis noſtræ quam habemus in illo. Gregorius Turonenſis lib. 1. Hiſt. cap. 22. *Hic eſt dies Reſurrectionis Domini noſtri Jeſu Chriſti, quem nos propriè Dominicum pro ſanctæ ejus Reſurrectione vocamus.*

Cum conveniſſemus. Ex hoc loco, & ex eo quod ſcribitur 1 Cor. 16. v. 2 colligitur jam tum conſueviſſe Chriſtianos die primo hebdomadis ſolemnes conventus agere. Juſtinus. Apolog. 2. τῇ τῆς ἡλίου λεγομένῃ ἡμέρᾳ πάντων κατὰ πόλεις ἢ ἀγρὸς μενόντων τὸ αὐτὸ συνέλευσις γίνεται; *Solis qui dicitur die, omnium, qui vel in oppidis vel ruri degunt, in eundem locum conventus fit.*

Ad frangendum panem. Conſecratum videlicet ut eſſet ſymbolum corporis Chriſti pro nobis in cruce immolati. Hinc Syrus reddidit, *ut frangeremus Euchariſtiam.* Arabs, *ut diſtribueremus corpus Chriſti.* Æthiopicus. לברך מאר, *ad benedicendum menſæ.* Omnes de ſacro illo ritu intellexerunt, quo voluit Dominus Jeſus à ſuis diſcipulis acerbiſſimæ mortis ſuæ memoriam celebrari, Luc. 22. v. 19. 1 Cor. 11. v. 24 & 26. Vide quæ diximus ſuprà cap. 2. v. 42 & 46.

Paulus diſputabat cum eis. Hoc eſt, prædicabat eis verbum Dei antequam cœnam Euchariſticam à fractione panis denominatam celebrarent.

Proficiſcturus. Troade urbe.

In craſtinum. Id eſt, die mox ſequente.

8. *Erant autem lampades copioſæ.* Nempe ad tenebras noctis diſpellendas, ſeu, ut Hieronymus loquitur contra Vigilantium, *ad ſolatium nocturnæ caliginis.*

In cœnaculo. ἐν τῷ ὑπερῴῳ, *in ſuprema contignatione,* quam videlicet, ut Juvenalis loquitur, *tegula ſola tuetur.* In hac ut viliſſima ædium parte homines fortunæ tenuioris, degere ſolebant, atque in ea Apoſtolorum temporibus Eccleſia congregabatur, & ſacra Chriſtianorum peragebantur, non in templis magnificè extructis.

Ubi eramus. Gr. ἦσαν, *erant.* Chriſtiani ſcilicet Troadenſes.

9. *Cecidit de tertio cœnaculo.* Id eſt, decidit è tertia contignatione, ſeu è tertio tabulato. Servius ad 3 Æneid. *Olim domus de tabulis fiebant: unde hodie in ædificiis ſurgentibus primum & ſecundum tabulatum dicimus: ſummum autem quod tectum ſuſtinet.* Hinc illud Juvenalis Sat. 3.

——— *Tabulata tibi jam tertia ſumant,*

Scholiaſtes interpretatur, *ſuperiora tecta.* Et

Et sublatus est mortuus. Q. d. Cúmque aliqui ex eis, qui Eutychum decidisse perceperant, ex illa suprema ædium contignatione decurrissent, ut eum attollerent, repererunt ipsum jam omnibus viribus destitutum, ac vitâ carentem.

10. *Ad quem cùm descendisset Paulus,* Interrupto sermone sacro, ut Eutychum inopinato casu extinctum vitæ restitueret.

Incubuit super eum. Ut super mortuos revicturos incubuere 1 Reg. 17. v. 21. Elias, & 2 Reg. 4. v. 34. Elisæus.

Et complexus. Medium Eutychum.

Dixit. Iis qui Eutychum lamentabantur mortuum.

Anima enim ipsius in ipso est. Hoc est, jamjam enim corpus ipsius recalescit atque reviviscit.

11. *Ascendens,* &c. Q. d. Quum verò Paulus rursus ascendisset in illam contignationem in qua concionem habuerat, ibique ritum Eucharistiæ celebrasset, & cibum sumsisset, ceu indefesso quod reliquum erat noctis spatium ad diluculum usque in concionando traduxit.

Et sic. Id est, nocte traductâ. Similiter particula οὕτως, *sic,* usurpatur ut nota rei factæ suprà cap. 7. v. 8. cap. 17. v. 33. infrà cap. 28. v. 14. Jo. 8. v. 59.

Profectus est. Ex urbe Troade, & pedestri quidem itinere, ceteris navi ituris, ut indicatur infrà v. 13.

12. *Adduxerunt autem.* Qui nimirùm descenderant ut Eutychum è feneſtra supremæ ædium contignationis delapsum attollerent, ipsum redivivum adduxerunt ad ceteros discipulos, qui in cœnaculo illo unde deciderat, ad Paulum audiendum, ritúmque Eucharistiæ celebrandum fuerant congregati.

Puerum. Id est, adolescentem, utì eum vocavit suprà v. 9.

Viventem. Hoc est, mirabiliter à Paulo ad vitam revocatum.

Et consolati sunt non minimè. Q. d. Tantíque miraculi conspectus magnum omnibus attulit Solamen.

13. *Nos autem.* Id est, ego Lucas cum aliis Pauli peregrinabundi sociis.

Ascendentes navem. Paulo præituri.

Navigavimus in Asson. Aptum portum navibus. Ad hanc urbem maritimam regionis Troadis ab urbe Troade tam terrâ quàm mari breve erat iter. Urbem fuisse memorabilem, & quâ parte mare spectat, naturâ ac arte munitissimam inquit Strabo lib. 13. Eandem aliàs Apolloniam dictam memorat Plinius lib. 5. cap. 30.

Inde suscepturi Paulum. Nempe in navem.

Sic enim disposuerat. Hoc est, fieri edixerat atque mandaverat.

Ipse per terram iter facturus. Troade ad vicinam ejusdem regionis urbem Asson.

14. Cùm

14. *Cùm autem conveniſſimus in Aſſon.* Q. d. Ut autem Paulus convenit nobiſcum apud dictam urbem Aſſon.

Aſſumto eo. In navem.

Venimus Mitylenen. Leſbi inſulæ urbem præcipuam, quam Vitruvius lib. 1. ait magnificenter & eleganter ædificatam fuiſſe, ſed non prudenter poſitam: in qua Auſter quum flat, homines ægrotant: quum Corus, tuſſiunt, quum Septentrio reſtituuntur in ſalubritatem. Claruit hæc urbs Pittaco ex ſeptem celebribus Græciæ ſapientibus uno, Alcæo nobili poeta Lyrico, inſigni poetriâ Sappho, diſertiſſimo rhetore Diophane, qui Gracchorum præceptor fuit, & Theophane Pompeianarum rerum Scriptore, qui Magno Pompeio admodum familiaris fuit, & ab eo in concione militum civitate donatus, ut teſtatur Cicero pro Archia.

15. *Contra Chium.* Hoc eſt, è regione Chii inſulæ in Ægæo mari noningentorum circiter ſtadiorum ambitu, Ioniæ adjacentis, inter inſulas Leſbum & Samum. Fuit hæc inſula nobilis vino, ficis, & marmore. Vinum erat omnium Græcorum optimum, autore Strabone lib. 13. Horat. Epod. 9.

Capaciores affer, puer, Scyphos
Et Chia vina, aut Leſbia.

Ficus Chia celebratur Martiali, cui per excellentiam dicitur *Chia* lib. 7. Epig. 24.

Infanti melimela dato, ſatuiſque mariſcas.
Nam mihi, quæ novit pungere, Chia ſapit.

Marmor Chium commendat Plinius lib. 5. cap. 31. Chia etiam terra ejuſdem in medicina effectûs ac Samia laudatur eidem lib. 35. cap. 16. Habuit viros celebres, Ionem Orchomenis filium Poetam tragicum & Lyricum, ac Philoſophum, Theopompum Damaſiſtrati filium Oratorem & Hiſtoricum, Theocritum ejuſdem Theopompi æqualem, & in adminiſtratione Reipublicæ æmulum. Homerum quoque Chii ſibi vindicabant argumento Homeridarum familiæ apud ipſos Chios illuſtris, quæ ex Homeri ſtirpe eſſe gloriabatur, nec non Prodicum Philoſophum, qui ea, quæ hominum vitæ prodeſſent, in Deorum numero habita eſſe dicebat, quorum luculenti ſunt teſtes Strabo libro citato, & Cicero lib. 1. de Natura Deorum.

Et aliâ die. Id eſt, poſtridie.

Applicuimus Samum. Hoc eſt, appulimus ad illuſtrem juxta Cariam inſulam Samum. *Samus*, inquit Thomas de Pinedo, *Sami, & Samothrace ſeu Samothracia diverſæ fuere inſulæ, etſi antiquitùs*

quitùs Samothracia quoque vocata fuit Samus. Samothracia enim erat in Ægæo, Same in Ionio prope Zacynthum, Samus verò, de qua nunc Sermo, in Icario pelago jacebat. Ac quemadmodum Lemnus Vulcanum, Delus Apollinem, Samus peculiariter colebat Junonem; unde Pottarum eruditissimus Æneid. lib. 1. v. 20.

Quam Juno fertur terris magis omnibus unam
Posthabitâ coluisse Samo.

Ac ideo Samii in eorum nummis insculpebant pavonem, avem Junoni Sacram, cujus rei testis est luculentus Athenæus lib. 14. Ingeniosè admodum ejus etymon deducit Bochartus à lingua Phœnicia; sed cùm Græci veteres Σάμος vocaverint excelsa loca, ut apparet ex Strabone lib. 10. ex Constantino Porphyrogeneta de Them. lib. 1. Them. 16. non opus est à lingua Phœnicia ejus etymologiam derivare. Archestratus Potta apud Athenæum lib. 7. celebrat thynnos, qui circa hanc insulam capiebantur; Plinius lib. 35. cap. 12. Samiam testam, quâ Matris Deûm sacerdotes, qui Galli à fluvio cognomine vocabantur, virilitatem amputabant, nec aliter sine pernicie fieri poterat, ut idem ex M. Cœlio refert. Quod facilè credo, cultri enim lapidei ferreis aptiores erant ad circumcisionem, propter tumorem, qui ex vulnere aliquandò ferreos cultros factò solet accidere. Ideo apud Josue cap. 5. v. 2. חרבות צרים, cultri lapidei *dicuntur, quibus circumcidendi erant Israelitæ, ubi nonnulli vertunt, sed perperàm,* cultros acutos, *de quibus consulendus D. Laur. Ramirez de Prado Pentecontarcho suo cap. 4. Celebrantur etiam vasa fictilia Samia, & apud medicorum filios terra Samia usibus medicinæ apta. In hac insula imperavit Polycrates ille tyrannus felix adeò ut, cùm in mare abjecisset annulum, quo delectabatur, in piscis præcordiis eum postea inventerit, sed nemo ante supremos funera felix dici potest, quandoquidem idem ab Oronte Darii Præfecto in crucem actus fuit, autore Ciceronе de Finibus lib. 5. At multò magis nobilitavit Samum Pythagoras, qui ideo* Samius senex *dicitur.*

Et. Supple ex textu Græco, *quum diversati essemus in Trogilio.* Strabo lib. 14. celebrat Trogilium promontorium Mycales: καὶ ἀντὶ δ' ἡ Τρωγίλιον ἄκρα πρόκειται τῆς Μυκάλης ὄρει. *Et ipsum Trogilium promontorium, pes quidem Mycales procurrens est.* Mycale verò Herodoto lib. 1. cap. 148. *promontorium est continenti versus Zephyrum ventum, ad Samum pertinens, ad quod collecti ex omnibus urbibus Iones festum celebrant, cui nomen posuere* Panionia.

Sequenti die. Id est, postridie quàm à Samo solveramus.

Venimus Miletum. Urbem celeberrimam in Caria Ionum, totius Ioniæ belli pacisque artibus principem, octoginta & ampliùs urbium metropolim, ac civium inclytis ingeniis meritò inclytam. Appositè Floridorum lib. 2. Apuleius: *Samus Icario in mari modica insula est: exadversum Miletos, ad Occidentem*

tum ejus ſita, nec ab ea multo pelagi diſpeſcitur. Utrumvis clementer navigantem dies alter in portum ſiſtit. Inter illuſtres viros qui ex hac urbe Mileto prodiere, inſigniores fuere Cadmus ille, *qui*, inquit Plinius lib. 5, cap. 29. *primus proſam orationem condere inſtituit*; Thales Examii filius, & ſeptem Græciæ ſapientibus celebribus celeberrimus, qui primus inter Græcos de natura diſſeruit, primus aſtrologiæ ſecreta rimatus eſt, primus *animos mortalium immortales eſſe* dixit, autore Laertio in ejus vita; & Anaximander Thaletis diſcipulus, qui ſphæram primus invenit, teſte Plinio lib. 7. cap. 56. & primus edidit γεωγραφικὴν πίνακα, *Gnographicam Chartam*, ut prodidit Strabo lib. 1. Mileſii verò ingens nomen adepti ſunt & oraculo priùs Branchidarum, poſteà Didymæi Apollinis dicto, quod Xerxes Darii filius & Cyri ex Atoſa filia nepos combuſſit, quemadmodum cetera templa omnia, Epheſio excepto, & eò quòd poſt incenſum à Xerxe templum, omnium maximum conſtruxerunt, quod ob magnitudinem ſine culmine manſit, variis antiquarum artium donis ſumtuoſiſſimè honoratum, referente Strabone lib. 14. Mileum quoque nobilitavit pretioſiſſima lana, ex qua fiebant ſtragula, quæ ob inſignem mollitiem in Proverbium ceſſerunt. Fuiſſe olim Mileſios ſtrenuos in bello nos docent hiſtoriæ, ſed poſteà delitiis addicti bellicam virtutem, opes & nomen amiſerunt, unde adagio factus eſt locus: Πάλαι ποτ' ἦσαν ἄλκιμοι Μιλήσιοι, *fuere quondam ſtrenui Mileſii.* Hinc etiam *Mileſius ſermo* pro laſcivo & voluptario accipitur apud Apuleium in Aſino aureo: *At ego tibi ſermone iſto Mileſio varias fabellas conferam, auréſque tuas benevolas lepido ſuſurro permulcebam.*

16. *Propoſuerat enim Paulus tranſnavigare Epheſum.* Hoc eſt, navigio præter Epheſum vehi.

Ne qua mora illi fieret in Aſia. Q. d. Ne ſi illam Aſiæ ſtrictiùs dictæ metropolim primam tunc adiiſſet, à fratribus Chriſtianis ibi habitantibus diutiùs detineretur.

Feſtinabat enim, ſi ſibi poſſibile eſſet. Per brevitatem ſcilicet temporis, quod reſtabat ad diem pentecoſten, ſeu quinquageſimam à feſto Paſchatis, quæ dies erat celebris feſtivitate, in qua offerebantur Deo primitiæ à Judæis, quibus eadem die Lex vetus fuerat promulgata in monte Sina.

Ut diem Pentecoſten faceret Jeroſolymis. Hoc eſt, ut eſſet Hieroſolymæ, quando ad inſtans Pentecoſtes feſtum fiebat Judæorum ex diverſis oris frequens concurſus.

17. *A Mileto autem mittens Epheſum.* Aliquem vel aliquos ex ſuis ſociis atque comitibus.

Vocavit. Id eſt, accivit.

Majores natu Eccleſiæ. Hoc eſt, præfectos regimini Epheſinæ Eccleſiæ, qui ita dicti quòd jam eſſent grandioris ætatis, vel morum

morum gravitate senes referrent, dum Plebi Ceristianæ moderandæ præponebantur velut Senatores, quorum sine consilio nihil agebatur Ecclesia. Hier. in Es. 3. *Nos habemus in Ecclesia Senatum nostrum, cœtum Presbyterorum.* Vide adnotata infrà v. 28. & suprà cap. 14. v. 23. & cap. 15. v. 2, 4, 6 & 28.

18. *Qui.* Presbyteri Ephesinæ Ecclesiæ, pari consortio præditi & honoris & potestatis.

Cum venissent ad eum. Paulum videlicet Apostolum.

Dixit eis. Ipse nimirùm Paulus eisdem Ecclesiæ Ephesinæ Presbyteris.

Vos scitis. Hoc est, vos testes estis.

A prima die quâ ingressus sum in Asiam. Strictiùs dictam cujus prima metropolis Ephesus vestra est.

Qualiter vobiscum per omne tempus fuerim. Id est, quomodo me apud vos gesserim. Vide similem locutionem 1 Thes. 2. v. 5 & 10.

19. *Serviens Domino.* Hoc est, pro virili promovens Dei gloriam in docendo piè Evangelio & præstandis Charitatis officiis erga Deum & proximos.

Cum omni humilitate. Id est, cum perfecta humilitate, eaque modestia animi, quæ alios non contemneret, neque dominium aliquod in fratres quibus docendis præeram usurparet.

Et lachrymis. Erumpentibus ex corde miserante eos, qui in officiis suis erant negligentiores.

Et tentationibus. Id est, vexationibus atque afflictionibus, quibus Diabolus, qui *Tentator* Antonomasticè vocatus 1 Thes. 3. v. 5. per instrumenta sua, homines malignos tentare ac sollicitare solet credentes ad defectionem à fide ac pietate; Deo permittente talia fieri ad fidem suorum & pietatem exploradam atque probandam. Similiter per *tentationes* intelliguntur vexationes & afflictiones seu res quæ vocantur adversæ, Luc. 22. v. 28. 1 Cor. 10. v. 13. Gal. 4. v. 14. Jac. 1. v. 2. 1 Pet. 1. v. 6. 2 Pet. 2. v. 9. Apoc. 3. v. 10.

Quæ mihi acciderunt ex insidiis Judæorum. Incredulorum ac pertinacium, Christi discipulos odio capitali persequentium. Vide suprà v. 3. & cap. 9. v. 24. cap. 14. v. 2 & 5.

20. *Quomodo nihil subtraxerim.* Id est, nihil ob metum periculorum, aut ob spem lucri vos celaverim.

Vobis utilium. Id est, eorum quæ ad salutem vestram conducere arbitrabar.

Quominus annuntiarem vobis. Hoc est, ea dogmata salutaria vobis prædicarem.

Et docerem vos. Id est, atque in iisdem vos diligentiùs instituerem.

Pub-

Publicè. In conventibus ſeu concionibus credentium.

Et per domos. Id eſt, privatímque dum credentes per ſingulas domos inviſebam.

21. *Teſtificans Judæis atque Gentilibus.* Id eſt, ſeriò & aſſeveranter, docens tum origine Judæos qui pro Dei populo jam olim cenſebantur, ſed per peccata erant à Deo averſi, & Jeſum pro Meſſia agnoſcere, in eúmque credere nolebant; tùm eos qui è gentibus à Dei populo alienis erant oriundi, & per *Græcos* ſignificantur, ut ſuprà cap. 18. v. 4. 19. v. 10 & 17.

In Deum pœnitentiam. Id eſt, converſionem à mala, ac vitioſa vita ad bonam & laudabilem vivendi rationem, Deo placentem, ipſiúſque præceptis conformem, ac malè actæ vitæ pœnitenti animo conſentaneam. Vide infrà cap. 26. v. 20.

Et fidem in Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum. Id eſt, fiduciam omnem eſſe collocandam in Jeſu illo Nazareno, qui eſt Meſſias ille in Lege ac Prophetis promiſſus, jam exhibitus autor æternæ ſalutis omnibus ſibi obtemperantibus, Heb. 5. v. 9.

22. *Et nunc ecce ego alligatus Spiritu, vado in Jeruſalem.* Q. d. Jam verò quartà vice poſt meam ad Chriſtum converſionem, Spiritus-ſancti inſtinctu quodam & imperio Hieroſolymam proficiſcor. Vide ſuprà cap. 13. v. 4. Sic de ſuo Hieroſolymam alio itinere Paulus dicit ſe eò aſcendiſſe *ſecundum revelationem*, Gal. 2. v. 2. nempe factam ſibi à Spiritu-ſancto. Sic ipſe Dominus Jeſus dicitur Mar. 4. v. 1. *Ductus in deſertum à Spiritu ut tentaretur à diabolo.*

Quæ in ea ventura ſunt mihi ignorans. Id eſt, nihil plane ſciens de iis cruciamentis quæ ſubiturus ſum Hieroſolymæ.

23. *Niſi quod Spiritus-ſanctus per omnes civitates.* Id eſt, per ſingulas civitates ad quas ego Paulus appuli, ex quo Hieroſolymam verſus profectionem dirigo.

Mihi proteſtatur. Hoc eſt, aſſeveranter prænuntiat.

Quoniam vincula, &c. Id eſt, me Hieroſolymis, ubi olim maximè perſequebar Eccleſiam Chriſti, pro eadem Eccleſia vinculis conſtrictum, omnibúſque modis cruciatum iri.

24. *Sed nihil horum vereor.* Q. d. At nullum eſt cruciamenti genus, quod mihi meum ut officium præſtem ferendum eſt, aut refugiam aut deprecer.

Nec facio animam meam prætioſiorem quàm me. Gr. οὐδὲ ἔχω τὴν ψυχὴν μου τιμίαν ἐμαυτῷ, *neque habeo animam meam pretioſam mihi ipſi.* Hoc eſt, neque vitæ diſpendium æſtimo. Pretioſam habere apud ſe animam dicunt Hebræi, qui vitæ iſti temporariæ parcit, 2 Reg. 1. v. 13 & 14. Unde vice versâ qui eidem non parcit, animam ſuam nullo pretio habere dicitur.

No man is ſo fearleſs of death, as that man that is crucified to the world, and hath

mortified his inordinate desire of worldly things. If in the whole course of our life we give up our selves to the laws of Christ, if we exercise our selves to patience, and self-denial, to meekness and long-suffering, to temperance and chastity, to contempt of the world, and an heavenly mind, we shall find it a very easy task, when we shall be required to resign up our mortal life for the sake of our Lord Jesus. He that obeys Christ in all his holy and strictest precepts, will be in great readiness and preparation of mind to lay down his life for him. He that dares kill his lusts, and crucifie the old man, will not think much to resign this mortal life, that he may be clothed with immortality. Hoc est, *Nullius animus æquè liber est mortis pavore, ac hominis mundo crucifixi, nimiáque rerum mundanarum cupidine exuti. Si in toto vitæ curriculo nos toto animo legibus Christi dediderimus, si nos usu exercitaverimus ad patientiam & philantiæ abdicationem, ad lenitatem & clementiam, ad temperantiam & castitatem, ad rerum humanarum dispicientiam, acrémque cœlestium amorem, perfacilè ubiubi erit opus ob confessionem nominis Christi animam dabimus. Qui ad sanctam strictámque Christi legem sese in omnibus conformaverit, paratissimo animo illius ergò mortem oppetit. Qui incensas ipsius cupiditates restinguere & comprimere, vetérmque hominem cruci suffigere ausit, pro nihilo habebit vitam hanc mortalem exuere, quò immortalitate induatur.* Hæc vir eruditione suâ, atque vitæ sanctimoniâ longè notissimus, Reverendus Norvicensis Canonicus, Richardus *Kidder* cap. 10. opusculi doctrinam multijugam & eximiam pietatem spirantis de fortitudinis Christianæ fundamentis, quod mihi non ita pridem, commodavit Matrona genere ac nobilitate perillustris, Vicecomitissa Katherina *Ranelaugh*, antiquæ religionis exemplar.

Dumnodò consummem cursum meum. Gr. additur, *cum gaudio.* Id est, dum eâ ad metam mihi ab Agonotheta Christo præfixam, quâ decet, alacritate & contentione decurrero.

Et ministerium verbi, &c. Q. d. Defunctúsque fuero munere Apostolico mihi à Christo cœlitùs demandato ut testificer fastum ac felix nuntium de gratia Dei erga homines maxima, scilicet de vita æterna felicissima in cœlis ab optimo ac beneficentissimo

tissimo Deo per vivam hominum fidem in Jesum Christum absque operibus Legis obtinenda. Hinc Evangelium solet vocari gratia, ut Jo. 1. v. 17. Rom. 6. v. 14 & 15. Heb. 12. v. 15. 13. v. 9. 1 Pet. 5. v. 12.

25. *Et nunc ecce ego scio.* Per revelationem mihi factam à Spiritu-Sancto, cujus impulsu hinc Hierosolymam proficiscor.

Quia. Post hanc meam à vobis profectionem.

Amplius non videbitis faciem meam vos omnes. Id est, nemo vestrum me deinceps visurus est.

Per quos transivi. Hoc est, per quorum regiones & urbes peragravi.

Prædicans regnum Dei. Hoc est, beatissimum ac dignissimum statum, quo homines in Christum credentes ex gratia Dei in cœlis sunt potituri.

26. *Quapropter contestor vos hodiernâ die.* Id est, itaque modò vos omnes testes appello.

Quia mundus sum à sanguine omnium. Id est, me non esse causam exitii eis, qui ex vobis à fide & pietate Christiana defecerint. Vide quæ de hac locutione adnotavimus suprà cap. 18. v. 6.

27. *Non enim,* &c. Q. d. Ego enim omnia omninò vobis meis in concionibus explicui, quæ Deus præcepit speranda, credenda, & facienda hominibus per unum hominum Servatorem Jesum Christum ad vitam æternam perventuris.

Omne consilium Dei. Hoc universale dictum ad officium Apostolatûs est restringendum. Q. d. Omne Dei mandatum hominibus per Jesum revelatum de iis, quæ speratu, creditu, & factu sunt ad salutem necessaria. Sic Luc. 7. v. 30. *Consilium Dei* sumitur pro voluntate mandati seu præcepti, hoc est, pro mandato Pharisæis facto.

28. *Attendite vobis.* Q. d. Itaque primùm attendite animum ad vos ipsos quomodo vivatis, ne à vera fide & pietate declinetis, vel in his negligentes sitis. Vide 1 Tim. 4. v. 16. Hujus versiculi lectione ab Ecclesia Anglicana olim in munere suo Presbyteros fuisse constitutos ex veteri ejusdem Ecclesiæ Presbyterorum ordinatione adnotavit anonymus doctissimus in tractatu Theologico inscripto, **The Mischief of impositions.** p. 29. ed 2.

Et universo gregi. Q. d. Deinde diligentes estote & vigilantes circa curam animarum universi discipulorum cœtus, ut sic se gerant, uti illos decet. Per Metaphoram Ecclesia credentium vocatur grex, velut ovium, ut Luc. 12. v. 32. Jo. 10. v. 16. 1 Pet. 5. v. 2. ut hac appellatione moneamur fideles Christi debere congregationes sacras frequentare, & non esse segreges atque solivagos.

In quo vos Spiritus-sanctus posuit. Id est, per ministerium nostrum, seu per impositionem manuum nostrarum constituit atque præfecit. Vide suprà cap. 14. v. 23. & 2 Tim. 1. v. 6.

Episcopos. Aug. lib. 19. de civ. Dei cap. 19. *Græcum*, inquit, *est, atque inde ductum vocabulum, quòd is qui præficitur, iis quibus præficitur superintendit, curam eorum scilicet gerens;* ὁπὶ quippe super, σκοπὸς verò intentio *est: ergo* ἐπισκοπὴν, *si velimus Latinè*, superintendere *possumus dicere, ut intelligat se non esse Episcopum, qui præesse dilexerit, non prodesse.* Erasmus in Ecclesiaste suo lib. 1. pag. 47. *Officii nomen est, non dignitatis*, Episcopus, *& militare verbum est, hinc dictum, quòd qui se profitetur ducem exercitûs,* ἐπισκοπὴν, *id est*, despicere *debet, ne quid desit sui vexilli militibus. Unde & Homerus* Il. Ω. v. 729. *Hectorem,* ἐπίσκοπον *appellat.* Porrò qui superiùs v. 17. unius civitatis Ephesi *Majores natu seu Presbyteri* vocati sunt, iidem nunc vocantur Episcopi, quia idem Apostolorum tempore fuit Presbyter & Episcopus, & aliud ætatis, aliud erat nomen officii, ut Hieronymus in Commentario epistolæ ad Titum, & in epistolis ad Oceanum & ad Evagrium probat ex Act. 20. v. 17 & 28. Philip. 1. v. 1. 1 Tim. 4. v. 14. Tit. 1. v. 5. Heb. 13. v. 17. 1 Pet. 5. v. 1 & 2. 2 Jo. 1. & 3 Jo. 1. Meritò itaque doctissimus atque incomparabilis Juellus Sarisburiensis Episcopus in Ecclesiæ Anglicanæ Apologia adversus Hardingum part. 2. cap. 9. pag. 173. ubi Hardingus dixerat, hæreseos damnatos fuisse olim, qui Episcopi à Presbytero negassent distinctionem, in margine apponit, *Falsum*; *nam hac ratione S. Paulus, Hieronymus, alique viri boni damnantur hæreseos*, Neque absimiliter respondet Dunelmensis Episcopus Mortonus Apolog. Catholicæ part. 1. cap. 33 *Idem fortè cum Aerio S. Hieronymus, nec aliud Patres alii asseverarunt.* Denique eandem de æqualitate Episcoporum & Presbyterorum cum Hieronymo, sententiam fuisse Theodoreti, Ambrosii, Augustini, Chrysostomi etiam, Primasii & Sedulii, atque in Aerio scilicet damnatam, inde in Waldensibus, ac postremò in Wiclefo, non modò in libro *de Sacrorum hominum origine, & eorum continentia* cap. 5. dixit Michael de Medina, quo nomine miserè vapulat Jesuitæ Dionysio Petavio Dissertat. lib. 1. de Episcop. dignit. & Jurisdict. sed quoque palàm in Concilio Tridentino idem ille Medina asserit, neque dubitavit, ringentibus quamvis plurimis, publicè contendere hactenus hæreticè sensisse Hieronymum & Augustinum, *re* videlicet *non usquequaque clarâ.* Quod ut alios haud parùm commovebat, ita *Doctor ille opinionis suæ hoc ipso retinentior, pro virili eam sustentabat*, inquit scriptor historiæ Concilii Tridentini lib. 7. neque aliquid est quod contrà faciat apud Scotcan Pallavicinum in *Istoria del Concilio di Trento* adversus Paulum Ve-

Venetum edita Romæ Anno M. DC. LVII. Præterea nec unum inter ſuos Medinam iſtius eſſe ſententiæ, ſed & alios, qui Patres *illos in ejuſdem hæreſis invidiam vocarunt*, ſignificat ipſe quoque Petavius Theologicorum Dogmatum Tom. 3. *de Eccleſiaſtica hierarchia* lib. 2 cap. 8. & iſtorum aliquos adducit Mortonus, in Apologia loco, quo diximus, atque Riverus ſummæ Controverſ. Tract. 2. quæſt. 22. Ergo *quanquam ſecundum honorum vocabula, quæ jam Eccleſiæ uſus obtinuit*, ut ait Aug. in ep. ad Hieronymum, *epiſcopatus Preſbyterio major ſit*, tamen verè dixit Richardus Armachanus lib. 11. ad quæſt. Armenorum cap. 5. *Non invenitur in Scripturis Evangelicis aut Apoſtolicis aliqua differentia inter Epiſcopos & ſacerdotes ſimplices, qui Preſbyteri appellantur; unde conſequitur, quod in omnibus eſt una poteſtas & æqualis ex Ordine.* Caſſander Conſult. Art 14. *An*, inquit, *Epiſcopatus inter ordines Eccleſiaſticos ponendus ſit, inter Theologos & Canoniſtas non convenit; Convenit autem inter omnes in Apoſtolorum ætate inter Epiſcopos & Preſbyteros nullum diſcrimen fuiſſe, ſed poſtmodùm Schiſmatis evitandi cauſâ Epiſcopum Preſbyteris fuiſſe præpoſitum.* Verùm ut præclarè Muſculus in locis communibus de Miniſtris verbi pag. 245. *Profuerit ne, vel ſecùs conſilium hoc Eccleſiæ Chriſti, quo tales ſunt Epiſcopi magis conſuetudine, ut Hieronymi verbis utar, quàm Dominicæ diſpoſitionis veritate introducti, qui majores eſſent Preſbyteris, meliùs eſt poſterioribus ſeculis declaratum, quàm dum hæc conſuetudo primùm introduceretur*, &c. Vide quæ ibidem ſequuntur, & Greg. Naz. Orat. 28. Aug. in Pſ. 105. Witaker q. 1. de Pontif. Rom. cap. 3. & Epiſcopatûs hiſtoriam non ita pridem Anglicè conſcriptam ab indefeſſo verbi Dei præcone Reverendo Richardo Baxter, ſcientiâ ac pietate celeberrimo.

Regere. Gr. ποιμαίνειν, quæ vox ſignificat non ſimpliciter *Regere*, ſed *Paſcere*, & *Regere quomodo Paſtor gregem*, & ad omnes partes curandi gregem extenditur, quæ ſunt ducere, defendere, moderari, dirigere. *Æqualiter inter plures Eccleſiæ cura dividitur*, inquit Hieronymus. Ut enim ait idem, *Antiquam Diaboli inſtinctu ſtudia in religione fierent, & dicerentur in populis, Ego ſum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ, communi Preſbyterorum conſilio Eccleſiæ gubernabantur.* Iſti Paſtores ſpirituales à Deo præfecti paſcendo gregi non ſuo, ſed Domini ſui, & ſupremi Paſtoris, debent bono gregis conſulere, ejúſque ſalutem procurare, divinis oraculis & ſalutaribus monitis populum aſſiduè paſcendo, & Chriſtianæ fidei oppugnatores nervoſis diſputationibus refellendo. Vide Tit. 1. v. 9. 1 Pet. 5. v. 2, 3 & 4.

Eccleſiam. Id eſt, cœtum hominum ſalutarem Chriſti doctrinam profitentium. Ecce hîc, ut & Philip. 1. v. 1. Eccleſia

distinguitur à Presbyteris qui in eam habebant inspectionem, quæ inspectio vocatur ἐπισκοπὴ, *Episcopatus*, suprà cap. 1. v. 20 Non igitur ipsi Ecclesiæ inspectores, qui passim *Presbyteri*, quater verò ab officio *Episcopi*, nuncupantur in Novo Testamento, soli sunt Ecclesia, multò minùs aliquis Episcopus Episcoporum, *Dei*. Multitudo Christiana est Ecclesia seu grex Dei, 1 Cor. 1. v. 2. & cap. 10. v. 32. 11. v. 16. 2 Cor. 1. v. 1. 1 Pet. 5. v. 2 & 3. & Ecclesia Domini Jesu Christi Mat. 16. v. 18. Rom. 16. v. 16. Beza testatur se in quinque exemplaribus legisse, *Domini & Dei*. Alia exemplaria Græca non pauca simpliciter habent *Domini*. Per quem Dominum ex more loquendi Apostolico meritò intelligitur Jesus Nazarenus, *quia*, ut dicitur suprà cap. 2. v. 36. *& Dominum eum & Christum fecit Deus*. Syrus interpres habet hoc loco *Christi*. Quod apprimè cum sequentibus cohæret.

Quam acquisivit. Ut nimirùm sit ipsi peculiaris populus.

Sanguine suo. Fuso in ara crucis. Si verò voce *Dei* intelligitur Deus Pater, idem est ac si dicat, mortem cruentam Filii sui unigeniti Jesu Christi. Hinc in uno codice Græco legitur, teste Beza, τῷ ἴδιῳ & τοῦ υἱοῦ, *illo sanguine illius proprii*, nempe Filii sui. *Observanda est*, inquit Beza, *vis articuli, quo præstantia hujus sanguinis & antithesis illa declaratur, quæ copiosiùs expenditur Heb. 9. v. 12. Fuit enim hic sanguis verè sanctus, imò verè purificans ac sanctificus sanguis: ex illo manans nimirum qui sicuti verè purissimus homo, ita etiam verè & perfectissimâ ratione Deus est*. Magni fiat oportet, quod Deus tanti emit. Vide Ephes. 1. v. 7. 2. v. 13. Col. 1. v. 14 & 20. Heb. 9. v. 12 & seqq. 1 Pet. 1. v. 18 & 19. Apoc. 5. v. 9.

29. *Ego scio*. Spiritu-sancto id mihi revelante, ut suprà v. 25.

Quoniam intrabunt post discessionem meam. Gr. μετὰ τὴν ἄφιξίν μου, *post profectionem meam*. Ἄφιξις, inquit Ludovicus de Dieu, *in Glossario redditur*, adventus, profectio. *Apud Demosthenem*, ἄφιξιν εἰς τὸς πολεμίους ἐποιήσατο, profectionem in hostes instituit.

Lupi. Per metaphoram ita vocantur hæretici doctores, qui doctrinâ falsâ atque exitiali gregem Christi corrumpunt atque disperdunt. Vide explicationem nostram literalem Mat. 7. v. 15. Tales lupi Spirituales monendi sunt semel atque iterum ex præcepto Christi, Mat. 18. v. 16, 17 & 18. Id si non prosit abrumpenda cum eis familiarior consuetudo, 1 Cor. 5. v. 9. Tit. 3. v. 10. At falsos doctores male dictis exasperare, violentiâ carnali opprimere, autè vita tollere vetant Apostolorum instituta atque exempla. Vide 2 Tim. 2. v. 24 & 25.

Rapaces. Gr. βαρεῖς, *graves*. Id est, immanis atque intolerabilis sævitiæ.

Non

Non parcentes gregi. Hoc eſt, quos nulla gregis commiſeratio ſubibit. Perſeverat in ſimilitudine & allegoria cœpta v. 28. per *gregem* intelligens Eccleſiam ſeu cœtum credentium in Chriſtum, qui paſſim etiam *oves* vocantur.

30. *Et ex vobis ipſis.* Legitimè vocatis ad paſtorale officium. Notantur non tantùm illi ipſi Preſbyteri, ad quos Eccleſiæ Epheſinæ cura paſtoralis ſpectabat, quóſque Paulus, ut patet ex v. 28. tunc alloquebatur, ſed etiam eorum æquales atque ſucceſſores per alias quoque Eccleſias ex paſtoribus in lupos degeneraturi.

Exurgent. Id eſt, exorientur, & in publicum prodibunt.

Viri loquentes perverſa. Hoc eſt, docentes ea quæ à recto deflectunt, & ipſa Apoſtolorum verba in pravum ſenſum detorquentes.

Ut abducant diſcipulos poſt ſe. Q. d. Ut eos, qui fidem Chriſti erant amplexi, ab eadem abductos ad ſua figmenta ſectanda adducant.

31. *Propter quod.* Imminens videlicet Eccleſiæ ab exoriturîs falſis doctoribus naufragii in fide faciendi periculum.

Vigilate. Ne vobis dormientibus, ſeu Eccleſiæ curam negligentibus, grex Dei perniciosis dogmatibus corrumpatur atque perdatur.

Memoriâ retinentes quoniam per triennium. Circiter. *Nempe duobus iſtis annis,* inquit Ludovicus Capellus, *quibus in Schola Tyranni docuit, adjungendi ſunt primùm tres menſes quibus ante illud biennium docuit in Synagoga, Act.* 19. *v.* 8 *&* 10. *tum etiam tempus illud licèt breve, quo Epheſi docuit cum primò illuc venit cum Aquila, & Priſcilla Act.* 18. *v.* 19. *Anno enim uno integro venerat Epheſum Paulus cum Aquila & Priſcilla ante iſtud ſpatium trimeſtre, licèt anni illius partem maximam conſumſerit Paulus in peragratione illa ſua tertiâ, quâ Jeroſolymam aſcendit, inde Antiochiam, Phrygiam & Galatiam luſtravit, Act.* 18. *v.* 21, 22 *&* 23. *antequam ſecundò venit Epheſum, Act.* 19. *v.* 1.

Nocte & die non ceſſavi, &c. Q. d. Nunquam unam intermiſi diem, noctémve, quin ſemper lachrymabundus unumquemque veſtrum officii monuerim, ſortem miſeratus eorum qui in paſtorali cura erant negligentiores.

32. *Et nunc.* Ad vos amplius non rediturus.

Commendo vos Deo. Id eſt, Ego vos curæ ac tutelæ Dei commendo & committo.

Et verbo gratiæ ipſius. Hoc eſt, Evangelio, in quo gratia Dei ſalutaris hominibus annuntiatur.

Qui. Deus per iſtud verbum gratiæ, ſeu Evangelium.

Potens est. Id est, volens est. Neque enim Paulus hîc loquitur de otiosa Dei potentia, sed de actuosa, quæ inclinatione voluntatis propendet in beneficentiam.

Ædificare. Gr. ἐποικοδομῆσαι, *superstruere.* Manentibus videlicet Evangelicis institutis, quæ vobis à me tradita sunt, ad perficiendam consummandámque in vobis istam sanctimoniam summam, quam requirit vestra ad Christi fidem admiranda vocatio.

Et dare hereditatem. Id est, firmam possessionem æternæ vitæ & felicitatis in cœlis. *Quia apud Hebræos res solæ hereditate acceptæ erant inalienabiles, ideo omnis firma atque perpetua possessio ipsis* נַחֲלָה, hereditas *dicitur*, inquit Grotius ad Rom. 4. v. 13.

In Sanctificatis omnibus. Id est, inter omnes, qui per Dei gratiam à vulgo hominum profanorum ipsi Deo separati ipsíusque Spiritu Sanctificati, ut filii ejus obedientes in vitæ sanctitate permanserunt. Cœlestis beatitudo à sanctis hereditari dicitur, *quia*, inquit Grotius ad Ephes. 1. v. 18. *habebitur non fructuario sed mancupii jure, ídque dante Deo.* Vide infrà cap. 26. v. 18. Eph. 1. v. 18. & Col. 1. v. 12. *In* ponitur Passim pro *inter.*

33. *Argentum*, &c. Magnum animum olim ostendit Abrahamus nihil de præda bello parta sibi cupiens, Gen. 14. v. 22 & 23. Multò majorem Paulus gravis ac salutiferi laboris in prædicando Ephesiis Evangelio susceptí salarium ab illis non requirens, nec accipere volens, sibi sussve comitibus alendis. Sic testatur abstinentiam suam & 1 Cor. 9. v. 12, 15 & 18. 2 Cor. 11. v. 9. Philip. 4 v. 15. Similiter Moses protestatur se inter Israelitas vixisse absque specie avaritiæ Num. 16. v. 15. Et Samuel 1 Sam. 12. v. 3. Gracchus apud Gellium Provinciâ discessurus, *Ita*, inquit, *versatus sum in Provincia, ut nemo posset verè dicere, assem, aut eo plus in muneribus me accepisse.* Hieronymus Româ profecturus, *Dicant*, ait obtrectatoribus suis, *quid unquam in me aliter senserint quàm Christianam decebat? Pecuniam cujuspiam accepi? Munera vel parva vel magna non spreví? In manu mea æs alicujus insonuit?*

34. *Sicut ipsi scitis.* Gr. αὐτοὶ γινώσκετε, *ipsi autem nostis.*

Quòd ad ea quæ mihi opus erant. Ad victum & amictum.

Et his qui mecum sunt. Recensiti suprà v. 4.

Ministraverunt manus istæ. Id est, subministrarunt. Notabile est Abdolonymum pauperem illum apud Q. Curtium ipsissimo quo hîc Paulus modo locutum. *Hæ*, inquit, *manus sufficere desiderio meo.* De Paulo manuum suarum labore sibi susíque in Evangelii prædicatione sociis victum quærente, vide suprà cap 18. v. 3. 1 Cor. 4. v. 12. 1 Thess. 2. v. 9. 2 Thess. 3 v. 8. Quidni & alii inter Christianos Doctores, cùm possunt, gentium Doctoris instar, proprio labore victum sibi quærant?

35. *Omnia.* Id est, per omnia seu in omnibus, vel omninò. Si-

similis locutio extat 1 Cor. 9. v. 25. 10. v. 33. Ephes. 4. v. 15.

Ostendi vobis. In me ipso ut exemplari. Vide 2 Thess. 3. v. 9.

Quoniam sic laborantes. Nocte ac die ad lassitudinem. Vide 1 Cor. 4. v. 12. 1 Thess. 2. v. 9.

Oportet suscipere infirmos. Id est, Scrupulosiores, qui firmam & validam mentem necdum habent, seu id quod solidum est in fide necdum apprehenderunt, quasi dexterâ sustentare ne ruant. Hujusmodi enim in fide ac pietate novitii & teneri homines, magis sunt nescio quomodo suspiciosi, faciléque credunt omnia ab eis, de quibus malè suspicantur, corporalium commodorum causâ fieri, adeóque & ipsum Evangelium doceri.

Ac meminisse verbi Domini Jesu. Id est, apophthegmatis Domini Jesu.

Quoniam ipse dixit. Hoc est, dicere solitus erat, ut traditione accepi ab iis qui ab ipso Domino audierunt. Vel ipse dixisse dicitur, quod etiamsi ipsis similis verbis non expresserit, tamen ipsius placitum esse colligitur ex ejus dictis quæ ab Evangelistis recensentur.

Beatius est magis dare quàm accipere. Primò quia dare est signum abundantiæ, at accipere egestatis, ut scripsit Aug. Deinde quia dare est honestius & indicium virtutis, nempe beneficentiæ seu liberalitatis, at accipere non est virtutis, sed vel necessitatis, vel etiam cupiditatis. Quod & Aristoteles notavit, dum scripsit magis virtutis proprium esse, beneficio afficere, quàm affici, Ethic. Nicom. lib. 4. cap. 1. Denique potissimùm ideo, quia is qui dat egentibus beneficia liberaliter, propterea quòd dederit, habebit à Deo compensationem eximiam, Luc. 12. v. 33. 16. v. 9. 18. v. 22. 1 Tim. 6. v. 19. Qui verò accipit beneficia, nullam pro ipsa acceptione mercedem obtinebit. Sed tamen non est inhonestum, nec inconveniens, si quis pro eo quod labore suo honesto meruit, accipiat præmium ut sibi debitum, modò ista acceptio fiat absque scandalo. Vide Mat. 10. v. 10, & explicationem nostram literalem ibidem. Luc. 10. v. 7. 1 Cor. 9. v. 14. 1 Tim. 5. v. 17 & 18.

36. *Positis genibus oravit.* Orantem ingeniculare signum est magnæ coram Deo submissionis & adversus eum reverentiæ. Genibus pronis supplicum preces enixæ peragebantur à Salomone 1 Reg. 8. v. 52. 2 Paral. 6. v. 13. à Daniele, Dan. 6. v. 10. à Jesu Christo, Luc. 22. v. 41. à Stephano suprà cap. 7. v. 60. à Petro suprà cap. 9. v. 4. à Paulo hîc, infrà cap. 21. v. 5. & Ephes. 3. v. 14. Judæis tamen stando orare receptissimum fuisse patet ex eo quod apud Nehemiam cap. 9. v. 5. populus ad preces jubetur consurgere. Et Gen. 18. v. 22. ubi in Hebræo est, *Abraham stabat coram Deo*, Chaldæus vertit, *Orabat.* Neque aliter verbum *standi* usurpatur Jerem. 15. v. 1. 18. v. 20. & Job 30. v. 20. Ita Mar. 11. v. 25. *Quum stantes orabitis.* Et Luc.

Luc. 18. v. 11. *Pharisæus stans orabat.* Vide explicationem nostram literalem Mat. 6. v. 5.

Cum omnibus illis. Presbyteris scilicet seu Episcopis Ecclesiæ Ephesinæ, quos salutaribus monitis instruendos Epheso Miletum ad se accersierat suprà v. 21. Inter cetera autem, procul dubio in hac ad Deum precatione opem divinam Paulus implorabat, ut illos Ecclesiæ Ephesinæ Presbyteros in iis, quæ ipsos monuit, præstandis adjuvaret.

37. *Magnus autem fletus factus est omnium.* Ut lachrymis desiderii futuri dolorem indicarent.

Et procumbentes super collum Pauli, osculabantur eum. In signum suæ erga ipsum dilectionis.

38. *Dolentes maximè in verbo,* &c. Q. d. Affecti omninò vix consolabili dolore ob sermonem, quo ipsis Paulus sui posthac unquam videndi spem præcidit.

Et deducebant eum ad navem. Ut eum viderent & alloquerentur, quamdiu possent.

CAP.

CAP. XXI.

Cùm autem factum esset ut navigaremus. Ego Lucas & Paulus, ceteríque Pauli itineris comites navi provehemur.

Abstracti ab eis. Vel separati simpliciter, ut Luc. 22. v. 41. vel quasi vi ab amicis Ecclesiæ Ephesinæ Presbyteris avulsi.

Recto cursu venimus Coum. Coos sive Coos & per Synæresin, ut Eustathio placet ad Il. B'. v. 677 Κῶς, *Cos*, est insula in mari Ægæo circa Cariæ oram, autore Pomponio Mela lib. 2. cap. 7. *In Ionia Chios & Samos, in Caria Cos.* Hujus incolæ Κῷοι, olim Meropes vocabantur, & ipsa insula *Meropis*, autore Stephano in Μέροψ. Eam nobilitavit Apelles ille, omnium pictorum celeberrimus, unde ab Ovidio de arte amandi lib. 3. Coa vocatur.

Si Venerem Cous nunquam pinxisset Apelles,
Illa sub æquoreis mersa lateret aquis.

Addidit nobilitati splendorum divinus ille senex (sic Hippocratem vocant medicorum filii) qui medicinam primus revocavit in lucem. In hunc extat rarum ob antistrophen distichon quod ex lib. 1. Florilegii variorum epigrammatum cap. 39. libet hìc apponere:

Ἱπποκράτης φάος ἦν μερόπων, καὶ σώετο λαῶν
Ἔθνεα, καὶ νεκύων ἦν σπάνις εἰν ἀΐδῃ.

Hippocratis lux erat hominum, & servabat populorum
Gentes, & mortuorum erat raritas in inferis.

Antistrophe verò eisdem verbis sic se habet:

Εἰν ἀΐδῃ σπάνις ἦν νεκύων, καὶ ἔθνεα λαῶν
Σώετο, καὶ μερόπων ἦν φάος Ἱπποκράτης.

In inferis raritas erat mortuorum, & gentes populorum
Servabat, & hominum erat lux Hippocrates.

Huic

Huic archiatro Græcia pares Herculis honoribus honores decrevit, autore Plinio lib. 7. cap. 37. Fuit in hac insula, Æsculapii templum celebre, necnon Junonis, de cujus insignibus librum scripsit Theodorus, ut prodit Vitruvius lib. 7. Insulares erant diserti, unde adagium, *Chius Coum loqui non sinit*, dici solitum de iis, qui obstrepentes multiloquio alios impediunt. Chii enim loquaces habebantur. Celebrantur ex hac insula vestes tenuissimæ, quæ ex bombyce fieri solebant ad fœminarum ornamentum sed non honestum, & substantivè *Coa* in plurali numero dicebantur. Ovid. de arte amandi:

Sive erit in Tyriis, Tyrios laudabis amictus,
Sive erit in Coïs, Coa decere puta.

Horatius Satyrarum lib. 1. Sat. 2. v. 101.

Altera nil obstat, Coïs tibi penè videre est,
Ut nudam: ne crure malo, ne sit pede turpi,

Harum vestium inventionem Pamphilæ cuidam Latoi filiæ ex eadem insula tribuit Aristoteles de historia animalium lib. 6. Plinius lib. 11. cap. 22. Ratio excogitandi fuit, ut denudaret fœminas vestis, ad quod videtur alludere Tibullus his versibus:

Illa gerat vestes tenues, quas fœmina Coa
Texuit, auratas dispositi que vias.

Quin prodit Plinius libro citato cap. 23. *Nec puduit has vestes usurpare etiam viros, levitatem propter æstivam. In tantum à luxu gerenda discessere mores, ut onerì sint etiam vestes.* Nunc Cos insula *Lango* dicitur.

Et sequenti die Rhodum. Insulam illustrissimam, quam inter Icariam & Lyciam locat Ptolemæus lib. 5. cap. 2. Fuit insignis civitatibus, Lindo, Camiro, Ialyso, & Rhodo cognomine, autore Plinio lib. 5. cap. 31. in qua nunquam dies ita nubilus est, ut non aliquâ horâ sol conspiciatur, teste eodem Plinio lib. 2. cap. 62. unde Poetæ *Claram* vocarunt. Horatius Carm. lib. 1. Od. 7.

Laudabunt alii claram Rhodon, aut Mitylenen,
Aut Ephesum, bimarisque Corinthi
Mœnia.

Hora-

[illegible]rium æmulatur *Lucanus* Pharsalicorum lib. 8.

——— *Gnidon inde fugit, clarámque relinquit*
Sole Rhodon.

[illegible] olim Rhodos insula re nauticâ potens, ut claret ex Stra[illegible] lib. 14. Ejus incolæ in Opicis Parthenopen, id est, Nea[illegible], in Hispania Rhodam condiderunt. Hispanos nauticos [illegible] sparto funes plectere & storeas ad varios vitæ usus docuere; [illegible] nummos ex ære percussos in Hispaniam invexere, quo[illegible] testes sunt Strabo libro citato, Mariana de rebus Hispaniæ [illegible] 1. cap. 14. Condecorabant Rhodon centum colossi, è qui[illegible] erat unus, quem inter septem orbis miracula numerabant; colossi verò fuere moles excogitatæ statuarum, turribus pares, ideo Rhodii, ut multis videtur, Colossenses dicti fuere, ad quos epistola Pauli, quæ ad Colossenses scribitur. Variâ fortunâ usa est Rhodos, posteà paruit Romanis; Sarraceni eam occuparunt anno Domini sexcentesimo decimo quinto. Equites D. Joannis Hierosolymitani eam recuperarunt anno millesimo trecentesimo octavo, ac tenuerunt usque ad annum millesimum sexcentesimum secundum, quo Solymanus secundus eis pulsis eam occupavit; ejus loco equitibus D. Joannis Melita ab Imp. Carolo quinto concessa fuit, à qua Melitenses equites vulgò vocitantur.

Et inde Pataram. Urbem Lyciæ, ex Hecatæi Asia, quæ etiamnum servat nomen, autore Nigro Geograph. Asiæ, Comm. 1. in Lyciæ situ, ac ut ipse tradit, non longè à mari, cui portus est *Phœnix* nomine, circiter undecim millia passuum ab ea, parùm tutus propter rupes ex monte Tauro prominentes. Priùs dicta fuit Sataros, referente Plinio lib. 5. cap. 27. posteà à Ptolemæo Philadelpho, cùm eam auxisset, in uxoris gratiam Arsinoe Lyciæ, *Sed invaluit nomen quod ab initio habebat*, inquit Strabo lib. 14. Ab hac urbe Apollo Patareus nomen accepit, qui sex mensibus hyemis apud eam responsa dabat, & sex mensibus æstivis apud Delum, ut refert Servius ad Æneidos lib. 4. v. 143. Ideo Horatius lib. 3. Carm. Ode 4. cantat.

——— *Qui Lyciæ tenet*
Dumeta, natalémque sylvam
Delius & Patareus Apollo.

Hujus delubrum Pataram urbem nobilem faciebat, quondam opibus, & Oraculi fide, Delphico simile, teste Mela lib. 1. cap. 15. Hinc fortean Hispani res fictas vocant *Pataratas*; Oracula enim Græcorum res fictæ erant.

2. *Et*

2. *Et cùm invenissemus navem transfretantem.* Id est, nacti navem quæ transfretatura erat.

In Phœnicen. Seu Phæniciam regionem Asiæ notissimam, non longè à Rhodo distantem, apud Ethnicos sub Syria, apud Veteris Testamenti scriptores sub terra Canaan comprehensam. Hinc autore Stephano vocabatur olim *Chna*, quod nihil aliud est nisi truncum ex Canaan nomen. Id etiam confirmatur ex, B. Augustino in expositione epistolæ Pauli ad Romanos: *Unde interrogati rustici nostri, Qui sunt, Punicè respondentes, Canaai, corruptâ scilicet, sicut in talibus solet, unâ literâ, quid aliud respondent quàm Chananæi?* Est etiam consentiens inter eruditos opinio, Pœnos, id est, Africanos, seu Carthaginenses fuisse Phœnicum colonos, de quorum etymo disceptant autores. Aristoteles lib. de Mirabilibus id deducit ἀπὸ τοῦ φοινίξαι, quod Perrhæborum linguâ significabat *occidere*, scilicet quòd cùm primi maria navigassent, quocunque appellerent, omnes trucidarent. *Sed ego*, inquit vir absolutè doctus Thomas de Pinedo, *sententiæ tanti viri subscribere non possum, clamante ratione. Namque si commercium quærebant, coloniis etiam deductis, haud est simile veri, trucidasse incolas regionum, ad quas accedebant. Ac etsi aliquando piratæ fuerint, ut asserit Thucyd. lib.* 1. *Nihilominùs non est vero simile ab Perrhæbis id vocamen accepisse. Alii inter quos Callisthenes, cujus sententiæ lubens accedo, apud eundem Aristotelem libro citato eorum nomen deducunt* ἀπὸ τῶν φοινίκων, *id est*, à palmis, *quod oppugnat Aristoteles, sed præter rationem; qua in re ridendos se præbent Fullerus & Scaliger, viri alioquin eruditissimi, cùm hic à* פנחס, *ille à* פנק, *Phæniciæ nomen trahunt. Stephanus à Phœnice Agenoris, vel Neptuni ex Libye filio id derivat. Dionysius Periegeta autor est, Phœnices originem habere ab Erythræi maris accolis, primos navigandi artem, & astronomiam invenisse, atque mercaturam exercuisse. Sic enim ille v.* 905. *operis nunquam satis laudati, cui titulum fecit* περιήγησις,

Ὁι δ' ἄλος ἐγγὺς ἐόντες, ἐπωνυμίην Φοίνικες
Τῶν δ' ἀνδρῶν γενεῆς ὁι Ἐρυθρᾶιοι γεγάασιν,
Ὁι Πρῶτοι νήεσσιν ἐπειρήσαντο θαλάσσης,
Πρῶτοι δ' ἐμπορίης ἁλιδινέος ἐμνήσαντο,
Καὶ Βαθὺν οὐρανίων ἄστρων πόρον ἐφράσσαντο.

Phænicum regio est: hi Rubro gurgite quondam
Mutavere locum, primi que per æquora vecti
Lustravere salum, primi docuere carinis
Ferre cavis orbis commercia, sidera primi
Servavere poli.

In navigando verò Cynoſuram obſervabant, id eſt, minorem Urſam, Græci Helicen, id eſt Urſam majorem. Utrumque graphicè expreſſit Salmonenſis vates Faſt. lib. 3. v. 107.

Eſſe duas Arctos, quarum Cynoſura petatur
Sidoniis, Helicen Graia carina notet.

Phœnicibus quoque literarum inventionem tribuunt. Cadmus enim primus ex Phœnicia in Græciam illas advexiſſe traditur, ut teſtatur Diodorus biculus Bibliothecæ hiſtoricæ lib. 3. *E noſtris Plinius de Phœnices, & Phœnicum inventis ita loquitur*, lib. 5. cap. 12. Qui ſubtiliùs dividunt, circumſundi Syriâ Phœnicen volunt, & eſſe eam maritimam Syriæ, cujus pars ſit Idumæa & Judæa, deinde Phœnice, deinde Syria. Id quod præjacet mare totum, Phœnicium appellatur: Ipſa gens Phœnicium in gloria magna literarum inventionis, & ſyderum, navaliúmque ac bellicarum artium. *Hinc Lucanus lib.* 3.

Phœnices primi, famæ ſi creditur, auſi
Manſuram rudibus vocem ſignare figuris.

Fuiſſe autem Phœnicias literas eas, quibus antiquitùs Cananæi, & utuntur Hebræi uſi ſunt, & adhuc hodie utuntur Samaritani, quicquid Rabbinorum παῖδες dicant, pro certo habeo. Hactenus Thomas de Pinedo. Vide quæ adnotavimus ſuprà cap. 11. v. 19.

Aſcendentes navigavimus. Id eſt, conſcensâ illa navi provecti ſumus.

3. *Cùm apparuiſſemus autem Cypro.* Hyppallage, id eſt, quum nobis inſula Cyprus apparuiſſet, ſive, in conſpectu eſſe cœpiſſet. De hac inſula, quæ vini & olei feracitate, omniúmque rerum abundantiâ nulli cedebat inſulæ, diximus ſuprà ad cap. 4. v. 36.

Relinquentes eam ad ſiniſtram. Id eſt, relictâ celebri hac inſula Cypro ad manum ſiniſtram.

Navigavimus in Syriam. Quam veteres dividebant in Phœnicen, Paleſtinen, & Cœlen, autore anonymo quem Gothofredus vulgavit, cap. 17.

Et venimus Tyrum. Phœnices metropolim. Vide quæ de Tyro & Sidone diximus ad Mat. 11. v. 20.

Ibi enim navis expoſitura erat onus. Id eſt, in hac urbe mercaturâ & opibus celebri navis exoneranda erat mercibus, quibus onuſta erat.

4. *Inventis autem diſcipulis.* Id eſt, Chriſtianis quibuſdam Tyri habitantibus. Vide dicta ſuprà cap. 11. v. 19, & 26. Beza conjicit *diſcipulos* vocari credentes in Chriſtum, ubi erant diſperſi,

dispersi, nec dum habebant constitutas ecclesias; *fratres* autem, ubi Ecclesiæ erant constitutæ. Sed infirmum esse hoc discrimen patet ex cap. 9. suprà v. 26. de Christianis Jerosolymitanis, & cap. 11. v. 29. de Antiochenis, & cap. 14. v. 28. & rursus cap. 15. v. 1, 10, & 36. de Philippensibus, cap. 16. v. 40.

Mansimus ibi diebus septem. Gaudio jucundissimæ conversationis cum Tyriis Christianis fruentes.

Qui Paulo dicebant per Spiritum-sanctum, &c. Q. d. cùm revelante Spiritu-sancto cognovissent quanta Paulum pericula manerent Hierosolymæ, ignari quid idem Spiritus-sanctus ipsi Paulo præcepisset, non ex dictamine Spiritus-sancti, sed ex benevolentia erga Paulum ab Hierosolyma adeunda eum dehortabantur.

5. *Et expletis diebus.* Septem superiori versu memoratis Tyri.

Profecti. Tyro.

Ibamus. Hoc est, Hierosolymam versus iter nostrum continuabamus.

Deducentibus nos omnibus. Tyriis Christianis Pauli reverentissimis.

Positis genibus. Cùm hoc contigerit eo tempore, quod à Paschate ad Pentecosten interlabitur, patet post Apostolorum demùm tempora desiisse primitivam Ecclesiam *adorare de geniculis*, ut Tertullianus & Hieronymus loquuntur, per omnem quinquegesimam quæ Pascha inter & Pentecosten intercedit, utì doctissimus Christophorus Justellus doctissimi Henrici parens ad Can. xx. Concilii Nicæni adnotavit.

In littore oravimus. Ad oram maris loco solitario, ab urbe remoto. Ex occasione quidem itineris à Paulo susceptì, sed simul congruenter morì Judæorum, quibus usitatas fuisse in jejunio littorales orationes apparet ex Tertulliano de jejuniis, & lib. 1. adversus Nationes.

6. *Et cùm valefeciſſemus invicem.* Ex more alii alios complexi osculo charitatis. Vide dicta suprà cap. 20. v. 1.

Ascendimus navem. Nos qui cum Paulo eramus ulteriùs profecturi.

Illi autem. Christiani Tyrii.

Redierunt in sua. Id est, ad suam quisque domum.

7. *Nos verò navigatione explicitâ.* Id est, ulteriùs navigatione provecti.

A Tyro descendimus Ptolemaidam. Urbem Phœniciæ, quæ quondam dicebatur *Ace*, seu Latino ore *Aca*. Celebratur à Plinio, lib. 5. cap. 19. his verbis: *Colonia Claudii Cæsaris Ptolemais, quæ quondam Ace.* In veteri manuscripto esse scriptum *Acon* annotat Dalecampius, quod minùs deflectit à primigenio ejusdem urbis nomine עכו *Acho*, seu *Accho*, quod extat Jud. 1. v. 31.

in

in textu Hebræo, & hîc in Syro interprete. A Josepho appellatur Galilææ civitas, *lib.* 2. de bello Judaico cap. 7. Illa autem Galilææ pars ad Phœniciam pertinebat. Phœnicia verò & Palestina sub Syria comprehendebantur, unde scriptores earum oppida tum huic, cùm illi adscribebant. Fuit urbs antiqua & magna, quâ utebantur Persæ pro ὁρμητηρίῳ adversus Ægyptum autore Strabone lib. 16. Inter hanc & Tyrum erat littus arenæ tumulis obsitum quì vitrariam arenam fetebant, quorum meminere locis suprà citatis Strabo & Josephus, cui Judaicarum antiquitatum lib. 5. cap. 1. *Arce* vocatur & *Aclipus*, quæ ut vocabulorum monstra penitùs explodenda esse contendit Fullerus Miscell. Sacr. lib. 4. cap. 15. Sed frustrà; *Arce* enim etiam dicta fuit hæc urbs, autore Justo Hebræo in עכו. Eadem itaque erat urbs, *Ace* & *Arce*, ut דרמשק & דרמסק fuit eadem urbs, quæ Latinis dicitur Damascus. *Arca* dicitur Ptolemæo Geographiæ lib. 5. cap. 15. atque inter mediterraneas Phœniciæ urbes locatur. *Arca Cæsarea* & *Arcena* appellatur ab Ælio Lampridio in Alexandro Severo, & in hac civitate asserit genitum fuisse hunc Imperatorem, cujus natalis die primâ, toto die in eadem urbe stellam primæ magnitudinis visam fuisse tradit. Inibi natum fuisse Alexandrum Imperatorem Mamææ filium, autor est Eusebius Cæsariensis priore Chronici libro, ubi hanc urbem vocat *Arcas* plurali numero. *Aclipus* verò deducitur ex Hebræo כפיתא, *Kepitha*, quæ erat pars urbis עכו, *Acho*, ut apparet ex Talmud Jerosolymitano tractatu שמעות, cap. 6. ubi quæ sequuntur verba leguntur, רבי הוה בעכו תמא חד בר נש סלק מן כפיתא *Rabbi*, (id est, Jehuda *Hanasi*, seu princeps magni Synedrii, quem per excellentiam vocant *Rabbi* sine addito) *erat in Acho, ibi que vidit quendam hominem ascendentem ex Kepitha.* Hinc formavit Josephus nomen *Aclipus*, à quo etiam deflectitur *Ecdippa* Plinio lib. 5. cap. 19. Cosmographo Geographiæ lib. 5. cap. 15. Memorantur quidem Plinio *Ace* & *Ecdippa* tanquam diversa oppida, & Ptolemæo *Ecdippa*, & *Ptolemais* & *Arca* tanquam diversæ Phœniciæ urbes. Sed his in rebus major fides adhibenda est Josepho, cui *Arce*, *Aclipus* & *Ptolemais* eadem est urbs in portione tribûs Asher vel Asser. De eadem urbe Bochartus, *Acren*, inquit, *vocant recentiores, quod notissimum. Itaque in Benjamino legendum*: E Tyro diei iter לאקרי הוא עכו, ad Acre quæ est Accho, *non* לאקדי *ut vulgò.* 3. Mac. capite ultimo sub calcem vocatur *Ptolemais Rhodophorus* à natura loci.

Et salutatis fratribus. Id est, Christianis Ptolemaitibus.

Maximus die unâ apud eos. Fraterni colloquii jucunditati aliquantisper indulgentes.

8. *Aliâ autem die.* Id est, postridiè verò.

Profecti. Ptolemaide. Gr. additur hîc ὁι περὶ τὸν Παῦλον, *qui circa Paulum erant.* Id est, Paulus, & qui cum eo erant comites itineris ejus. Similis est loquutio suprà cap. 13. v. 13. Vide ibidem dicta.

Venimus. Aliquot pòst diebus.

Cæsaream. Palæstinæ, de qua suprà cap. 8. v. 40.

Et intrantes domum Philippi. Qui illuc concesserat jampridem postquam Æthiopem Eunuchum baptizaverat suprà cap. 8. v. 40.

Evangelistæ. Id est, Præconis Evangelii. *Evangelistæ* vocantur in Novo Testamento illi, qui nulli certæ Ecclesiæ præfecti, erant Apostolorum adjutores in disseminando Christi Evangelio. Sed sequentibus temporibus usus invaluit, ut illi soli vocarentur *Evangelistæ*, qui Christi vitam doctrinámque ab ipso traditam literis memoriæque mandarunt. Ex his verò quatuor rerum à Christo gestarum Historicis peculiari modo *Evangelista* cognominatur Joannes, ut à Joanne Baptista distinguatur.

Qui. Philippus Evangelii præco. Vide dicta suprà cap. 8. v. 5.

Erat unus de septem. Oeconomis bonorum Ecclesiasticorum Hierosolymæ electis suprà cap. 6. v. 5. Vide ibidem dicta.

Mansimus apud eum. Id est, amicè in hospitium recepti sumus.

9. *Huic autem.* Insigni Evangelii præconi.

Erant. Non in monasterio aliquo inclusæ, sed domi suæ unà secum commanentes.

Quatuor filiæ. Procul dubio in & ex legitimo matrimonio procreatæ.

Virgines. Quæ tunc quidem nondum nupserant, sed posteà eas nupsisse scribit vir ad miraculum doctus, Clemens Presbyter Alexandrinus.

Prophetantes. Id est, divino instinctu futura prædicentes, ut Debora Prophêtis uxor Lapidothi. Judic. 4. v. 4. & Holda, seu Hulda uxor Sellum seu Shallumi 2 Reg. 22. v. 14. & Anna Prophetissa Luc. 2. v. 26.

10. *Et cùm moraremur per dies aliquot.* Cæsareæ Palæstinæ in ædibus Philippi Diaconi ab itinere præterito marino interquiescentes.

Supervenit. Gr. κατῆλθε, *devenit*, seu *discendit.*

Quidam vir à Judæa. Id est, a provincia Tribui Judæ ascripta.

Propheta nomine Agabus. De hoc suprà cap. 11. v. 28.

11. *Alligans sibi pedes & manus.* In more fuit Prophetis, ut ea quæ verbis prædicebant, percipienda auribus, etiam rebus conspicuis ob oculos ponerent, ut videre est Es. 20. v. 2 & 3. Jer.

Jer. 13. v. 1 & 4. 27. v. 2. Ezech. cap. 4, 5 & 12.

Hæc dicit Spiritus-ſanctus. Id eſt, Spiritus-ſanctus mihi cæliùs inſpiravit prædicenda.

Virum. Id eſt, Paulum. Hæc Agabi propheria impleta eſt eventu, infrà v. 33.

12. *Rogabamus nos.* Lucas, Ariſtarchus, Trophimus, & ceteri Pauli itinerum comites.

Et qui loci illius erant. Id eſt, Chriſtiani qui Cæſareæ Palæſtinæ degebant.

Ne aſcenderet. Paulus nimirùm.

Jeroſolymam. Crudelem Prophetarum interſectricem & lapidibus obruentem eos qui ad ſe miſſi ſunt, Mat. 23. v. 37.

13. *Tunc reſpondit Paulus & dixit.* Intempeſtivum fratrum erga ſe affectum coerciturus.

Quid facitis flentes & affligentes cor meum? Q. d. Heu! cor meum finditur, dum vos veſtris ejulatibus me ab Hieroſolyma petenda abſterrere fruſtrà tentantes video.

Ego enim non ſolùm alligari ſed & mori. Id eſt, non acerbitatem duntaxat vinculorum, ſed & atrocis mortis perferre.

In Jeruſalem. Id eſt, Hieroſolymæ, ubi Dominus Jeſus meæ ſalutis causâ infamem crucis mortem ſubiit.

Paratus ſum propter nomen Domini Jeſu. Id eſt, ut morte meâ ipſius Domini Jeſu gloria quàm maximè inclareſcat. Nomen alicujus pro aliquo poni uſitatum eſt, utì jam aliàs obſervavimus.

14. *Et cùm ei ſuadere non poſſemus.* Ne videlicet Hieroſolymam ad pericula ſubeunda proficiſceretur.

Quievimus. Hanc nimirum profectionem ei ulteriùs diſſuadere.

Dicentes, Domini voluntas fiat. Id eſt, ſubjicientes affectum noſtrum divinæ voluntati, optantes ut, non quod nobis, ſed quod Deo melius viſum fuerit, id fiat. Sic divinè aiebat Epictetus, ἀεὶ μᾶλλον θέλω, &c. *Semper magis volo quod Deus vult, quàm quod ego. Adjungar & adhærebo illi, velut miniſter & aſſecla: cum illo appeto, cum illo deſidero, & ſimpliciter atque uno verbo, quod Deus vult, volo.* Hîc animorum per ancipitia fluctuantium ſtatio tutiſſima.

15. *Poſt dies autem iſtos.* Quos Cæſareæ Palæſtinæ tranſegimus.

Præparati. Rebus ad iter faciendum accommodatis.

Aſcendebamus in Jeruſalem. Hoc eſt, Hieroſolymam profecti ſumus. Quidam exiſtimant verbo aſcendendi in itineribus Hieroſolymam verſus notari, ipſam Hieroſolymam eſſe aliis locis editiorem. Sed ſolet hoc verbum uſurpari etiam de ſimplici profectione in aliquem locum, ut videre eſt Gen. 3. v. 1. 45. v. 9. 46. v. 29 & 31.

16. *Venerunt autem & quidam ex discipulis.* Id est, Christianis. *A Cæsarea.* Palæstinæ, ubi apud Philippum Diaconum diversati sumus.

Nobiscum. Ituris cum Paulo Hierosolymam.

Adducentes secum. Id est, comitati eo, qui fortè Jerosolymis devenerat Cæsaream, indéque Jerosolymas domum reveniebat.

Apud quem hospitaremur. Id est, ut ego Lucas cum ceteris Pauli comitibus, ipsóque Paulo apud eum diversaremur Jerosolymis per instans festum Pentecostes.

Mnasonem quendam Cyprium. Id est, è Cypro insula oriundum.

Antiquum Discipulum. Id est, qui jampridem fidem Christi erat amplexus. Hinc conjicere est non ab omnibus Christianis Hierosolymæ degentibus venditas fuisse domos suprà cap. 4. v. 32 & 34. hic enim Mnason antiquus Christi discipulus, qui forsan ipsum Jesum Christum docentem audiverat, videtur Hierosolymis habuisse domum propriam, in qua etiam multos posset simul in hospitium recipere.

17. *Libenter exceperunt nos fratres.* Id est, Christiani Hierosolymis degentes amicissimè consalutarunt nos, nostrúmque adventum gratulati sunt.

18. *Nobiscum.* Id est, cum Luca & aliis itineris comitibus.

Ad Jacobum. Alphæi filium, de quo suprà cap. 12. v. 17. & cap. 15. v. 13. Vide & Gal. 1. v. 9. 2. v. 19, & 12. Nulla hîc fit mentio Petri, nec aliorum Apostolorum; unde apparet tunc Jerosolymis in alias oras prædicandi Evangelii causâ digressos fuisse.

Omnésque collecti sunt Seniores. Q. d. Audito Pauli adventu, ejus salutandi causâ ad Jacobum congregati sunt Ecclesiæ Hierosolymitanæ Seniores seu Presbyteri, de quibus vide dicta suprà cap. 14. v. 23. & cap. 15. v. 6.

19. *Quos cùm salutasset.* Fraterno complexu.

Narrabat per singula. Id est, enarravit ordine singula, seu sigillatim omnia.

Quæ Deus fecisset in Gentibus. Id est, inter Gentes, quæ erant à populo Israelitico alienæ.

Per ministerium ipsius. Convertens illas ad Christi fidem.

20. *At illi cùm audissent.* Quanta scilicet Deus per ministerium Pauli inter Gentes extraneas operatus esset.

Magnificabant Deum. Id est, ipsi Deo istorum bonorum in propagando Evangelio, & hominibus ad salutem adducendis autori gratias egerunt, summámque laudem tribuerunt.

Dixeruntque ei. Nempe Paulo.

Vides frater quot millia, &c. Q. d. Non te latet, frater quàm ingens sit multitudo Judæorum, qui etsi Christianismum amplexi, tamen omnes tam ardenter ceremoniarum Legalium studiosi

ſtudioſi ſunt, ut ſiquid contra eas fiat, id ægerrimè ferant. De tali zelo ſeu ardenti ſtudio vide Rom. 10. v. 2. Gal. 1. v. 14.

21. *Audierunt*, &c. Q. d. Fama autem ad hos Moſaicorum rituum zelotas pervenit à te doceri illos Judæos, qui inter gentes à populo Judaico diverſas ſparſi habitant, ipſis Moſaica inſtituta prorſus eſſe abjicienda, neque circumcidendos ipſis filios, aliòſve ritus in Lege præſcriptos eſſe obſervandos. Sic Paulum calumniabantur quòd à Chriſto edoctus doceret ceremonias Legis, Meſſiâ revelato, jam non eſſe ad ſalutem neceſſarias, quamvis in rebus ejuſmodi tunc jam non neceſſariis, ſed à Deo quondam præceptis, cenſeret aliquantiſper indulgendum iis, qui nondum plenè illuminati eaſdem adhuc obſervandas putarent, & ipſe Chriſtianâ charitate in talibus ſeſe eis accommodaret, ut videre eſt ſuprà cap. 16. v. 3. 1 Cor. 9. v. 20. Vide dicta ſuprà cap. 15. v. 2 & 8.

Neque ſecundum conſuetudinem ingredi. Gr. Περιπατεῖν, *ambulare.* Hoc eſt, neque aliis ritibus in Lege præceptis ſeſe accommodare.

22. *Quid ergo eſt?* Subaudi, faciendum ut reconcilietur tibi voluntas tantæ credentium multitudinis?

Utique oportet, &c. Q. d. Neque enim fieri poteſt, quin turba Judæorum ad Chriſtum converſorum tui viſendi cauſâ accurrat, ubi audierint, quod occuli non poteſt, te nimirum huc, Jeroſolymam veniſſe.

23. *Votum habentes ſuper ſe.* Hoc eſt, qui ſeſe obſtrinxerunt voto Naziræatûs ad tempus. De his Naziræis vide Num. 6.

24. *His aſſumtis ſanctifica te cum eis.* Id eſt, ſocium te adjunge quatuor illis viris qui ex fidelibus Judæis votum Naziræatûs ſuſceperunt, & unà cum illis eſto Naziræus Domino, ſeu à mundanis negotiis ſeparator. Hebræum nomen נָזִיר, ſignificat *ſanctificatum* ſeu *ſeparatum & conſecratum Domino.* Num. 6. v. 2 & 5.

Et impende in illis, ut radant capita. Q. d. Et expleto tempore nuncupati ab ipſis Naziræatûs voti, adde & tuam partem ſumtuum in victimas, quæ à quatuor illis Naziræis Deo ſunt offerendæ ut iis oblatis comam deponant ad oſtium tabernaculi conventûs. Vide Num. 6. v. 18 & 19.

Et ſciunt omnes. Chriſtiani Judaizantes, quorum multitudo non ſpernenda neque offendenda videtur.

Quia quæ de te audierunt. Id eſt, famam, quâ ad ipſos perlatum eſt te eſſe oſorem Legis Moſaicæ.

Falſa ſunt. Hoc eſt, eſſe mendacem & malitioſum infamationem.

Sed ambulas & ipſe cuſtodiens Legem. Q. d. Cùm ſis rituum Legis retinens.

25. *De his*, &c. Q. d. Neque est quod verearis, ne si tu hos Legis ritus observes, ii qui ex gentibus fidem in Christum susceperunt, exemplo tuo sibi persuadeant, se quoque ad ritus Legis Mosaicæ observandos obligari; Synodicam enim epistolam, Communi, ut ipse nosti, Ecclesiæ judicio missimus ad eos, quâ significavimus nulla Legalia ipsis esse observatu necessaria præter abstinentiam ab idolothytis, & sanguine, & suffocato, & fornicatione.

Judicantes. Id est, communi Ecclesiæ judicio decernentes.

Ut abstinant, &c. Gr. *Ut nihil tale servent ipsi, nisi ut abstinant*, &c. Q. d. Ut nullos ritus Mosaicos quasi ad salutem consequendam necessarios observent, præter abstinentiam ab idolothytis, &c. Vide dicta suprà cap. 15. v. 1, 5, 20, 22, 23, 28, 29 & 30.

26. *Tunc Paulus.* Vitandi scandali causâ obsequuturus fratrum monito.

Assumtis viris. Illis nimirùm quatuor Naziræis, de quibus suprà v. 23.

Posterà die purificatus cum illis. Id est, unà cum illis segregatus ab iis qui communes seu immundi censebantur.

Intravit in Templum. Jerosolymitanum.

Annuncians, &c. Q. d. Denuntians sacerdotibus intra quot dies votum Naziræi ab ipso ipsiúsque sociis nuncupatum finiretur, ut eo finito pro unoquoque eorum offerrentur sacrificia Lege sancita Num. 6. v. 14 & 15.

27. *Dum autem septem dies consummarentur.* Id est, cùm septeni illi dies jam essent explendi, quibus expletis Paulus & ceteri quatuor Naziræi vota sua erant expuncturi.

Ii qui de Asia erant Judæi. Nempe qui ex Asiæ strictiùs dictæ metropoli Epheso Jerosolymam venerant ad festum Pentecostes ibi celebrandum.

Cùm vidissent eum in Templo. Id est, conspicati Paulum in Templo Jerosolymitano.

Concitaverunt omnem populum. Id est, adstantem Judaici populi multitudinem.

Et injecerunt ei manus clamantes, Q. d. Violentérque prehenderunt Paulum, ita queritantes.

28. *Adversus populum.* Israeliticum.

Et Legem. A Deo per Mosen traditam.

Et locum hunc. Id est, Sacrum hoc Templum Jerosolymitanum.

Omnes ubique docens. Falsa hæc accusatio & criminatio instituta est adversus Paulum hîc & suprà cap. 17. v. 6. quòd doceret non solos genere Judæos pro populo Dei habendos, sed omnes qui ex quavis gente in Christum crediderint, sobriéque, justè ac piè vixerint; typicarum, seu earum, quæ Christi adventui fuere præviæ, cæremoniarum vim & obligationem de-

esſiſſe, ex quo cœpit promulgari lex Evangelica, cultum Dei spiritu & veritate adorandi Hieroſolymitano Templo non esſe obligatum. Eadem fuit Stephanum accuſandi cauſa & calumniandi occaſio ſuprà cap. 6. v. 13.

Inſuper & Gentiles. Profanos & à populo Dei alienos.

Induxit in Templum. Nempe in illam Templi partem, in quam ſolos Iſraelitas, ſacríſve Iſraeliticis initiatos ingredi fas eſt. Aliàs erat atrium exterius, quod à Templo ſtrictè ſic dicto erat remotius, & illud atrium patebat gentibus ſimul atque Judæis omnibus, nec niſi puerperæ, & qui gonorrhœâ, hæmorrhoide ac menſtruis laborarent, eo excludebantur.

Et violavit ſanctum locum iſtum. Q. d. Atque ita auguſtum illud Templum Jeroſolymitanum cultui divinæ majeſtatis conſecratum polluit atque profanavit.

29. *Viderant enim.* Scilicet aliqui ex iſtis Judæis Epheſiis Pauli accuſatoribus ſeu potiùs, calumniatoribus.

Trophimum Epheſium. Sibi notum quod eſſet Ethnicis parentibus procreatus, neque Judaicæ religioni initiatus. Hujus Trophimi fit mentio ſuprà cap. 20. v. 4. & 2 Tim. 4. v. 20.

In civitate. Nempe Jeroſolymitana.

Cum ipſo. Paulo ſcilicet.

Quem. Trophimum Paulo perquàm familiarem.

Æſtimaverunt. Nimirùm, ſuſpicaci ludificandi & calumniandi libidine obcæcati.

30. *Commotáque eſt civitas tota,* &c. Q. d. Interea ex clamore iſtorum Judæorum Epheſiorum fama accuſationis adverſus Paulum inſtitutæ ad omnium penè, qui Hieroſolymis erant, civium & incolarum aures dimanavit, quâ in furorem concitata plebs concurrit, furibundóque impetu in ipſum Paulum irruit, necandúmque foràs extra Templum extrahit; atque ne qui Gentiles Pauli ulciſcendi cauſâ irruptionem in Templum facerent, ipſo à plebe è Templo extracto, ejuſdem Templi januæ continuò à Levitis janitoribus occluduntur.

31. *Quærentibus autem eum interficere.* Id eſt, ubi verò ad mortem Paulum verberare tentaret furiata multitudo.

Nuntiatum eſt Tribuno cohortis. Id eſt, Præfecto ejus cohortis, quæ temporibus feſtis, ac proinde etiam in Pentecoſte, præſidium habebat in porticibus Templi ad omnes tumultus arcendos, ſiqui orirentur. Vide Jo. 18. v. 12.

Quia tota confunditur Jeruſalem. Furiali tumultu.

32. *Qui.* Scilicet cohortis Tribunus ſeu Præfectus, ſive ut Græcè vocatur, χιλίαρχος. Ordo in Romanorum militia hic erat, ut milites ad Centuriones, illi ad Tribunos, ſeu Chiliarchos manè convenirent ſalutatum. Hecatontarchi autem dicebantur Centuriones, qui centum militibus præerant. Pente-

centarchi qui quinquaginta. Decarchi seu Decuriones, qui decem militibus præerant.

Decurrit. Forsan ex arce.

Ad illos. Nempe Judæos tumultuantes.

Cessaverunt percutere Paulum. Conterriti accursu Tribuni, qui tum simplices milites, tum militum centuriis præpositos ad tumultum coercendum adduxerat.

33. *Tunc*, &c. Q. d. Ubi verò Tribunus ad eum accessisset locum, in quo Paulus cum tanto tumultu cædebatur, è manibus Judæorum ereptum jussit binis catenis constringi, eóque manibus ac pedibus constricto, interrogavit quisnam esset, & quid fecisset, ut cognosceret causam ob quam adeo furialiter odissent eum Judæi, ut ipsum plagis perimere tanto cum tumultu conniterentur.

34. *Jussit duci eum in castra.* Gr. εἰς τὴν παρεμβολήν, *in castrum*, Lud. de Dieu interprete. Castrum in singulari est locus muris munitus, aliàs *Castellum* vel *arx* dictus; in plurali autem castra, locus in quo milites tentoria fixere, vel ipsa tentoria, in quibus milites diversantur. Utrumque quidem παρεμβολὴ significat, sed cum in urbe ipsa non soleant haberi castra, potiùs videtur hîc significare castrum, seu arcem illam, quæ fertur dicta Antonia, ab Herode Magno in honorem Antonii extructa.

35. *Et cùm venisset ad gradus.* Per quos ascendebatur ad arcem Antoniam.

Contigit, &c. Q. d. Propter nimiam urgentis insequentísque multitudinis densitatem evenit, ut non tam duceretur, quàm manibus militum portaretur.

36. *Sequebatur enim.* Paulum.

Tolle eum. Id est, multa eum commerito mortis supplicio. Eusebius refert 4 Hist. 14. Ethnicos consuevisse clamare ad Judicem contra Christianos, quando eos ad supplicium mortis rapi peterent, Αἶρε τὸν ἄθεον, *tolle impios.*

37. *Et cùm cœpisset induci in castra.* Id est, Quum adhuc in gradibus esset, in vestibulo arcis Antoniæ, in loco patentiore.

Paulus dicit Tribuno. Græcâ linguâ. Post Macedonum Græcorum imperium in diversas gentes obtentum lingua Græca quasi communis facta erat tum Asiæ, tum Ægypti populis.

Qui. Tribunus audiens Paulum Græcâ lingua loquendi licentiam petentem.

Græcè nosti. Curtata locutio, subauditur enim *loqui.* Plena locutio extat Nehemiæ 13 v. 24. *Et nesciebant loqui Judaicè.*

38. *Nonne tu es Ægyptius?* Pseudo-prophetes.

Qui ante hos dies. Ineunte Neronis imperio.

Tumultum concitasti. Hoc est, seditionem commovisti.

Et

Et eduxisti in desertum. Solebant id genus impostores adducere homines in loca deserta, ut tutò ibi manum colligerent, quod apud Josephum passim videre est. Vide Mat. 24. v. 26.

Quatuor millia virorum. Initio quidem tot habuit assèclas ille Pseudo-Prophetes; sed tempore addito crevit illi multitudo ad triginta ferè millia, quibuscum è locis desertis ad montem Oliveti processit, pollicitus fore ut ipsius jussu muri Jerosolymæ corruerent, quò facilis in Urbem pateat ingressus. Verùm in ipso magnarum rerum conatu per exercitum Felicis copiæ ejus dissipatæ sunt, quatuor millibus ex ipsius assèclis occisis, duobus millibus captis, reliquisque unà cum ipso Pseudo-Propheta fugatis. Refertur hæc historia à Josepho 20 Antiq. 6. 2 belli Judaici 12. ab Eusebio 2 hist. 21. & in Chronico.

Sicariorum. Est in textu Græco usurpata vox Latina; à Sica, quæ vox habet affinitatem cum Hebræo סכין *cultrum* denotante nomine, dicti Sicarii, qui ex inopinato in homines insontes grassati, ipsos gladio breviore per pectus transfigebant. *Sunt,* inquit multijugâ doctrinâ celebris Drusius, *qui Sicarios fuisse putant ex sectatoribus Judæ Galilæi, qui solum Deum Dominum agnoscebant: de quibus Josephus Orig. Judaic. lib. 18. cap. 2. & lib. 20. cap. 7. Alii eosdem faciunt cum Hessæis, quorum è numero Theophylactus. Potest fieri ut aliqui ex hac secta sicarii fuerint. Nam Hessæi contra Romanos acerrimè dimicabant, &, ne Cæsarem Dominum dicerent, acerbissimos cruciatus tolerabant, imò vitam profundere, mortémque oppetere non dubitabant. De hisce Sicariis aliquid* ¦*Scaliger Animad. Eusseb. pag. 177. col. 1. Josephus autor Judæ sectatores, excepto eo quòd neminem mortalium Dominum appellarent, cetera Pharisæos fuisse. Contrà legimus apud Salmanticensem in libro Josuæ, autorem sectæ Essenorum, quos Naziræos appellat, id est, sanctos, & Hasidæos, id est, pios, fuisse Judam Galilæum. Rem Essenos illos in causa fuisse cur Judæi rebellârint contra Romanos, quòd dicerent æquum esse ut super homines dominetur solus Dominus, nec alium vocandum esse Dominum quàm Deum benedictum sive laudandum.*

39. *Ego homo sum quidem Judæus.* At non Ægyptius.

A Tarso, &c. Q. d. Sed Tarsensis, urbis in Cilicia celeberrimæ. Vide quæ adnotavimus de Tarso suprà cap. 7. v. 58. & cap. 9. v. 30. & de Cilicia cap. 6. v. 9.

Permitte mihi loqui ad populum. Ut nimirùm innocentiam meam à criminibus mihi objectis vindicare possim.

40. *Et cùm ille.* Tribunus scilicet cohortis.

Permisisset. Paulo causam suam dicere apud populum.

Paulus stans in gradibus. Arcis Antoniæ, ad quam jussu Tribuni ducebatur.

Annuit manu ad plebem. Hoc est, nutu manûs silentium popposcit.

Et

Et magno silentio facto. Hoc Ovidius diceret, ubi *tenuere silentia cuncti.*

Allocutus est. Populum Judaicum.

Linguâ Hebraeâ. Quæ tunc erat in usu apud Judæos, id est, Syro-Hebraeâ, ut apparet ex non paucis Novi Testamenti locis, ubi Domini Jesu ejúsve Apostolorum dicta quædam vernaculâ linguâ pronuntiata memorantur. Ita verò lingua Syro-Hebræa, seu Hebræa mista ex dialecto Syriaca non videtur ignorata eo tempore Judæis, qui inter gentes habitabant. Cùm enim in majoribus solemnitatibus ventitare quotannis plures solerent Hierosolymam, eam linguam addiscebant, quæ usitata erat in ea civitate, quæ omnium ubique consistentium Judæorum fuit metropolis.

CAP.

CAP. XXII.

1. *Viri fratres & patres.* Vide dicta suprà cap. 7. v. 2.
Audite quam ad vos nunc reddo rationem. Id est, defensionem, quâ me ab adversariorum criminatione vindico.

2. *Cùm audissent autem quia Hebraeâ linguâ loquebatur.* Vide dicta suprà cap. 21. v. 40.

Magis præstiterunt silentium. Quia Hebraea lingua eis ut Hebraïs Græcâ gratior erat.

Et dicit. Q. d. Ità porrò ulteriùs sermonem continuavit Paulus.

3. *Ego sum vir Judæus.* Origine, à Patriarchis Abrahamo, Isaaco & Jacobo oriundus.

Natus Tarso Ciliciæ. Vide quæ adnotavimus suprà cap. 6. v. 9. 7. v. 58. 9. v. 30.

Nutritus. Non à prima pueritia, quam credibile est eum Tarsi in patria sua transegisse, sed ab adolescentia; ut nimirùm Paulus à puero diligenter in Græcis literis institutus Tarsi, jam adolescens factus accesserit Jerosolymam, quòd gente Judæus esset, ut sacris ibi disciplinis in conubernio Gamalielis ab ipso Gamaliele abundantiùs erudiretur. Vide dicta de hoc Gamaliele suprà cap. 5. v. 34.

In ista civitate. Jerosolymâ, Judæorum metropoli.

Secus pedes Gamaliel. Modesta sanè Pauli extentatio; neque enim, uti observat vir eruditione præsignis Jo. Christophorus Wagenseilius, *arroganter se Gamalielis convictorum & familiarem fuisse, ac sacra & profana omnia communia cum eo habuisse jactitat; sed potiùs ad pedes quasi summi, & cujus recens defuncti memoria apud omnes præcipuâ colebatur veneratione, Doctoris abjectum, sic sese cibum captasse, demissè profitetur. Habent hoc Judæi in more positum, ut reverenter de aliis loquendo, se ad illorum pedes insinuent. Locus elegans de Abigaile est* 1 *Sam.* 25. v. 41. Tum surgens illa incurvavit se facie demissâ ad terram, & dixit, Ecce ancilla tua in famulam, ad lavandum pedes servorum domini mei. *Eodem tendit dictum celebre Josè Joesridis in Pirke Avoth:* יהי ביתך בית ועד לחכמים והוי מתאבק בעפר רגל הם Esto domus tua, domus in quam conveniant Sapientes, & voluta te in pulvere pedum eorum. *Animum alius*

dicti sensus, quàm quem expresserunt Commentatores: והוי מתאבק בעפר רגלי חכם רל הוי שפל ומשמש באותן תמיר, *id est*, verbis, Et voluta te in pulvere pedum eorum, id imperatur: Esto humilis & ministra sapientibus assiduè. Hactenus Doctissimus Wagenseilius in aurea confutatione impii Carminis R. Lipmanni.

Eruditus. Verba *secus pedes Gamaliel*, perperàm cum *eruditus* connectunt interpretes, quippe quæ cum prioribus, *nutritus autem in ista civitate*, potiùs cohærent, atque ad pedes Gamalielis in contubernio ejus altum & educatum, non autem literis imbutum se fuisse, Paulus significare voluit. Haud alio sensu verba ista accepit Syrus, unde inter nativitatem, educationem, & informationem Pauli, per copulationis & disjunctionis voculas, sedulò discrimen fecisse deprehenditur. Sic habet illius translatio: *Ego vir sum Judæus, & natus sum in Tarso Ciliciæ, nutritus verò in hac civitate juxta pedes Gamalielis: & eruditus sui perfectè in Lege patrum nostrorum.* Præterea Gamaliele vivo discipuli stantes à sedentibus præceptoribus erudiebantur. Sed enim in Megilla fol. 21. a. tradunt Rabbini à Mosis temporibus ad ætatem usque R. Gamalielis, discipulos nonnisi stantes in pedibus fuisse edoctos à præceptoribus suis sedentibus. At R. Gamaliele mortuo, morbis solito magis infestatum fuisse orbem, atque ita cœpisse discipulos præceptoribus suis adsidere inter discendum. Unde in Mischna dicitur, *Mortuo R. Gamaliele, evanuit honos Legis.* משמת רבן גמליאל בטל כבוד תורה. Certè ita more apud priscos Judæos fuisse receptum, ut docentes sederent, & discipuli ceteræque auditores in pedibus starent erecti, vel ex ipso Evangelio constat, uti videre est Mat. 5. v. 1, 2 & 3. 23. v. 2. Luc. 2. v. 46. &, si Syri interpretis autoritatem sequimur, Mar. 4. v. 1. Verùm ex quo in mores transiit ut discipuli sedentes suis præceptoribus operam locarent, nempe post Gamalielis demùm obitum, paulò ante Templi secundi excidium, præceptor solitus est sedere in capite dum docebat, & discipuli inter discendum ei utrinque assidebant ad formam hemicydi circumsidentes instar coronæ, neque ulli retro à dissentis tergo sedebunt כדי שיהיו כולם רואים הרב ושומעים דבריו *ut omnes præceptorem intueri, illiusque sermonem percipere possent*, inquit Maimonides in Hilchot Talmud Tora cap. 4. num. 2. Hac docentium discentiúmque sessionis formâ etsi nemo Pharisæorum & Scribarum ante Gamalielis obitum usus fuerit, Christum tamen aliquando usum fuisse, & benignè præter receptum aliorum morem nonnunquam indulsisse, ut auditores, postquam diutulè steterant sessitarent, & fessa membra sessione refocillarent, atque porrò tantò attentiùs præberent aures, colligere est ex Mar. 3. v. 32 & 34.

Juxta

Juxta veritatem paternæ Legis. Gr. κατὰ ἀκρίβειαν τοῦ πατρῴου νόμου, id eſt, clariſſimo Beza interprete, *ad exquiſitam normam patriæ Legis.* Ubi per patriam legem vir ſacrarum literarum literarúmque doctiſſimus Ludovicus de Dieu non inelegit ſimpliciter, quam patres à Deo per Moſen acceperant, ἐκ πατέρων παραδόσιν, quam ipſi à patribus acceperant. *Phariſæorum,* inquit, *religionem denotat, quæ πατρικαῖς παραδόσεσι magnam partem conſtabat, quarum ζηλωτὴν ſe fuiſſe olim ait ad Gal.* 1. v. 14. *quúmque ἀκριβείας ei religioni tribuit, idem dicit quod ipſa cap.* 26. *v.* 5. κατὰ τὴν ἀκριβεστάτην αἵρεσιν τῆς ἡμετέρας θρησκείας ἔζησα φαρισαῖος. *Senſus ergo eſt, ſe inſtitutum fuiſſe in Phariſaiſmo, quæ accuratiſſima eſt patriæ legis forma.* Sectæ porrò Phariſaicæ Magiſter inter alios inſignis fuit iſte Gamaliel præceptor Pauli.

Æmulator Legis. Νόμου legit vulgaris interpres, ubi in textu Græco lectio communis habet Θεοῦ. Zeloten Dei ſe fuiſſe profitetur Paulus Hebraiſmo Scripturæ familiari, id eſt, præfervido zelo accenſum contra eos, qui Legem olim per Moſen latam quatenus per Phariſæorum traditiones auctam non obſervarent. Vide Gal. 1. v. 14.

Sicut & vos omnes eſtis hodie. Æquiparat ſe Paulus in hoc præfervido zelo Judæis in ipſum inſurgentibus, quibus & Rom. 10. v. 2. tribuit zelum Dei ſeu ardens ſtudium erga ejus Legis obſervationem, quanquam non ſecundum ſcientiam.

4. *Qui hanc viam.* Id eſt, Chriſtianam religionem, cujus profeſſionis causâ nunc vinculis conſtringor. Ita nomen hoc *via* ſumitur ſuprà cap. 9. v. 2. cap. 18. v. 25 & 28. cap. 19. v. 9 & 25.

Perſecutus ſum uſque ad mortem, &c. Q. d. Aſpernabar, & velut immanem ac pernicioſam peſtem abhorrebam, ita ut ejuſdem religionis profeſſores abſque diſcrimine ſexûs in vincula conjicerem, mortéque atroci multandos curarem. Vide ſuprà cap. 7. v. 58. cap. 8. v. 1 & 3. cap. 9. v. 1 & 2.

5. *Sicut Princeps Sacerdotum.* Id eſt, magni Synedrii Princeps. Vide ſuprà cap 9. v. 1.

Mihi teſtimonium reddit. Hoc eſt, horum gnarus teſtimonium reddere poteſt.

Et omnes Majores natu. Id eſt, ceteríque Synedrii magni Senatores. *Lucas,* inquit Seldenus, *tum in Evangelio, tum in Actis* πρεσβυτερίου *voce,* quam Latinus interpres *Seniores,* ſeu *majores natu* reddit, *pro Synedrio magno uſus eſt.* Vide Mat. 26. v. 59. & Luc. 22. v. 66.

A quibus, &c. Vide dicta ſuprà cap. 9. v. 1 & 2.

Epiſtolas accipiens. Id eſt, ubi acceperam epiſtolas, ſeu acceptis epiſtolis, quibus mihi facultas concedebatur id agendi quod conabar.

Ad

Ad fratres. Id est, ad alios Judæos & eorum Synagogas.

Ut punirentur. Id est, Summo cruciatu supplicióque afficerentur.

6. *Factum est autem eunte me.* Ut cæco impetu prævervidum meum in Jesu discipulos zelum ad effectum deducerem.

Et appropinquante Damasco. Vide suprà cap. 9. v. 2 & 3.

Mediâ die. Gr. περὶ μεσημβρίαν, *circa meridiem.*

Subitò. Id est, repentè præter spem.

De Cœlo circumfulsit. Fulguris instar.

Me. Supple ex cap. 26. infrà v. 13. & eos qui mecum iter faciebant.

Lux copiosa. Meridianum solis splendorem superans, ut videre est infrà cap. 26. v. 13.

7. *Et decidens in terram.* Id est, ubi verò repentino illo fulgore perculsus in terram decidi. Vide suprà cap. 9. v. 4.

8. *Ego,* &c. Vide suprà cap. 9. v. 5.

9. *Et qui mecum erant.* Illius itineris Damasceni comites.

Lumen. Quod cœlitùs demissum me & eos circumfulgebat.

Vocem autem non audierunt. Id est, non intellexerunt. Vide dicta suprà cap. 9. v. 7.

10. *Quid faciam?* Id est, quid vis ut faciam? Vide suprà cap. 9. v. 6.

Surgens. Nempe è terra in quam prostratus jaces.

Vade Damascum. Q. d. Quod Damascum suscepisti iter, ut meo cultui illic addictos tu suppliciis addiceres, jam propositio mutato perge.

Et ibi. Ab Anania discipulo meo.

Quæ te oporteat facere. Id est, quæ ipsi revelavi constituta à me & decreta ut facias. Vide suprà cap. 9. v. 6.

11. *Et cum non viderem,* &c. Vide dicta suprà cap. 9. v. 8.

12. *Ananias.* De hoc suprà cap. 9. v. 10.

Vir timoratus secundum Legem. Gr. εὐσεβὴς κατὰ τὸν νόμον, *pius secundum Legem,* id est, qui probè colit & veneratur Deum ad præscriptum Legis à Deo per Mosen traditæ.

Testimonium habens. Suæ videlicet erga Deum pietatis.

Ab omnibus cohabitantibus Judæis. Ibi nimirùm, Damasci.

13. *Veniens ad me.* In viam Damasci, quæ nominatur *Rectus.* Vide suprà dicta cap. 9. v. 11 & 17.

Et adstans dixit mihi. Impositis scilicet manibus, ut patet ex cap. 9. suprà v. 17.

Respice. Id est, recipe amissum à te visum, méque aspice.

Eâdem horâ. Hoc est, eodem temporis puncto. Vide suprà cap. 9. v. 18.

Respexi in eum. Id est, recepto quem amiseram visu, adspexi eum.

14. *Deus*

14. *Deus patrum noſtrorum.* Hoc eſt, ille Deus verus, qui ſibi progenitores noſtros Patriarchas ſui cultûs defenſores antiquitùs adoptavit.

Præordinavit te. Gr. προχειρίσατό σε, *Sumſit te.* Proprie enim προχειρίζεσθαι eſt, *præ manibus ſumere id quo uti velis*, ſive ad rem, ſive ad perſonam referatur. Hinc pro לקח, *capere, ſumere*, à Græcis interpretibus rectè uſurpatur Joſ. 3. v. 12. קחו לכם שנים עשר איש, *Sumite vobis duodecim viros.* LXX. Προχειρίσασθε ὑμῖν δώδεκα ἄνδρας. Vide ſis & 2 Mac. 3. v. 7. & cap. 8. v. 9. Clariſſimo Bezæ videtur iſtud dicendi genus ſumtum ab artificibus, qui rem conficiendam in manus ſumunt, deliberatione præeunte quid & quorſum ſint facturi. Vide ſuprà cap. 9. v. 15. & Infrà cap. 26. v. 16.

Ut cognoſceres voluntatem ejus. Revelatam per Jeſum Chriſtum de iis quæ ad æternam ſalutem creditu & actu neceſſaria ſunt.

Et videres juſtum. Nempe Meſſiam in Lege & Prophetis Promiſſum, à mortuis redivivum, cujus fulgor ſic oculos tuos perſtrinxerat, ut etiam cæcus inde evaderes. Vide adnotata ſuprà cap. 3. v. 14. & 7. v. 52.

Et audires vocem ex ore ejus. Ad te directam cùm in itinere Damaſceno ipſum cœleſti luce illuſtratus videres.

15. *Quia*, &c. Q. d. Eóque fine Dominus Jeſus tibi ſe videndum audiendúmque exhibuit, ut apud omnes omninò gentes, quas tibi adire & alloqui contigerit, atteſteris ipſum à mortuis redivivum tibi viſum in ſplendore & claritate lucis illius cœleſtis, quæ in te vibrata oculos tuos graviter perſtrinxerat, ſuóque ore juſſiſſe te illud Evangelium, cujus notitiam ab ipſo acceperis, ubivis gentium prædicare. Vide infrà cap. 26. v. 17 & 18.

16. *Et nunc*, &c. Q. d. Nunc igitur nullâ interpoſitâ morâ initiator inſtituto à Chriſto baptiſmate, & hac corporis in aquam immerſione profitetor te fide in ipſum Jeſum Chriſtum eſſe ab internis animi ſordibus, ſive à peccatorum inquinamentis ablutum vel abluendum. Vide adnotata ſuprà ad cap. 2. v. 38. Βαπτισμὸς *immerſio eſt, & ſecundum vim ac notionem nominis olim celebrabatur. Nunc tantùm* apud pleroſque in Occidente ῥαντισμὸς, *aſperſio eſt, non immerſio nec tinctio*, inquit Cl. Salmaſius in Ep. ad Andream Colvium Scriptâ Kal. Jul. 1644.

Invocato nomine ipſius. Scilicet Domini Jeſu Chriſti. Qui credunt in Chriſtum ſéque ei obedientes præbent, atque ejus cultum profitentur, ita ſolent deſcribi, quòd ſint ii *qui invocant nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti*, ut videre eſt ſuprà cap. 9. v. 14 & 21. 1 Cor. 1. v. 2. Hinc in invocatione nominis Jeſu, comprehenditur fides in Chriſtum, atque etiam ejus cultûs religio-

ſa

sa professio, sinceráque ipsius præceptis obedientia.

17. *Factum est autem revertenti mihi*, &c. Q. d. Evenit autem mihi anno à mea ad Christum Jesum conversione quarto Hierosolymam reverso, ut sensibus corporeis sopitis, quasi extra me raperer, quum captaturus occasionem colloquendi cum Judæis de fide in eundem Jesum Christum, orarem in Templo illo Hierosolymitano, in quo cultus Dei solemnis à Judæis peragi solitus est. Vide suprà cap. 9. v. 26. & 10. v. 10.

In stupore mentis. Hæc extasis nequaquam confundenda est cum Pauli raptu ad tertium cœlum 2 Cor. 12. v. 2.

18. *Et videre illum*, &c. Q. d. Atque ita quasi extra me rapto ille Dominus Jesus, quem in itinere Damasceno luce cœlesti illustratus videram, mihi tunc iterum apparuit, jubens me citò Hierosolymâ proficisci, quòd Hierosolymorum incolæ Judæi meæ de ipso prædicationi, atque apparitionum ab ipso mihi factarum testificationi pertinaciter essent repugnaturi. Vide suprà cap. 9. v. 29.

19. *Et ego dixi*, &c. Q. d. Ego verò percupidus Evangelii ibi prædicandi, ubi illud anteà oppugnaveram, ut Hierosolymæ mihi diutiùs commorari liceret, instabam dicens, Fierine potest, Domine Jesu, ut nulli ex Judæis Hierosolymitanis meam in te fidem justæ & magnæ causæ attribuentes, eam à me prædicatam suscipiant, cùm ipsi omnes noverint me tui cultoribus adeò fuisse infensum, ut quoad possem & liceret eas per singulas Judæorum Synagogas sive juridicas congregationes verberibus cæsos in carcerem duriter immisericorditérque dederem. Vide suprà v. 4. & cap. 8. v. 3. & Grotium in Mat. 10. v. 17.

20. *Et cùm funderetur sanguis Stephani.* Per lapidationem de qua suprà cap. 7. v. 59.

Testis tui. Id est, qui primus est inter *Martyres* seu *testes* peculiariter dictos, qui non oris modò confessione, ut ii quos Historici Ecclesiastici vocant *Confessores*, sed etiam suo sanguine propter suum de Christo ejúsque doctrina testimonium ab adversariis violenter fuso, quod verbis sunt testati obsignaverunt atque sanxerunt.

Ego. Supple, ut ipsi Judæi Hierosolymitani norunt.

Stabam & consentiebam. Id est, adstabam non modò ut spectator, sed etiam facti probator.

Et custodiebam, &c. Q. d. Idque à me probatum fuisse palàm feci, cum Stephani lapidatorum pallia seu vestimenta superiora ad pedes meos deposita custodirem. Vide suprà cap. 7. v. 58.

21. *Et dixit.* Dominus Jesus iterato mandato.

Ad me. Tergiversantem.

Vadi. Hoc est, quantocyùs egredere Hierosolymâ.

In

In nationes longè mittam te. Id eſt, te peculiariter ut Apoſtolum ac legatum meum in terras ab urbe Hieroſolyma procul diſſitas jamjam proficiſci volo, ut ibi inter gentes alienas à Republica Iſraëlis, abſque fœdere Dei, abſque promiſſis, abſque notitia voluntatis divinæ viventes prædices Evangelium, eáſque ad me omnibus mihi obtemperantibus æternæ ſalutis autorem à Judæis rejectum convertas. Vide Gal. 1. v. 16. & 2. v. 8. Epheſ. 2. v. 12 & 13. 3. v. 8. 1 Tim. 2. v. 7. 2 Tim. 1. v. 11.

22. *Audiebant autem eum uſque ad hoc verbum.* Id eſt, Judæi, qui aderant iſti Pauli concioni favebant linguis, donec mox dictis verbis Paulus inſinuaſſet juxta prophetiam Moſis Deut. 32. v. 21. & Eſaiæ cap. 65. v. 1. Judæis tanquam indignis ob incredulitatem rejectis, ex gentibus extraneis quas illi furialiter oderant, eſſe Meſſiæ in Lege ac Prophetis promiſſo populum colligendum.

Et levaverunt vocem ſuam. Q. d. Statim verò atque hæc Paulus de convertendis ad Chriſtum alienigenis gentibus dixiſſet, non potuerunt iidem adſtantes Judæi quin atroci odio ac deteſtatione exclamarent.

Dicentes, Tribuno ſcilicet militum.

Tolle de terra hujuſmodi. Hoc eſt, morte multato hunc hominem nequam & improbum.

Non enim fas eſt eum vivere. Id eſt, indignus enim eſt, qui punctum temporis vitâ fruatur.

23. *Vociferantibus autem eis,* &c. Q. d. His verò Judæis furiali vociferatione, veſanâ veſtium ſuarum agitatione, ac pulveris in aërem jactatione valde concitatum offenſúmque animum prodentibus.

24. *Juſſit Tribunus induci eum in caſtra.* Vide ſuprà cap. 21. v. 34.

Et flagellis cædi & torqueri eum. Gr. εἰπὼν μάστιξιν ἀνετάζεσθαι αὐτὸν, *dixitque ut in eum flagris inquireretur.* Hoc eſt, ut per flagrorum verbera veri confeſſio Paulo extorqueretur.

Ut ſciret. Id eſt, ut extortâ Paulo confeſſione ipſe Tribunus reſcirei.

Propter quam cauſam. Id eſt, propter quod crimen. Cauſa pro crimine ponitur, ut Mat. 27. v. 37. & Mar. 15. v. 26.

Sic acclamarent ei. Hoc eſt, tam furenter Judæi nullum certum crimen proferentes adverſus eum vociferarentur.

25. *Et cùm aſtrinxiſſent eum loris.* Gr. ὡς δὲ προέτειναν αὐτὸν τοῖς ἱμᾶσιν, *protendiſſent eum loris.* Id eſt, Quum verò Paulum verberandum pro more aſtrictum loris milites protendiſſent.

In Talmud. lib. מכות, *cap.* 3. *in Misna*, inquit clarissimus Ludovicus De Dieu, *ubi ritus describuntur erga flagellandum usurpandi, legitur*, כיצד מלקין אותו כופת שתי ידיו על העמוד ה לך ואלך *quomodo flagellatur ille?* Ligantur ambæ manus ejus ad columnam hinc inde. Columna ista erat lignum terræ infixum, altitudinis sesquicubiti, ut cædendus ipsi incumbere posset inclinatus. Ut enim habet Misna, neque stans aut sedens vapulabat, sed inclinatus, quia scriptum est Deut. 5. v. 2. והפילו השופט *prosternet illum judex.* Atque ut ita positum aptiùs cæderet lictor, האבן נתנת מאחריו הזן הכנסת עומד עליו *lapis positus erat post reum, in quo minister Synagogæ stabat.* Ob hunc ritum dixit fortassis Lucas, προέτειναν αὐτὸν, ut præpositio προ indicet, Paulum sic fuisse protentum, ut superiori corporis parte pronus columnæ incumberet. *Arabs*, inquit mox laudatus Ludovicus de Dieu, *alium videtur ritum respexisse, etiamnum Orientalibus usitatum, apud quos reus prostratus ita extenditur, ut utrinque lictores caput & pedes continant, ne ictus flagellantis evadere aut declinare possit. Hinc vertit*, Et quum extendissent ipsum inter lictores, *quorum nempe alii ad caput, alii ad pedes rei manus continerent. Nec inde abludit Æthiopicus*, Et quum vincto eo traherent pedes ejus.

Dixit adstanti sibi Centurioni Paulus. Loris adstrictus, ac protentus Paulus, jamjam flagris cædendus, justis adminiculis à Deo subministratis injuriam repellit, dicens Centurioni, quem torturæ huic eruendæ veri confessionis causâ Tribunus præesse jusserat.

Si. Hoc est, an, ut alibi passim.

Hominem Romanum. Id est, cui jus civitatis Romanæ competit. Pauli urbs natalis *Tarsus*, inquit Grotius, *non colonia erat, sed libera urbs, Plinio teste lib.* 5. *cap* 27. *Concessam Tarsensibus libertatem ab Antonio dicit Appianus Civilium quinto. Et Dion Chrysostomus multa privilegia recitat ab Augusto tributa Tarsensi civitati, non autem jus coloniæ aut mancipii, qualibus jus Romanæ civitatis competebat: & Ulpianus inter Ciliciæ colonias Tarsum non nominat. Restat ergo ut aliquis majorum Pauli bellis civilibus, quæ inter Cæsarem Augustum & Brutum, Cassiúmque aut etiam inter eundem Cæsarem, & Antonium intercessere, jus illud sibi comparaverit.*

Indemnatum. Gr. ἀκατάκριτον, *injudicatum.* Id est, incognitâ causâ. Vide quæ adnotavimus suprà cap. 16. v. 37.

Licet vobis flagellare? Leges Porciæ Semproniæque civem Romanum à verberibus immunem reddebant in foro Romano, at non item in Judaico, siquis Judæorum ex ipsorum legibus verberandus esset. Hinc Paulus qui natalibus civis Romanus,

nus, tamen quâ Judæus à Judæis *quinquies quadragenas unâ minùs accepit plagas*, 2 Cor. 11. v. 24. *Hebræorum legibus*, inquit vir inexhauſtæ eruditionis Seldenus, *inter Judæos ipſos principum gratiâ locus erat aliquis etiam in Urbe*; *de quâ re videſis C. Tit. de Judæis, lib. 8. & Dionem ubi de Judæis lib. 37. & Xiphilinum in Pompeio.*

26. *Centurio.* Id eſt, centum militum præfectus, de quo dictum verſu mox præcedente.

Acceſſit ad Tribunum. Mille militum præfectum, de quo ſuprà cap. 21. v. 31.

Hic enim homo. Cui me per flagrorum verbera veri confeſſionem extorquere juſſiſti.

Civis Romanus eſt. Qualem leges flagris cædi vetant.

27. *Dixit illi.* Paulo ſcilicet loris vincto.

Si. Id eſt, an, ut ſuprà v. 25. & alibi paſſim.

Romanus. Id eſt, jure Romanæ civitatis donatus. Noverat enim Tribunus ex Pauli oratione ipſum non Româ ſed Tarſo oriundum.

28. *Ego.* Tribunus.

Multâ ſumma. Id eſt, difficulter ac non niſi magnâ pecuniâ datâ.

Civitatem hanc conſecutus ſum. Id eſt, jus civitatis Romanæ acquiſivi. Hoc previlegium aliàs donari ſolitum, *per avaritiam Claudianorum temporum*, ut loquitur Tacitus Hiſt. lib. 5. venum ire cœpit. Nomen civium Romanorum magno emtum dicit Salvianus.

Et Paulus ait, Ego autem & natus ſum. Q. d. Me verò non recens acquiſitio, ſed ipſa nativitas civem Romanum facit. Prognatus enim ſum majoribus jure civitatis gaudentibus. Vide quæ adnotavimus ſupra v. 25.

Protinùs ergo. Juſſu Tribuni.

Diſceſſerunt ab illo. Paulo ſcilicet natalibus cive Romano, proindéque lege Porciâ à verberibus immuni.

Qui eum torturi erant. Id eſt, qui ab ipſo Tribuno, antequam cognoviſſet Paulum civem eſſe Romanum, juſſi erant per flagrorum verbera eidem Paulo extorquere confeſſionem criminis, propter quod ſic adverſus eum Judæi furiati vociferarentur.

Et quia alligaſſit eum. Vocula & hîc redundat. Neque enim ſenſus eſt, Tribunum etiam id reſciviſſe, quòd Paulum alligaſſet, hoc enim ignorare non poterat. Sed Tribunum timuiſſe, cognito quòd Paulus Romanus eſſet civis, ne in jus vocaretur quod civem Romanum catenis vinciri juſſiſſet ſuprà. cap. 21. v. 33. Vide adnotata ſuprà cap. 16. v. 37, & 38.

30. *Diligentiùs.* Gr. τὸ ἀσφαλὲς, *certum*, id est, certam veritatem.

Solvit eum. Id est, jussit Paulum solvi catenis, quibus eum vinciri jusserat ignorans ipsum esse civem Romanum.

Et jussit, &c. Q. d. Convocavitque primarios Sacerdotes & ceteros ad Judaicum Synedrium pertinentes, ac productum Paulum statuit coram eis, ut de ipso ejúsque causa dijudicarent.

Sacerdotes. Gr. ἀρχιερεῖς, *primarios Sacerdotes.*

Inter illos. Id est, coram eis.

CAP.

CAP. XXIII.

1. *INtendens autem in Concilium Paulus.* Id eſt, intentis confidenter oculis in eos, qui Synedrio intererant Senatores. Prov. 28. v. 1. *Fugit impius nemine perſequente, juſtus autem quaſi leo confidens, abſque terrore erit.*

Ait. Obtentâ proculdubio licentiâ reſpondendi ad ea quæ ſibi ab adverſariis objiciebantur coram Synedrio. Sic ſuprà cap. 6. Stephanus ſiſtitur, coram Synedrio, ibíque accuſatur. Auditâ accuſatione, teſtificationéque falſorum teſtium, ipſe Stephanus cap. 7. v. 1. interrogatur à Synedrii Præſide utrum vera eſſent ea de quibus accuſabatur. Túmque Stephanus ad cauſam dicendam admiſſus admirabilem hanc apologeticam orationem habuit ad Synedrium, cujus orationis compendium retulit Lucas ſuprà. cap. 7. v. 2 & ſeq.

Viri fratres. Vide dicta ſuprà cap. 21. v. 1. Eſaias vates loquens de Judæis ingrato animo & obſtinatione quadam Meſſiam in Lege ac Prophetis promiſſum repudiaturis, eos vocat *fratres* illorum Judæorum qui eundem erant fide amplexuri. *Audite*, inquit cap. 66. v. 5. *verbum Domini, qui tremitis ad verbum ejus: dixerunt fratres veſtri odientes vos, & abjicientes propter nomen meum*, &c. Hoc loco nitebantur Patres Africani dum Donatiſtas infenſiſſimos Eccleſiæ hoſtes *fratres* appellabant.

Ego. Paulus qui nunc coram vobis ut reus ſiſtor.

Omni conſcientiâ bonâ converſatus ſum ante Deum, &c. Q. d. Ita verſatus ſum in miniſterio mihi credito, ut mea mihi conſcientia coram Deo teſtificetur me ſive in Judaiſmo, ſive in Chriſtianiſmo pro modo cognitionis ad hunc uſque diem ſemper ſtuduiſſe,

Nil conſcire mihi, nullâ palleſcere culpâ.

Vide infrà cap. 24. v. 16. 2 Cor. 1. v. 12. & 2 Tim. 1. v. 3. Quomódo autem Paulus ad Chriſtum converſus potuerit gloriari de vita ſua in Judaiſmo, & de bona conſcientia, quam ignorantiæ ſuæ tempore habuiſſet, cùm 1 Cor. 15. v. 9. & 1 Tim. 1. v. 13 & 16. fateatur ſe fuiſſe blaſphemum, perſecutorem, imò peccatorum primum, apertiſſimè planiſſiméque explicat Cl. Curcellæus per diſtinctionem conſcientiæ bonæ & rectæ. Con-

scientia potest esse bona, licèt erronea sit, & mala, quamvis recta sit, seu bonam legem in judicando de factis suis sequatur. Paulus idcircò ad bonam suam conscientiam provocat, qui a fecerit id, quod conscientia errans faciendum esse dictabat, nimirùm ut Christianos persequeretur quos esse apostatas & defectores à Mosis Lege sibi persuaserat. Non tamen erat innocens, quia cùm idoneas habuisset occasiones conscientiam suam melius informandi, id neglexerat facere. Quare qui vult à peccato immunis esse, non minorem curam gerere debet, ut conscientiam suam de voluntate Dei instituat, quàm ut nihil adversus ejus dictamen faciat.

2. *Princeps autem Sacerdotum.* Offensus forsan Pauli constantiâ, vel quòd liberiore, quàm Synedrii vel ipsius Pontificis maximi fastus ferret, Paulus usus esset exordio.

Ananias. Hic Pontifex maximus erat Nebedæi filius, quo nemo fuit ad quidvis audendum audacior. Videatur de illo Josephus Antiq. lib. 18. & 20.

Præcepit astantibus sibi. Ministris jussa capessere paratis.

Percutere os ejus. Pauli videlicet quasi indigna & falsa loquentis. Fuit hoc iniquum superbæ tyrannidis factum, hominem demum judicandum, sceleris non convictum, ante sententiam de ipso pronunciatam contumeliâ tam insigni afficere. Percutere os alicujus, sive, ut Juvenalis loquitur, *in cutere alicui colaphum*, ab omni ævo omnes omninò populi contumeliam insignem æstimarunt. Hinc colaphis cædere, seu, ut Terentius loquitur, colaphos infringere alicui dicitur, qui aliquem graviter ac contumeliosè vexat. Vide Mat. 5. v. 39. 1 Cor. 4. v. 11. 2 Cor. 11. v. 20. & 12. v. 7. 1 Pet. 2. v. 20. Barbarus Pseudopropheta Sedecias filius Chanaana coram Regibus Josaphat & Achab percussit Michæam filium Jemla, verum Domini Prophetam in maxillam, quòd dixisset spiritum mendacii esse in ore ipsius ceterorumque pseudoprophetarum, 1 Reg. 22. v. 24. Contumeliosus Pontifex Phassur filius Emmer Jeremiam prophetantem percussit, Jer. 20. v. 2. Denique rudis Caiphæ minister injussus Domino Jesu colaphum impegisse legitur Jc. 18. v. 22.

3. *Tunc Paulus.* Ut Petrus suprà cap. 8. v. 20. & ipse Paulus 1 Tim. 4. v. 14. instinctu divino, afflatúque prophetico actus instar Noæ Gen. 9. v. 25 Michææ filii Jemla 2 Par. 18. v. 24. Eliæi 2 Reg. 2. v. 24. Jeremiæ cap. 20. v. 3. & seqq. Davidis passim in Psalmis.

Dixit ad eum. Contumeliosum videlicet, barbarum ac rudem Pontificem maximum Ananiam Nebedæi filium.

Percutiet te Deus. Qui juxta dictum Christi Mat. 7. v. 2. hominibus remetiri solet, quâ mensurâ mensi fuerint. Sic Pharao,

Pharao, cujus jussu Israelitarum mares recens nati demergebantur, Exod. 1. v. 22. unà cum exercitu suo demersus est Exod. 14. v. 28. Idem videre est in Adonibezec Judic. 1. v. 7. in Agag Rege Amalecitarum 1 Sam. 15. v. 32 & 33. in Davide 2 Sam. 12. v. 9, 10, 11 & 12. & cap. 16 v. 22. in Joab 1 Reg. 2. v 31, 32 & 33. in viris illis qui in fornacem ignis ardentis conjecerant Sidrach, Misach, & Abdenago Dan. 3. v. 22. in accusatoribus Danielis, Dan. 6. v. 24. in infensissimo Mardochæi hoste Haman, Esther 7. v. 10.

Paries dealbate. Apostolica & Prophetica autoritate hypocrisin Ananiæ exprobrat eâdem locutionis figurâ quâ illam Christus Mat. 23. v. 27. Scribis ac Pharisæis exprobravit, cùm pœnas divinitùs illis immittendas prædixit. Prophetarum est liberè objurgare quorumlibet vitia atque peccata, ut videre est 1 Reg. 18. v. 18. 2 Reg. 3. v. 13. Jer. 1. v. 10, 17 & 18. Ezech. 3. v. 8 & 9. *Paries dealbatus*, inquit Aug. in Ps. 103. *foris tectorium, intùs lutum.* Theophylactus ad hunc locum, τοῖχον κεκονιαμένον αὐτὸν καλεῖ, &c. *Vocat illum parietem dealbatum, quia splendidum habebat aspectum, ut Legis vindex, & is, qui ex Legis præscripto judicaturum se profitebatur: mens verò iniquitate replata erat.* Verè & eleganter Seneca. Ep. 115. *Miramur parietes tenui marmore inductos, cùm sciamus quale sit, quod absconditur, oculis nostris imponimus: & cùm auro tecta perpendimus, quid aliud quàm mendacio gaudemus? Scimus enim sub illo auro fœda ligna latitare. Nec tantùm paritibus aut lacunaribus ornamentum prætenditur: omnium istorum, quos incedere altos vides, bracteata felicitas est: inspice, & dijces sub ista tenui membrana dignitatis quantum mali lateat.*

Et *tu.* Inter Synedrii Senatores.

Sedes judicans secundum Legem. Hoc est, ut secundum Legem judicialem in libris Mosis cœlitùs præscriptam judices. *Manebat*, inquit Grotius, *Lex judicialis, quamdiu manebat Hebræorum Respublica, & secundum eam judicare tenebantur Hebræi judices intra eos cognitionis limites quos Romani ipsis concedebant.*

Et *contra Legem.* Judicii processum ab exequutione incipiens iniquè, cùm Lex præcipiat justè quod justum est persequi, & iniquitatem in judicio non committere, Lev. 19. v. 15. Deut. 1. v. 16. & cap. 16. v. 18, 19 & 20.

Jubes. Barbaricâ feritate, atque tyrannico furore in Christianismum percitus.

Me. Indictâ causâ.

Percuti. Contumeliosè videlicet in os.

4. *Et qui astabant.* Forsan illi ipsi, qui jussi erant à summo Pontifice Anania Pauli os cædere.

Dixerunt. Pontificis honori velificantes.

Summum Sacerdotem Dei maledicis? Id est, Quem Deus divino cultui præesse voluit, tu, maledice conviciator, hypocritam, seu parietem trullissatum atque dealbatum appellas.

5. *Nesciebam.* Aliquandiu extra Hierosolymam versatus. Aliis *nesciebam* idem esse videtur quod *non cogitabam*, subitâ videlicet animi perturbatione commotus, dum me Ananias immerenter in os percuti jussit.

Quia Princeps est Sacerdotum. Id est, quod hic Ananias nunc sit Pontifex maximus. Constat ex Josephi 20 Antiq. 6 & 7. tantam tunc temporis fuisse anarchiam Hierosolymis, ut in diem pro Romanorum imperitantium arbitrio Pontifices maximi mutarentur, & alii aliis substituerentur. *Quâ confusione*, inquit vir undequaque doctissimus Heinsius, *ut nihil sædius, ita nihil justius, postquam factione summorum quoque Sacerdotum & mendaciis damnata Veritas, damnata Patrum spes, damnatus esset summus omnium Sacerdos.*

Scriptum est enim, &c. Q. d. Si enim resciviſſem sive reminiscendo recognovissem maximè ambulatoriam Pontificis maximi dignitatem in hunc Ananiam Nebedæi filium fuisse collatam, utique ejus hypocrisin non tam asperè redarguissem, ut verba mea pro maledicto & convicio haberi possent; Scriptum est enim Exod. 22. v. 28. *Principi populi tui non maledices*: Hoc est, ne maledicta conjicias in vitam illius, qui in populo tuo locum autoritatémque principem tenet.

6. *Sciens autem Paulus quia una pars.* Eorum scilicet ex quibus magnum constabat Synedrium.

Esset Sadducæorum. De his & Pharisæis vide quæ adnotavimus in explicatione nostra literali ad Mat. 3. v. 7.

Et altera Pharisæorum. Istæ sectæ alioqui à se dissidentes, ad oppugnandum Jesum Christum opprimendósque ejus discipulos conspirabant. Paulus igitur quum animadverteret eos iniquè ad se damnandum conspirare, prudenter citra veritatis injuriam inter eos jecit pomum Eridos, seu discordiæ.

Exclamavit in Concilio. Ut ab omnibus Synedrii Senatoribus universáque adstante multitudine exaudiretur.

Ego Pharisæus sum filius Pharisæi Vel ut quædam exemplaria habent, *Phariseorum.* Q. d. Ego jam inde a meis majoribus ex specialibus Pharisæorum placitis vitam instituí. Vide infrà cap. 26. v. 5. & Philip. 3. v. 5.

De spe. Præmii quod accepturi sunt justi in altero seculo, quod Hebræi ideircò vocant *seculum mercedis.* Nam tunc unusquisque accipiet mercedem suis factis consentaneam. Id nègabant Sadducæi, qui nullas post hanc vitam pœnas esse præmiáque nulla contendebant.

Et

Et resurrectione mortuorum. Quos olim ad vitam revocatum iri Sadducæi veteres pariter negabant.

Judicor. Id est, in judicium vocor.

7. *Facta est dissentio inter Pharisæos & Sadducæos.* Dum illi sententiam de mortuis ad vitam revocandis à Paulo prolatam comprobarent, isti verò eandem improbarent.

Et soluta est multitudo. Tum Senatorum, tum adstantium, dum alii à Pharisæis, alii à Sadducæis stabant.

8. *Sadducæi*, &c. Q. d. Dissidebant autem inter se atque discordabant Pharisæi ac Sadducæi, quòd cùm Sadducæi vitâ functos ad vitam unquam revocandos negarent, contenderéntque Angelorum & Spiritualis sive incorporeæ substantiæ nullam esse naturam, sed Angelos & Spiritum denominari vel motus, quos Deus hominibus aspirat, vel quas ipse edit virtutis suæ demonstrationes, Pharisæi contrà & futuram mortuorum resurrectionem, & dari Angelos ac Spiritus sive substantias à corpore secretas acerrimè propugnabant.

Neque Spiritum. Quidam hoc restringunt ad Spiritum hominis, seu animam, quæ etiam alibi vocatur *Spiritus*, ut suprà cap. 7. v. 59. Mat. 27. v. 50. Luc. 23. v. 46. Heb. 12. v. 23. *Hanc*, aiunt, *Sadducæi non substantiam aliquam Spiritualem, quæ separata à corpore possit subsistere, sed tantùm quandam corporis atque humorum ejus crasim, & temperamentum esse, ideòque homine moriente cum corpore corrumpi & evanescere atque interire opinabantur.* Alii per *Spiritum* hoc loco intelligunt Spiritum-sanctum, ut Jo. 3. v. 5. 4. v. 24. Rom. 1. v. 4. 8. v. 14. 15. v. 19. 1 Cor. 3. v. 4. Certe Epiphanius hæresi 14 de Sadducæis ita scribit, πνεῦμα δ' ἅγιον οὐκ εἴσασιν, οὐ γὰρ εἰσὶ τούτου ἠξιωμένοι, *Spiritum autem sanctum ignorant non enim hoc digni sunt.* Et Theophylactus enarrans hæc verba versus mox sequentis, *Quid si Spiritus locutus est ei, aut Angelus?* δῆλον ὅτιν, inquit, ἢ διὰ πνεύματος, ἁγίου, ἢ δι' ἀγγέλου κατηχηθεὶς τὴν τῆς ἀναστάσεως λόγον: *Certum est, quod aut per Spiritum sanctum, aut per Angelum de resurrectione doctus sit.* Josephus Scaliger, quemadmodum *Angelus* in hoc versu indefinitè pro omnibus angelis ponitur, ita *Spiritum* quoque indefinitè accipiendum docet. *Angelus* enim species est, *Spiritus* genus, quatenus sub eo angeli continentur. *Sensus Lucæ*, inquit eruditissimus Scultetus, *secundum Scaligerum erit: Tantùm abest, ut Angelum credant, ut ne Spiritum quidem ullum. Hæc sententia proculdubio verissima est. Nam qui Deum ipsum corporeum esse, dicebant, ut scribit Nicolaus Act.* 13. *& Theophylactus*, οὐκ εἴσασι Σαδδουκαῖοι τάχα οὐδὲ τὸν θεὸν, παχεῖς τινες ὄντες, hoc est, forsitan ne Deum quidem norunt, utpote crassiores: *Consequens est, eos omnem Spiritualem creaturam negasse.* Notatum à Theodoro Beza ne nunc quidem deesse inter Judæos, quos non pudeat dicere angelos esse

esse causas naturales Dei jussa vel bona vel mala effecta producentes.

Pharisæi autem utraque confitentur. Futuram nempe mortuorum resurrectionem, & Angelos, animámque humanam sive substantiam spiritualem seperatim à corpore subsistere. Quia Angeli, qui sunt species Spiritûs, sive substantiæ incorporeæ, animáque humana sub eodem genere continentur, una confessio fuisse videtur, Angelorum ac animarum sive substantiæ à corpore separatæ fateri subsistentiam.

9. *Factus*, &c. Q. d. Profuso autem concitatæ multitudinis clamore, illi Rabbini seu Legis Doctores ac interpretes qui Pharisaicam sententiam sectabantur, è sedibus suis consurgentes, ex odio adversæ sectæ Sadducæorum integritatem Pauli atque innocentiam pro virili parte defendebant.

Quidam Pharisæorum. Gr. ὁι γραμματεῖς τοῦ μέρους τῶν φαρισαίων, *Scribæ Partis Pharisæorum.* Erant quippe alii Scribæ seu Legis Doctores qui Sadducæorum placitis adhærescebant.

Pugnabant. Id est, adversus Sadducæos contendebant.

Nihil mali invenimus in homine isto. Paulo nimirum in judicium vocato.

Si Spiritus. Id est, substantia aliqua incorporea. Vel, ut Theophylacto placet, Spiritus-sanctus.

Locutus est ei. Hoc est, revelavit ei aliquid de resurrectione.

Aut Angelus. Gr. additur, μὴ θεομαχῶμεν, *ne Deo repugnemus*, contemnentes videlicet Angelum ipsius nomine scripsis divinitùs inspiratis consentanea locutum. *Hic*, inquit Beza, *videtur nomen* Angeli, *ut magis usitatum, additum esse ad explicandum* Spiritus *nomen.*

10. *Magna dissensio.* Id est, acerrima contentio Pharisæorum & Sadducæorum de Pauli innocentia.

Timens Tribunus ne discerperetur Paulus ab ipsis. Inter se rixantibus.

Jussit milites. Id est, militum manum.

In castra. Ut in locum à Pharisæorum ac Sadducæorum inimicissimè atque infestissimè contendentium vi tutum.

11. *Assistens ei Dominus.* Id est, Paulo inopinanti cœlitùs apparens Jesus, cui data est omnis potestas in cœlo ac in terra.

Ait, Constans esto. Id est, confide animo & spe.

Sicut enim testificatus es de me in Jerusalem, &c. Q. d. Ut enim coram Judæis pridie de me meáque gloria cœlesti testimonium perhibuisti in Judææ metropoli Hierosolyma, longè clarissimâ urbium Orientis, ut narratum est suprà cap. 22. v. 6 & seqq. ita te oportet idem testimonium perhibere in celeberrima urbe Italiæ Roma, quæ modò in plurimas regiones Europæ, Asiæ & Africæ protulit imperium. *Hinc*, inquit

Cl.

ct. Lightfoot, *licentia & intimatio Paulo appellandi Cæsarem. Ratus erat Judæo appellare tribunal ethnicum, & dirum malitiæ ventum sapuit, quòd Synedrium Salvatorem traderet judici gentili: Paulus igitur, cùm nullum evadendi modum videret aut locum, ex hac ipsone edocetur quid agendum.*

12. *Factâ autem die.* Quum verò subsequens noctem illam, quâ hæc Paulo dixit Jesus, dies exorta esset.

Collegerunt se quidam ex Judæis. Id est, initâ conspiratione convenerunt quidam ex Judæis præsertim Sadducæis Pauli adversariis acerrimis.

Et devoverunt se. Diris videlicet si vel ederent vel biberent antequam Paulum, quem nefarium rebantur Legis divinæ deserorem, neci dedissent. Formula autem hujusmodi *devotamenti*, ut Tertulliano dicitur, erat vindictæ divinæ imprecatio solemnis his aut similibus verbis, *Hæc faciat mihi Deus & hæc addat*, 1 Sam. 14. v. 44. 20. v. 13. 25. v. 22. 2 Sam. 3. v. 8 & 3c. 19. v. 13. &c. Acta Sanctorum Valeriani & Tiburtii num. 14. *Tunc Maximus devotabat se, dicens, Fulmineis ignibus percutiar, si,* &c.

13. *Hanc conjurationem fecerant.* De interficiendo Paulo priusduri quidquam vel bibituri essent.

14. *Principes Sacerdotum.* Id est, Sacerdotalium familiarum.

Et Seniores. Id est, & quosdam ex ceteris magni Synedrii Senatoribus.

Devotione devovimus. Hebraismus, id est, nosmetipsos imprecatione solemni devinximus. Hujusmodi solemnes vindictæ divinæ imprecationes ὅρκους φοικώδεις *juramenta horrenda* nuncupat Josephus.

Nihil gustaturos. Cibi videlicet vel potionis.

Donec occidamus Paulum. Aderat tempus, quo qui Christi discipulos interimerent, gratum Deo sacrificium se offerre arbitrarentur, ut Christus ipse prædixerat Jo. 16. v. 2.

15. *Nunc ergo vos.* Qui hîc adestis primarii Sacerdotes, & magni Synedrii Senatores.

Notum facite Tribuno. Vos nimirum ab ipso optare.

Cum Concilio. Id est, non vos soli, sed unà cum collegis vestris indicate Tribuno non privato quorundam studio, sed ex totius magni Synedrii voluntate ab ipso peti.

Ut producat illum ad vos. Gr. additur, αὔριον, *cras.* Id est, ut Paulum è castris, seu ex arce quæ fertur dicta Antonia in conclave in quo Synedrium habetur ad vos cras deduci jubeat, sicut fecit suprà cap. 22. v. 30.

Tanquam aliquid certiùs cognituri de eo. Id est, quasi ea quæ ad Paulum spectant exploratiùs percipere & cognoscere optetis. Solebat reus per intervalla temporum sæpiùs audiri,

sive

sive quòd judices novi aliquid de eo resciverint, sive ut explorarent an sibi constaret.

Nos verò priusquam appropiet. Ad vestrum conclave.

Parati sumus interficere illum. Id est, in via illum interficiemus, ne vos cædis argui possitis. Ita homines sanguinarii stulto zelo correpti rentur sibi licere in dissentientes à se grassari per mendacia & per cædes violentas, atque ita produnt se esse Diaboli mendacis & homicidæ filios, secundum dictum Christi, Jo. 8. v. 44.

16. *Quòd*, &c. Q. d. Quum autem filius sororis Pauli audisset paratas vitæ avunculi insidias, perrexit ad castra seu arcem Antoniam, ubi ipsius avunculus Paulus asservabatur, eidémque nuntiavit quid infesti hostes adversus eum struerent ac molirentur.

17. *Adolescentem hunc abduc ad Tribunum.* Paulus prudenter curavit istam contra se initam conjurationem detegi Tribuno, à quo sperabat instans sibi ab adversariis periculum pro æquitate Romana propulsatum iri. Hinc apparet piis quantumvis divinæ tutelæ confisis, licere tamen honesto hominum officio ac ministerio pericula amoliri.

18. *Et ille quidem.* Centurio à Paulo advocatus.

Assumens eum. Id est, assumtum filium sororis Pauli.

Duxit ad Tribunum. Æquæ & honestæ postulationi Pauli concedens.

19. *Apprehendens autem Tribunus manum illius.* Id est, arreptâ manu adolescentis, qui erat filius sororis Pauli, ut facere solent, qui aliquem in locum secretiorem seducere atque privatim alloqui volunt.

20. *Ille autem.* Adolescens in locum secretiorem seductus.

21. *Tu verò ne credideris illis.* Hoc est, ne patiaris tibi persuaderi ab illis ut eorum postulationi concedas.

Et nunc parati sunt. Paulum in via è custodia ad Synedrii conclave per insidias interficere.

Expectantes promissum tuum. Q. d. Neque enim dubitant quin tu illis promissurus sis te facturum quod à te sunt petituri ut nimirum è custodia ad Synedrii conclave Paulum deduci jubeas.

22. *Præcipiens*, &c. Vult secretum sibi indicatum celari Tribunus, ne Judæi rescirent suam de interficiendo Paulo conjurationem esse patefactam atque aliud consilium de eo necando inirent. In arcanis magni refert ut silentio premantur ne divulgentur.

23. *Parate milites ducentos.* Nempe pedites.

Ut eant usque Cæsaream. Ad mare Mediterraneum sitam, de qua suprà cap. 8. v. 40. 10. v. 1. 12. v. 19. 18. v. 22. 21. v. 8.

Lancearios.

Lanctarios. Gr. δεξιολάβους, *dextram tenentes*, id est, stipatores, qui dextrum latus alicujus muniunt, vel qui dextrâ prehendunt eos qui prehendi jubentur, aut qui dextrâ tantùm manu arma sumunt, & gerunt non etiam sinistrâ sicut armati solent, ut isti fuerint hastati. Syrus legisse videtur δεξιοβόλους, *dextra jacientes*, quales fuisse traduntur, levis armaturæ milites qui missilia non arcu aut fundâ sed manu mittebant.

A tertia hora noctis. Id est, tribus horis ab occasu solis elapsis; ut id non apertè sed clam & occultè fieret, atque ita latere Judæos Pauli adversarios.

24. *Ad Felicem Præsidem.* Id est, Judææ Procuratorem vicè Præsidis. Hic Claudii Cæsaris libertus primò Samariæ tum non ita multò pòst, Ventidio Cumano Galilææ & Judææ Procuratore in exilium projecto, eisdem quoque provinciis Judææ & Galilææ à Claudio Imperatore præfectus fuit, illúdque procuratorium munus & sub Nerone Claudii successore tenuit, donec Porcius Festus in ejus locum sufficeretur. Joseph. 20. Antiq. 5, 6 & 7. & de bello Jud. lib. 2. cap. 11 & 12. *Per omnem sævitiam ac libidinem, jus regium servili ingenio exercuit, Drusillâ Cleopatræ & Antonii nepte in matrimonium acceptâ, ut ejusdem Antonii Felix progener, Claudius* (ex filia) *nepos esset*, inquit Tacitus hist. lib. 5. Tres regia de stripe creatas uxores successivè duxit, ut indicat Suetonius *trium Reginarum maritum* Felicem in Claudii vita appellans. Josephus & Suidas eum nominant Claudium Felicem, prænomine indito à Claudio Cæsare, qui eum è servo libertum fecerat. Tacitus ei prænomen dat Antonium à Claudii matre Antonia, cui servierat. Hujus Felicis frater Pallas ante ipsum à Claudio Cæsare libertus factus, omnia apud eundem Claudium potuisse, Crassóque fertur fuisse ditior vicies & quinquies centenis millibus. Vide Plin. l. 33. cap. 10. Tacit. Annal. lib. 12. Plin. Jun. 8. epist. 5.

Timuit enim, &c. Quæ hic adduntur in plerisque Latinis codicibus vulgatæ editionis, absunt à Græcis exemplaribus.

Tanquam accepturus pecuniam. Hoc est, quasi promissâ sibi à Pauli adversariis pecuniâ, civis Romani saluti prospicere neglexisset.

25. *Scribens*, &c. Q. d. Scriptâ ad Felicem Procuratorem epistolâ hoc tenore.

26. *Optimo.* Solitum dignitatis titulum Magistratui tribuit, quo compellari solebat. Vide dicta suprà cap. 1. v. 1. ad hæc verba, *O Theophile.*

Præsidi. Præsidis nomen, quod ἡγεμόνα plerumque Græci vertunt, generale est, quo quivis provinciarum magistratus

&

& rectores appellabantur, maximè verò qui eis præerant cum potestate animadvertendi gladio. Hæc potestas ferè dabatur Procuratoribus minorum provinciarum, licèt eorum proprium esset officium, τὰ αὐτοκρατορικὰ χρήματα διοικεῖν, *Imperatoris pecunias administrare*, ut Dio loquitur. Tales Procuratores dicuntur, *vice & partibus Præsidis fungi*.

Salutem. Gr. Χαίρειν, *gaudere*. Vide adnotata suprà ad cap. 15. v. 23. Horatius lib. 1. epist. 8. Celso Albinovano hæc Græcorum salutationis formulà prospera precatur.

Celso gaudere & benè rem gerere Albinovano.

27. *Virum hunc.* Paulum videlicet, quem ad te mitto.

Comprehensum à Jud eis. Tumultuosè.

Et incipientem interfici ab eis. Hoc est, præsentíque neci ab eis destinatum.

Cognito quia Romanus est. Atqui non propterea Paulum ipsi necem molientibus Judæis eripuerat, quum demùm postquam eum vinciri & abripi ad quæstionem jussisset, resciverit illum esse civem Romanum, ut videre est suprà cap. 22. v. 25, 27 & 28. Dissimulat ergo Tribunus id de quo reprehendi jure potuisset, & à veritate deflectens laudem suam quærit, *nisi*, inquit Beza, *post autèm adscripto puncto legas*, μαθὼν δὲ ὅτι Ῥωμαῖός ἐστι βελόμενος γνῶναι, &c. *Edoctus verò tum Romanum esse, volens rescire*, &c. *Sed* pergit Beza, *nihil ausim aut etiam velim ex conjectura immutare.*

28. *Causam quam objiciebant illi.* Id est, crimen cujus eum postularent. Vide suprà cap. 22. v. 30.

29. *Quem*, &c. Q. d. Atque ita comperi nullum grande nefas vinculis coercendum & morte piandum Paulo ab adversariis objici, sed adulterinam Legis Judaicæ interpretationem in dogmatibus, quæ inter ipsos doctos Judæos controversa sunt & plena dissensionis.

30. *Cùm mihi perlatum esset de insidiis quas paraverant illi.* Id est, Paulo erant meditati. Indicatæ enim Tribuno fuere insidiæ, quum mente conceptæ solùm, nondum factæ essent, quippe postridie demùm effectui dandæ.

Missi eum ad te. Gr. additur, ἐξαυτῆς, *ex ipsa*, scilicet hora. Id est, confestim, sine dilatione Paulum Hierosolymis Cæsaream ad te vice Præsidis fungentem avehi jussi.

Denuncians & accusatoribus. Pauli nimirum.

Ut dicant. Quæ videlicet habent adversus eum.

Apud te. Superiorem Tribuno judicem.

Vale. Solemni epistolarum clausulà Tribunus Felici Procuratori bonam precatur valetudinem. Vide dicta suprà cap. 15. v. 29.

31. *Duxerunt per noctem.* Eandem nimirum, cujus horâ ter-

tertiâ iter Hierosolymis Cæsaream Tribuni jussu incœptum ab iis, qui Paulum ad Felicem Judææ, Samariæ & Galilææ Procuratorem erant deducturi.

Antipatridem. Cæsaream deduci debebat Apostolus jussu Tribuni suprà v. 23. Verùm quia Cæsarea illa maritima, quæ vulgò Cæsarea Palæstinæ nuncupatur & intra limites dimidiæ tribus Manasse continetur, Hierosolymis distabat triginta leucis, quæ unâ nocte confici non potuerunt, substiterunt primò Antipatride, quæ olim *Capharsaba* vocabatur teste Josepho 13 Antiq. 23. atque, ut nonnullis placet, eadem est cum oppido, quod *Capharsalama* nuncupatur 1 Mac. 7. v. 31. & Josephus 12 Antiq. 17. Docet nos Josephus 13 Antiq. 23. Antipatridem & Joppen intercedere stadia centum quinquaginta, id est, septemdecim millia passuum. Idem 16 Antiq. 9. ait hanc civitatem pulchritudine & amœnitate decoratam ab Herode magno in campo, qui Capharsaba vocabatur, in loco aquoso, & optima terra arboribus & fluvio circumdata fuisse ædificatam, & de nomine patris Antipatrida vocatam. Et de bello Judaico lib. 1. cap. 16. loquens de urbibus & ædificiis, ab Herode Magno instauratis & conditis, *Patris*, inquit Ruffino Aquileiensi interprete, *monumentum optimo regni campo civitatem condidit, fluminum arborúmque ditissimam, eámque Antipatridem nuncupavit.* Memoratur Antipatris ab Occasu Jordanis fluvii inter Judææ urbes Ptolemæo Geographiæ lib. 5. cap. 16. Quo itaque argumento, quáve autoritate Antipatridem vulgò dimidiæ tribui Manasse cisjordanicæ adscribant, eámque in medio ferè Samariæ sitam fuisse velint, nullus capio.

32. *Et posterâ die.* Illius videlicet noctis, quâ Paulus militum satellitio septus Antipatrida deductus est, cùm jam longiùs abitum esset Hierosolymis, ubi erant, qui de interficiendo Paulo conjuraverant.

Dimissis equitibus ut cum eo irent. Cæsaream. Adversus vulgaria itinerum pericula sufficiebat equestre præsidium.

Reversi sunt. Pedites ducenti gravioris armaturæ & totidem jaculatores.

Ad castra. Id est, ad turrim, quæ in angulo Occidentali & Boreali contiguo monti Moriæ, seu monti Templi Hierosolymitani à Maccabæis primùm structa, in Marci Antonii Triumviri gratiam ab Herode Magno *Antonia* dicta fuit, cùm priùs diceretur *Baris.* Vide Joseph. 15 Antiq. 14.

33. *Qui.* Equites nimirùm ad Paulum Cæsaream deducendum relicti.

Cùm venissent Cæsaream. Illam maritimam, in qua Felix vice Præsidis fungens residebat.

Et tradidissent epistolam. A Claudio Lysia Tribuno scriptam.

Præsidi. Id est, Felici partibus Præsidis fungenti. *Sta-*

Statuerunt ante illum & Paulum. Hoc est, stiterunt coram Felice & Paulum publicæ tutelæ beneficio factiosorum conspirationi subreptum. Patres in Concilio Africano cap. 83. *Quorum contra furorem possumus non insolita nec à Scripturis aliena imperare præsidia; quomodo Apostolus Paulus, sicut in Apostolorum Actibus fidelibus notum est, factiosorum conspirationum militari etiam submovit auxilio.*

34. *Cùm legisset autem.* Felix epistolam à Lysia Tribuno ad se scriptam.

Et interrogasset de qua provincia esset. Nempe Paulus.

Et cognoscens quia de Cilicia. Id est, & resciisset Paulum esse ex Cilicia, de qua diximus suprà cap. 6. v. 9.

35. *Audiam te, inquit, cùm accusatores tui venerint.* Ut accusatione ac defensione attentâ aure auditis judicium ferre possim.

In prætorio Herodis. Id est, quod Herodes ille Magnus qui Cæsaream instauravit, extrui jussit. *Prætorium*, inquit Cl. Grotius, *à Prætore Romano, id est, Imperatore nomen habet: Sed, ut fieri solet, cœpit proferri latiùs ejus vocis usus ad omnes domos virorum illustrium.* Prætorium alio nomine à Quintiliano *Augustale* dicitur. Apud rusticæ rei scriptores *Prætorium* pars est villæ, quam Dominus, siquando ruri sit, ipse solet inhabitare.

Custodiri eum. Nempe à militibus aliquibus, aut aliis custodibus, ne elaberetur. Paulus Cæsareæ in loco honorato, non in carcere custoditus fuisse videtur.

CAP.

CAP. XXIV.

1. *Post quinque autem dies.* Elapſos videlicet à Pauli Cæſaream advectu.

Deſcendit. Hieroſolymis Cæſaream.

Princeps ſacerdotum Ananias. De quo ſuprà cap. 23. v. 2.

Cum ſenioribus quibuſdam. Id eſt, Senatoribus magni Synedrii.

Et Tertullo quodam Oratore. Id eſt, ſummo cauſarum actore.

Qui adierunt Præſidem adverſus Paulum. Id eſt, Felici ſignificaverunt ſe Paulum reum peracturos.

2. *Et citato Paulo.* Ad judicium per præconem vel apparitorem.

Cœpit accuſare Tertullus. Id eſt, graviſſimè Paulum accuſabat Tertullus. In libris ſacris paſſim incipere aliquid facere dicitur, qui aliquid facit.

3. *Cùm in multa pace agamus per te,* &c. Q. d. Cum ſumma teſtificatione tuorum in nos meritorum omni tempore & omni loco profitemur mirificâ tuâ vigilantiâ & animi proviſione ſublata Judææ latrocinia, cædes multis locis repreſſas, ac pacem totâ, cui præes, provinciâ eſſe conſtitutam. Felix quidem iſte Eleazarum inſignem prædonem, & Ægyptium illum impoſtorem, de quo ſuprà cap. 21. v. 38. maximo Judææ commodo unà cum ipſorum copiis delevit, ut narrat Joſephus 20 Antiq. 6. Sed avarè alioqui & crudeliter Judæam adminiſtravit, ſummum Pontificem Jonatham Annæ filium, quod ab eo liberiùs increparetur, interfecit per ſicarios, quibus etiam in alios Judæos impunè graſſari permiſit, uti loco mox laudato teſtatur idem Joſephus. Atque ita conductitius Tertullus aſſentatione immodicâ gratiam Felicis aucupatur.

Multa corrigantur. Gr. additur, τῷ ἔθνει τούτῳ, *genti huic.* Q. d. Perinfignes, quæ in hanc gentem irrepſere pravitates & corruptiones à te ſummâ tum virtute tum felicitate emendentur, ac in melius reſtituantur.

Suſcipimus. Id eſt, profitemur.

Optime Felix. Felicem compellat uſitato Magiſtratuum & in dignitate poſitorum vocabulo. Hinc & iidem *Optimates* dicuntur.

4. *Ne diutiùs autem te protraham* Q. d.

——— *Ne te longis ambagibus ultra.*
Quàm satis est morer.
——— *Ne te sermone molesto*
Nève per ambages & longa exorsa retardem.
——— *Ne in publica commoda peccem*
Si longo sermone morer tua tempora.

Ovo. Te multis negotiis districtum.

Breviter. Id est, paucis verbis capita accusationis nostræ in Paulum institutæ expedituros.

Ut audias nos. Aure non aversâ. *Prima Oratoris impetratio est in mala causa audiri meruisse,* inquit Donatus ad Terentium.

Pro tua clementia. Id est, quâ soles comitate & facilitate. Facilitas in audiendo judicem maximè commendat. Cicero ad Q. fratrem Bithyniæ Proconsulem, *Adjungenda est etiam facilitas in audiendo, lenitas in discernendo.*

5. *Invenimus.* Atque deprehendimus.

Hunc hominem pestiferum. Sæpè Oratores *pestem* vocant eum, qui perniciosiùs de Republica meretur. Sed iste rabula ore rabido ita vocavit Paulum omnes ad recessum à vitiis pestiferis, & accessum ad salutares virtutes ardentiùs cohortantem. Ita hodierno sermone *pestes* & *pestiferi* benè multi vocantur, qui falsò hæreticæ pravitatis ignominiâ notantur, quòd doctrinas & mandata hominum in rebus ad fidem ac cultum divinum spectantibus abjiciant ut uni saluberrimæ in sacris paginis traditæ doctrinæ adhæreant.

Et concitantem seditionem omnibus Judæis in universo orbe. Fallaciter insimulant Paulum seditionis concitatæ in omnibus regionibus, per quas Judæi erant dispersi. Sed ita fieri solet, ut veritas cum hominum receptis opinionibus & consuetudinibus pugnans, dum ab hominibus quidvis sibi licitum putantibus, modò zeli fucum obtendant, non suscipitur, sed vehementissimè oppugnatur, ingentes tumultus perniciosásque seditiones concire videatur. At isti ipsi Judæi Paulum falsò criminantes apud Felicem, passim in Paulum seditiones concitabant, ut videre est suprà cap. 9. v. 23. 13. v. 50. 14. v. 5. 17. v. 5 & 13. 18. v. 12. 21. v. 30 & 31. Hic libet usurpare illud Juvenalis Sat. 10.

Quis tulerit Gracchos de seditione querentes?

Et autorem seditionis. Gr. Πρωτοστάτην, *principem.* Id est, ducem & signiferum ceterorum religionem Jesu Nazareni profi-

ten-

tentium. Sic Cyprianus Carthaginenſis Antiſtes, eáque ætate Chriſtiani nominis in Eccleſia Africana Anteſignanus in ſententia Proconſulari adverſus eum lata dicitur, *autor iniqui nominis & ſignifer.*

Sectæ Nazarenorum. Gr. ἡ αἵρεσις Ναζωραίων διάφορος, *hæreſis Nazaræorum.* Id eſt, eorum, qui Chriſtianorum ſectam ſequuntur, ſeu hæreſim ampleƈtuntur. Hæreſes ſunt, definitore Tertulliano, *Doƈtrinæ hominum & Dæmoniorum, prurientibus auribus nata. Hæreſis* in univerſum dicitur, quæ à quoque electa eſt animi ſententia & opinio, ſive à nobis ipſis illa ſit inventa, ſive ab alio accepta: uſus tamen, maximè apud Chriſtianos, effecit ut hæc vox media plerumque in malam partem acciperetur, nimirum pro electione perverſi falſíque dogmatis verbo Dei planè & omninò repugnantis. Vide ſuprà cap. 5. v. 17. Gal. 5. v. 20. & 2 Pet. 2. v. 10. Judæi ergo Chriſtianorum doƈtrinam Legi ac Prophetis conſentaneam ut hæreticam ac perverſam abominabantur, quòd à fide Eccleſiæ publicæ, quæ tunc Dei eſſe cenſebatur, abhorreret. Sic & hodie qui unius Chriſti ſequuntur inſtituta, hæretici audiunt, ſi receptos conſuetudine vulgarium Chriſtianorum errores aſpernentur & reſpuant. Porrò, ut benè advertit Cl. Ludovicus de Dieu, *quòd* Ναζωραῖος *ſive* Ναζαρηνὸς *dictus fuerit Chriſtus, ejuſque aſſeƈlæ* Ναζωραῖοι, *non ex errore vulgi, Nazarethæ natum eum opinantis, neque ex impiorum ludibrio, id ipſi contumeliæ eſſe exiſtimantium, originem primam traxit, ſed ex ipſius Dei conſilio & voluntate, ipſorúmque piorum uſu. Conſilium Dei patet Mat.* 2. *v.* 23. *ubi Joſeph cum puero Jeſu ex Ægypto reverſus, jubetur Nazarethæ habitationis ſedem figere, ut ſecundum monita Prophetarum Nazarenus diceretur. Et placuiſſe piis nominis iſtius uſum, liquet ex Jo.* 1. *v.* 45. *Act.* 2. *v.* 22. 3. *v.* 6. *&* 4. *v.* 10. *Quin & ipſe Chriſtus ſe ita nuncupat Act.* 22. *v.* 8. *Glorioſiſſimum ſcilicet ipſi hoc erat nomen, quo declarabatur eſſe* הַנֹּצְרִי, ſurculus ille, *per Prophetas promiſſus, qui in urbe* נֵצֶר ſurculus *dicta educatus, atque inde ad muneris functionem productus, multos* נוֹצְרִים, Nazaræos, *id eſt,* è ſurculo oriundos *protulit. Nec eſt quod dicas* ζ *in* Ναζωραῖος *poſtulare ut à* וְזִיר *deducatur potiùs quàm à* נֵצֶר. *Uſitatum enim eſt* צ *in* ז *permutare, ut pro Heb.* צַדִּיק juſtus, *dicunt Syri* זַדִּיק. *Pro* צֵדָה, *unde* צֵירָה viaticum, *Syri* זָדָא, viaticum dedit, זָרָא viaticum. *Pro* צָעִיר parvus, *Syri* זָעוּרָא.

6. *Qui etiam Templum.* Hieroſolymitanum ab Herode conſtructum, quod magnitudine & magnificentiâ Salomonicum excedebat.

Violare conatus eſt. Id eſt, profanum facere tentavit alienigenas inducens intra ſeptum illud lapideum, quod in tres

cubitos sublatum habet columnis inscriptum, Μὴ δεῖν ἀλλόφυλον ἐντὸς τοῦ ἁγίου παρεῖναι, *in locum sanctum transire alienigenam non debere.* Joseph. 6. Bel. Jud. 6. Mentita autem & falsa, plenáque erroris erat hæc insimulatio, ut videre est suprà 21. v. 28 & 29.

Quem & apprehensum. At seditioso ac tumultuoso impetu. Vide suprà cap. 21. v. 17 & 30.

Voluimus secundum Legem nostram judicare. Palàm mentiuntur cùm contra jus fásque Paulo injudicato vitam eripere voluerint Judæi, ut videre est suprà cap. 21. v. 31.

7. *Superveniens autem Tribunus Lysias.* Hierosolymis residens cum militum Romanorum cohortibus.

Cum vi magna. Id est, acri violentiâ.

Eripuit eum de manibus nostris. A relegatione Archelai Viennam Allobrogum sub Augusto ad illud tempus, quo Claudius Cæsar Judæam regno Senioris Agrippæ addidit, & ab ejusdem Agrippæ obitu ad Jerosolymorum usque excidium, Judæa erat in provinciam redacta, & Syriæ attributa, atque per Procuratores Româ missos administrata, penes quos Procuratores erant judicia capitalia, Synedrio Judæorum sublata, ut ipsi Judæi expressis verbis Pilato Christi dimittendi occasionem quærenti responderunt Jo. 18. v. 31. Habuerunt tamen Judæi generalem Romanorum permissum occidendi alienigenam, qui intra Templi septa intrasser. Habuerunt etiam jus verberibus coërcendi reos gentis suæ, ut apparet Mat. 10. v. 17. Act. 5. v. 48. 2 Cor. 11. v. 24. Quin & jus cognoscendi & statuendi de quovis inter eos capitalis criminis reo; alioquin Romano Magistratui causam reddere, cur aliquem occidi postularent, non potuissent. Sic apud Romanos inquisitores quibus Prætor cognitionem alicujus causæ demandabat, statuere potuerunt, reus aliquis esset, annon; sed ultimam sententiam ferendi jus penes Prætorem erat. Siqui verò aliquando à Judæis citra Romani Magistratus consensum mortis supplicio fuerunt affecti quamdiu Judææ res per Præsides seu Procuratores Roma missos fuere administratæ, factum est plebeio tumultu, etsi subinde præcesserat quoddam Synedrii præjudicium, quo mortem commeriti declararentur.

8. *Jubens accusatores ejus.* Id est, Pauli.

Ad te venire. Qui nimirùm Judææ Procurator es vice Præsidis.

A quo. Nempe Paulo ipso.

Poteris. Quâ es sagacitate in rebus dijudicandis.

Ipse judicans. Id est, diligenter & severè inquirens in accusationis capita breviter commemorata.

De omnibus istis cognoscere. Id est, manifestò comperire.

9. *Ad-*

9. *Adjecerunt autem.* Calculum videlicet album falsæ criminationi, quâ Tertullus Orator in Paulum innocentem usus est. Mos erat antiquis, cùm Orator quispiam suo & comitum nomine causam egerat, ut se ipsius astipulatores profiterentur. Virg. Æn. 1.

Talibus Ilioneus, cunctis simul ore fremebant
Dardanidæ.

Judæi. Nempe Ananias & Senatores, de quibus suprà v. 1.
Dicentes hæc ita se habere. Id est, affirmantes nihil falsi dictum à Tertullo.

10. *Respondit autem Paulus.* Ore proprio repulsurus adversariorum malitiosas & mendaces per advocatum in se allatas criminationes.

Annuente sibi Præside dicere. Id est, potestate loquendi ei factâ à Felice, qui non nisi utràque parte auditâ sententiam ferre volebat.

Ex multis annis te esse Judicem genti huic sciens. Q. d. Certus te esse Judaicarum rerum peritum, cùm jam à multis annis Judææ præfueris. *Decimum gubernationis illius annum tum agebat Felix*, secundum Armachanum Antistitem undequaque doctissimum Usserium. Vide quæ adnotavimus suprà cap. 23. v. 24. *Judex* autem vocatur à Paulo Felix Judææ, Samariæ & Galilææ Procurator, ex Hebræorum loquendi consuetudine, quâ quemvis rectorem, maximè verò vitæ ac necis potestate præditum *judicem* dicunt. Sic olim qui ante Reges constitutos in populum Israeliticum summam nacti erant potestatem, vocati sunt *judices*. Et שפט, *judicare*, Hebræis est regere.

Bono animo. Id est, audacter & liberè.

Pro me satisfaciam. Id est, innocentiæ præsidio me calumniosis criminibus infectatum pro virili defendam.

11. *Potes enim cognoscere.* Id est, comperire testibus.

Quia non plus sunt mihi quàm dies duodecim. Exacti ad hunc usque diem, quo nunc apud te causam dico.

Ex quo ascendi adorare in Jerusalem. Id est, ex quo ab hac urbe maritima Cæsarea profectus Hierosolymam adveni, festum Pentecostes ibi celebraturus, Deúmque cum ceteris Judæis in Templo augustè sanctéque veneraturus. Duodecim omnino dies à Pauli adventu Hierosolymam, ad eum usque diem, quo missi à Lysia equites ipsum Cæsaream coram Felice stiterunt, comperiuntur, illis suppurtatis ex cap. 21. v. 17, 18 & 26. cap. 22. v. 30. cap. 23. v. 12 & 30 cap. 24. v. 1.

12. *Et neque in Templo*, &c. Q. d. Non modò diebus adeò paucis quos ego peregrinus & advena Hierosolymis transegi,

non potuit ibi à me concitari talis seditio, qualis me falsò insimulant, verum etiam hujus criminis ne suspicio quidem in me convenit; neque enim quisquam, salvâ veritate dicere potest à me Hierosolymis, vel plebem alicubi ad tumultuosas conciones concitatam, vel occasionem tumultui cuipiam fuisse datam habitis aut in Templo, aut extra Templum in Synagogis seu Judæorum Scholis, aut in quovis alio urbis loco disputationibus.

13. *Neque probare possunt tibi*, &c. Q. d. Atque coràm in os accusatorum meorum dico nulla ipsis suppetere argumenta persuasibilia, quibus tibi demonstrare & ostendere possint vel probabile esse & quasi verisimile, aut seditionem à me fuisse excitatam, aut alienigenas in Templum deductos, utì me apud te nunc falsò accusant.

14. *Confiteor*, &c. Q. d. Agnosco autem & profiteor me illam Dei colendi rationem sequi, quam mei accusatores *hæreseos* vel *sectæ Nazaræorum*, sive *Nazarenorum* nomine infamant. Epiphanius Hær. 29. Πάντες Χριστιανοὶ Ναζωραῖοι τότε ἐκαλοῦντο. Γέγονε δὲ ἐπ' ὀλίγῳ χρόνῳ καλεῖσθαι αὐτοὺς Ἰεσσαίους, πρὶν ἢ ὅπι τῆς Ἀντιοχείας ἀρχὴν λάβωσιν οἱ μαθηταὶ καλεῖσθαι Χριστιανοί. *Tunc omnes Christiani* Nazaræi vocabantur. *Contigit autem ut modico tempore appellati sint* Jessæi, *priusquam Antiochiæ inciperent Discipuli vocari* Christiani. Aurelius Prudentius Clemens περὶ στεφάνων Hymno quinto Datianum inducit Christianos sic alloquentem:

Vos Nazareni adsistite,
Rudémque ritum spernite,
Hæc sacra, quæ Princeps colit,
Placate fumo, & victimâ.

Sectam. Gr. Τὴν ὁδὸν, *viam.* Id est, religionem, seu divini cultus rationem.

Sic deservio Patri & Deo meo. Gr. Λατρεύω τῷ πατρῴῳ Θεῷ, *deservio Patrio Deo.* Id est, piè sanctéque colo Deum, quem Patres Abraham, Isaac, Jacob, & ceteri, à quibus ortum duco, Majores Israelitarum jam olim coluerunt. Pium hunc cultum Deo à se præstitum & alibi memorat Paulus, ut Rom. 1. v. 9. 2 Tim. 1. v. 3.

Credens omnibus. Sine ulla exceptione.

Quæ in Lege & Prophetis scripta sunt. Id est, quæ Moses eúmque secuti Prophetæ scriptis suis consignarunt. Vide infrà cap. 26. v. 22. Non ad traditiones aliquas incertas ore tenus propositas & per manus hominum non satis fidas posteris traditas Paulus provocat: sed Scripturam Sacram, ut certam normam,

normam, ponit pro fidei suæ fundamento. Athanasius de Synodis Ariminensi & Seleuciensi, Μάτην τρέχοντες περὶ προφασίζονται διὰ πίστιν ἠξιωκέναι γενέσθαι τὰς συνόδους· ἔστι μὲν γὰρ ἱκανωτέρα πάντων ἡ θεία γραφή. *Frustrà huc illuc cursitantes prætexunt, ob fidem convocatas esse Synodos: Scriptura enim divina omnibus sufficientior est.* Idem orat. contr Gentes, Αὐτάρκεις μὲν γὰρ οὖσιν αἱ ἁγίαι καὶ θεόπνευστοι γραφαὶ πρὸς τὴν τῆς ἀληθείας ἀπαγγελίαν. *Sufficiunt equidem sanctæ & divinitùs inspiratæ Scripturæ ad veritatis indicationem.* Idem ibid. Εἰ ἕτερα παρὰ τὰ γεγραμμένα λαλεῖν βούλεσθε, τί πρὸς ἡμᾶς διαμάχεσθε, τοὺς μήτε ἀκούειν, μήτε λέγειν παρὰ τὰ γεγραμμένα πειθομένους. *Si alia, præter ea quæ scripta sunt, loqui vultis, quid nobiscum, qui præter ea quæ scripta sunt, neque audire neque dicere quidquam sustinemus, pugnatis?* Eusebius Pamphili ad Philosophum in Actis Concilii Nicæni par. 2. cap. 19. Τοῖς γεγραμμένοις πίστευε, τὰ μὴ γεγραμμένα μὴ ἐννόει, μηδὲ ζήτει. *Illis, quæ scripta sunt, crede: non scripta neque consideres, neque quæras.* Chrysostomus Homil. de Pseudoprophetis tom. 7. Οὐδὲν ἔλειπεν, οὐδὲ παρεσιώπησε τῶν συμφερόντων ἡμῖν ἡ θεία γραφή. *Divina Scriptura nihil eorum, quæ nobis utilia sunt, omisit, neque tacuit.* Theodoretus q. 4. in Gen. Τολμηρὸν ἀπαφαντικῶς οἶμαι λέγειν, περὶ ὧν ἡ θεία διαῤῥήδην οὐ λέγει γραφή. *Temerarium mihi esse videtur, de iis aliquid pronunciare, de quibus S. Scriptura apertè nihil tradit.* Cyrillus lib. 2. Glaphyr. in Gen. Ὃ οὐκ εἴρηται ἡ θεία γραφὴ, τίνα δὴ τρόπον παραδεξόμεθα, καὶ ἐν τοῖς ἀληθῶς ἔχουσι καταλογιούμεθα; *Qui, quæso, illud, quod divina Scriptura non dixit, recipiemus, & inter vera numerabimus?* Vide adnotata suprà cap. 17. v. 11. & epistolam nostram Gallicè & Anglicè editam ad nobilissimum Armigerum Robertum Boyle, hominem omni doctrinâ & virtute ornatissimum.

15. *Spem habens*, &c. Q. d. Ipséque Deus incitat me spe non dubiâ ad generalem justorum & iniquorum resurrectionem expectandam, quam & ipsi plerique Synedrii Magni Senatores, qui me reum acturi huc venerunt, expectant futuram. Hinc colligere est Pharisæos à Sadducæis dissentientes, Paulúmque insontem pronuntiantes suprà cap. 23. v. 9. posteà cum illis in pristinam concordiam reductos fuisse, ut sceleratissimâ conspiratione mortem Paulo accelerarent. Fortè hæc concordiæ reconciliatio facta fuit ab illis viris, qui se diris devoverant, si ederent vel biberent, priusquam Paulum interemissent. Vide suprà cap 23. v. 12, 13, 14 & 15.

Resurrectionem futuram justorum & iniquorum. Inter Judæorum magistros unus est è veteribus Rabbi Eleazar Kapernaita, qui in פרקי אבות *capitulis Patrum* disertè docuerit

omnes omninò vitâ functos, sive justi, sive improbi fuerint, ad vitam esse revocandos. Verba ejus sunt, הילודים למות והמתים להחיות והחיים לדון *qui nascuntur, nascuntur ut moriantur, qui moriuntur, moriuntur ut revivisc ant, qui reviviscunt, reviviscunt ut judicentur.* Hanc generalem mortuorum resuscitationem ad judicium, ex quo alii ad æternam beatitudinem, alii ad perennes perpetuáſque pœnas sint deducendi, missis ambagibus docuit Christus Joan. 5. v. 28 & 29. Vide & 2 Cor. 5 v. 10. Et Apoc. 20. v. 12 & 13.

16. *In hoc.* Hebraismus, id est, propter hoc, nempe quia indubitata mihi spes est, fore ut omnes vitâ functi è mortuis excitentur, justi quidem ad vitam cœlestem, æternam, atque ab omni parte beatam, injusti verò ad pœnas ipsis à Deo justissimo judice infligendas, quod pertinaciter contemserint ipsius voluntatem sibi revelatam & iniquè injurii fuerint in veritatis & sanctimoniæ cultores. Vide 2 Thess. 1. v. 6 & 7. Apoc. 16. v. 5 & 6. 18. v. 20. 19. v. 1, 2 & 3.

Et ipse Studeo, &c. Q. d. Totâ mente omníque animi impetu in id incumbo, ut in religiosis civilibúſque officiis nunquam transversum unguem à recta conscientia discedam. His dictis indicat Paulus se insontem esse illius profanationis Templi & concitæ seditionis de qua falsò accusabatur suprà v. 5 & 6. Fidei veræ ac bonæ Christianus bonam adjungat conscientiam necesse est, ut providens honesta non tantùm coram Domino, sed etiam coram hominibus, 2 Cor. 8. v. 21. nullius possit facinoris inusto nefariis mentibus bonorum odio nisi fallacissimè postulari. Vide 1 Tim. 1. v. 19. & 1 Pet. 3. v. 16.

17. *Post annos autem plures.* Id est, postquam aliquot annos longè gentium abfui Hierosolymis.

Eleemosynas, &c. Q. d. Illuc reveni, non seditionem concitaturus, aut Templum profanaturus, sed per alias regiones collectâ stipe focillaturus populares meos egenos. Deóque in festo solemni Pentecostes victimas legitimo ritu oblaturus.

18. *Et vota.* Nuncupata Domino redditurus. Hæ duæ voces in textu Græco non leguntur.

In quibus. Id est, quibus rebus dum essem occupatus, ut infrà cap. 26. v. 12..

Invenerunt me purificatum. Id est, voto Naziræatûs obligatum ad vini aliarúmque rerum Naziræis interdictarum abstinentiam. Vide suprà cap. 21. v. 24 & 26.

In Templo. Cùm videlicet dies septeni Naziræa tui meo à me præfiniti jam essent explendi. Vide suprà cap. 21. v. 27.

Non cum turba. Id est, sine comitum caterva.

Neque cum tumultu. Hoc est, atque sine concursione turbulenta. Vide suprà v. 12. *Sequitur,* inquit Joannes Mariana,

in

in quibusdam codicibus, Et apprehenderunt me clamantes, & dicentes, Tolle inimicum nostrum. *Verùm hoc Græcè non est, neque in Vulgata Romana. Sic rejicitur.*

Quidam autem ex Asia Judæi Subintellige εἰσί, *sunt.* Vide dicta suprà cap. 21. v. 27.

19. *Quos.* Utpote autores facti in Templo in me impetûs.

Oportebat apud te præsto esse. Id est, par erat ut primarios actores coràm te in judicio comparere.

Et accusare siquid haberent adversum me. Quod nempe non sit crimen per calumniam & malitiam in me confictum.

20. *Aut.* Supple, ut horum Asianorum Judæorum, qui autores fuere impetûs in me facti, suspecta non sit à tuo tribunali absentia.

Hi ipsi. Qui nunc hîc ex Judæis adsunt adversarii mei Sacerdotes & Senatores, qui initio impetûs in me facti non aderant præsentes, sed illata mihi crimina ab aliis acceperunt.

Dicant, siquid invenerunt in me iniquitatis. Id est, palàm proferant, siquid à me peccatum esse deprehenderint.

Cùm stem in Concilio. Gr. στάντος μου *stante me*, Vulgata & Erasmus reddunt, *cùm stem*: quasi loquatur Paulus de præsenti cognitione. Atqui res ipsa clamat hoc accipiendum de superiore judicio, cùm à Tribuno in Concilium Seniorum deductus est suprà cap. 22. v. 30. atque ita reddendum est, *cùm starem.* Sensus est idem ac si diceret Paulus, quum Tribunus Lysias me coram Synedrio stitisset, volens criminationes mihi à Judæis allatas certò comperire.

21. *Nisi de una hac solummodò voce.* Id est, nisi fortassis hæc vera & innoxia vox mihi uni criminosa sit.

Quà clamavi inter eos stans. Id est, quum starem inter eos. Vide suprà cap. 23. v. 6.

22. *Distulit autem illos Felix.* Gr. additur, ἀκούσας δὲ ταῦτα, *audiens autem ista*, vel potiùs, *auditis istis.* Q. d. Quum verò Felix audisset Paulum confitentem se Sectæ ejus esse quæ Nazaræorum dicebatur, inficiatione sese defendere ab objectis sibi Templi profanati & tumultûs concitati criminibus in sententia ferenda dubitavit, & judicium in aliud tempus ampliatione distulit.

Certissimè, &c. Græcè est Comparativus, ἀκριβέστερον, *certiùs, exactiùs.* Constructio est obscurior ob trajectionem participii *dicens*, quæ magis perspicua fiet, si sic σαφεστικῶς in ordinem digeratur, *Dicens, Ubi ampliùs & exactiùs cognovero quid sit hæc doctrina, quæ Paulo sub titulo hæreseos Nazaræorum fuit objecta, suprà v. 5. Lysiasque Tribunus Hierosolymis Cæsaream descenderit, vos accusatores cum defensore audiam denuò, tùmque demùm sententiam de causa utrinque iterùm acta feram.*

Sciens

Sciens de via hac. Id est, perspectâ & explorată viâ & sectâ illa, quam Paulo objectam ipse se sequi confessus est suprà v. 14. Verba sunt Felicis reum ampliantis. Passim autem in novo Testamento Evangelica doctrina, seu Christiana religio appellatione τῆ ὁδοῦ, *viæ hujus* designatur, ut videre est suprà cap. 9. v. 2. cap. 19. v. 9 & 23. cap. 22. v. 4.

Dicens. Trajectionem hujus Participii non est, inquit Beza, *quod quisquam detortam ac violentam putet, Neque enim ferè aliter in dialogis usurpari solent istæ particulæ*, ἔφη, ἦν ἐγώ, ἢ δ' ὅς, *apud Platonem: & apud Latinos* inquam, *&* inquit. *Quinetiam similis, aut durioris etiam in eodem verbo trajectionis exempla invenies infrà cap. 25. v. 5. Luc. 5. v. 24. & 7. v. 42. Fator tamen plerumque hanc trajectionem in medio aliquo membro inveniri, cùm hîc inter duo membra usurpetur, sed summa illa sermonis puritas non debet in his auctoribus quæri: & sententiæ perspicuitas videtur hanc expositionem etiamsi cetteræ rationes desint, satis confirmare.*

Cùm Tribunus Lysias. Qui nimirùm cùm omnibus Hierosolymæ gestis interfuerit, utrum inficiator conciratæ seditionis, & profanati Templi convictus fuerit, necne, me certiorem facere potest.

Descenderit. Hierosolymis nempe Cæsaream.

Audiam. Litem videlicet dijudicaturus.

Vos. Accusatores nempe & defensorem in altera actione.

23. *Jussitque*, &c. Q. d. Ampliatáque causâ edixit Felix Centurioni cuidam Cæsareensi ut Paulum asservaret quidem magnâ diligentiâ, sed tamen liberali custodiâ, ut ad eum aditus pateret amicis, quorum sublevaretur officiis.

Et habere requiem. Gr. ἄνεσιν, *relaxationem*, à vinculis scilicet & rigidiori custodia.

Nec quemquam de suis. Id est, ex familiaribus vel amicis Pauli.

Prohibere ministrare ei. In procurandis rebus necessariis. Gr. additur ἢ προσέρχεσθαι αὐτῷ, *aut adire eum.* Colloquii scilicet & solatii causâ. Idem privilegium Agrippæ Seniori Herodis Magni ex Aristobulo nepoti, ubi à Tiberio Cæsare in vincula fuerat conjectus, Antonia minor Antonii Triumviri filia, Drusi uxor, Germanici & Claudii mater, Caii Caligulæ avia, (quam nunquam expuisse prodit Plinius 7 Hist. nat. 19.) à Macrone Prætorianorum militum Præfecto precibus impetravit, ut videre est apud Josephum 18 Antiq. 8.

24. *Post aliquot autem dies veniens Felix.* Ad locum, in quo Paulus liberaliter & laxè observabatur.

Cum Drusilla. Fœminarum omnium pulcherrima, filia senioris Agrippæ, (qui Herodes suprà cap. 12. vocatur) ex Cypro Phasaili illius filia, cujus patruus erat Herodes Magnus, ut

ut videre est apud Josephum 18 Antiq. 7. & lib. 19. cap. 7. Erat hæc Drusilla alia à Drusilla Felicis uxore altera, Jubæ Mauritanæ Regis filia, Antonii Triumviri & Cleopatræ Ægypti Reginæ nepte. Hæc Drusilla Senioris Agrippæ ex Cypro filia, sexennis erat, cùm illius Pater animam efflavit suprà cap. 12. v. 23. Epiphanes Antiochi Commagenorum Regis filius, cui ab eodem Agrippa majore fuerat desponsata, ejus nuptias recusavit, quòd mutatâ sententiâ Judæorum religionem amplecti nollet, prout puellæ parentibus erat pollicitus. Atque ita Rex Agrippa junior, majoris Agrippæ filius, ejusdem Drusillæ frater eam Azizo Emesenorum Regi circumciso nuptum locavit. Verùm Felix Judææ Procurator amore Drusillæ captus, Simonem amicum suum Judæum genere Cyprium, pro magno se gerentem, ad eam misit, qui mulierem sollicitaret ut relicto mariro Azizo Emesenorum Rege ipsi nuberet; beatam fore pollicens si non fastidiret hominem. Illa malè consulta volens effugere inquietationem sororis suæ Bernices, invidentis sibi formæ excellentiam & præstantiam, consensit calcatâ religione patriâ Felici nubere. Vide Joseph. 20 Antiq. 5. & belli Judaici lib. 2. cap. 10. & quæ adnotavimus suprà cap. 23. v. 24.

Quæ erat Judæa. Id est, cujus Patria religio erat Judaica.

Vocavit Paulum. Diligenter inquisiturus in sectam, quæ ipsi Paulo dabatur probro & crimini, suprà v. [illegible]

Et audivit ab eo fidem quæ est in Christum Jesum. Q. d. Et Paulus apertam sibi dicendi januam cernens, nihil discrimine territus, Felici Procuratori enarrat ordine quæ dogmata credenda, quæ bona speranda, reformidandáve mala, quæ denique agenda, fugiendáve præcipiat Christiana religio.

25. *Disputanti autem illo de justitia, & castitate.* Gr. καὶ ἐγκρατείας, *& continentia*, seu *temperantia.* Id est, Paulo autem enarrante Christianæ religionis doctrinam de virtutum omnium cultu, paritérque de vitiorum omnium fuga.

Et de judicio futuro. Quo Dominus Jesus Christus constitutus à Patre vivorum & mortuorum judex, in fine seculorum omnes homines, etiam potentes, & eos qui nunc sedent alios judicantes, tunc coram tribunali suo stantes justè judicaturus est, atque singulis digna præmia repensurus, justis æterna & inæstimabilia gaudia, injustis commerita, dira & nunquam finitura supplicia. De tremendo hoc vivorum & mortuorum judicio etiam coram Athenienſibus in Areopago Paulus peroravit suprà cap. 17. v. 31. Quin & judicii istius prædicatio inter prima Christianæ religionis fundamenta recensetur Heb. 6. v. 1 & 2.

Tremefactus Felix. Repetendis nimirùm aliquando ab ipso

pœ-

pœnis malefactorum, quæ sibi tantâ potentiâ subnixo cuncta fore impunita ratus erat, utì de eo scribit Tacitus Annalium lib. 12.

Respondit. Oppressus conscientiâ scelerum suorum.

Quod nunc attinet, vade. Id est, in præsentia non vacat mihi te de istis disputantem audire.

Tempore autem opportuno. Id est, ubi verò vacabit.

Accersam te. Ad collocutiones.

26. *Simul & sperans quòd pecunia ei daretur à Paulo,* &c. Q. d. Quin & avaritiâ hiante homo, sperans Paulum pretio sese redemturum, crebriùs eum ad colloquia accersebat.

27. *Biennio autem expleto.* Q. d. Cùm autem Paulus Cæsareæ toto biennio à Felice in liberali custodia fuisset detentus.

Accepit. A Nerone Cæsare.

Successorem. In officio procurationis Judææ.

Felix. Ob scelera accusatus, teste Tacito.

Porcium Festum. Porcius Catonum Gentilitium cognomen fuit, à porcis tractum. Varro lib. 2. de re rustica cap. 1. *Cognomina multa habemus ab utroque pecore: à majore & à minore: a minore* Porcius, *Ovinius, Caprilius: à Majore, Equitius, Taurus.*

Volens autem gratiam præstare Judæis Felix. Id est, ut gratiam iniret à Judæis, quos diversis flagitiis irritaverat.

Reliquit Paulum vinctum. Id est, liberali custodia asservatum. Vide suprà v. 23. Sed hoc Felicem nihil juvit: nam Primores Judæorum Cæsaream incolentium Romam profecti sunt, ipsum ob injurias, quibus eos affecerat, coram Nerone Cæsare accusaturi. Hinc factum est, ut eum iste ejus successor Porcius Festus vinctum miserit Romam ad Neronem, qui ipsum pœnâ capitali afficere voluit, sed utì testatur Josephus 20 Antiq. 7. Pallas ipsius frater, qui tum in pretio erat apud Principem, supplicii condonationem impetravit. Quanquam ipse Pallas, *quòd immensam pecuniam longâ senectâ detineret*, non ita multò pòst veneno à Nerone interfectus credatur. Tacit. lib. 14. Annal.

CAP.

CAP. XXV.

1. *Festus ergo cum venisset in provinciam.* Nempe Judæam sibi commissam à Nerone Cæsare procurandam.

Post triduum ascendit Jerosolymam. Istius provinciæ metropolim, ut ibi procuratorium munus susciperet & aggrederetur.

A Cæsarea. Ubi propter maris opportunitatem, ii qui à Romanis imperatoribus missi Judææ præsidebant, sedem suam nunc habere sunt soliti, teste Tacito lib. Annal. 18. Quin & prima urbs ab Italia in Judæam adventantibus occurrebat hæc maritima Cæsarea.

2. *Adierunt que eum Principes Sacerdotum.* Gr. ἀρχιερεῖς, *principes sacerdotum*, seu *Pontifex maximus*. Idem ille, ut videtur, qui superiùs cap. 23. v. 2. & cap. 24. v. 1. memoratus est, Ananias.

Et primi Judæorum. Hi populi Judaici primores suprà cap. 24. v. 1. *Seniores*, id est, Senatores, vocantur.

Adversus Paulum. Id est, ut Paulum apud novum Procuratorem Festum liberiùs accusarent.

Et rogabant eum. Nempe Festum.

3. *Ut juberet perduci eum in Jerusalem.* Et inibi litem ipsi intentatam dijudicaret. Romani Magistratus non semper in una urbe jus dicebant, sed ubicunque erant.

Insidias, &c. Q. d. Animo Paulum in itinere Cæsareâ Hierosolymam ex insidiis interficiendi.

4. *Servari quidem Paulum in Cæsarea*, &c. Q. d. Nulla est causa cur Paulus Cæsareâ, ubi custoditur, huc Hierosolymam ad me accersatur judicandus, cùm ipse Cæsaream propediem sim profecturus.

5. *Qui ergo in vobis.* Id est, inter vos. Ita sæpè *in* sumitur pro *inter*, ut suprà cap. 7. v. 44. 18. v. 11. 24. v. 21.

Potentes sunt. Supple, Paulum maleficiorum convincere gravibus & firmis argumentis. *Quasi dicat*, inquit Joannes Pricæus, *Turbæ confusæ voces nil significant, tollit faciem ac formam judiciorum inconditа multitudo: siligantur ergo ceteris instructiores ad accusandi munus obtundum.*

Descendentes simul, &c. Q. d. Unà mecum Hierosolymis Cæsaream descendant, & Paulum maleficii crimine arcessant.

6. *Inter eos.* Nempe Judæos Hierosolymitanos.

Altera

Alterâ die. Id est, postridiè quàm Festus Cæsaream revenit.

Sedit pro tribunali. Judicia exerciturus.

Et *jussit Paulum adduci.* Ut ejus causam dijudicaret.

7. *Multas & graves causas,* &c. Id est, quamplurima gravia maleficia exprobrantes, quorum Paulum convincere persuasibilibus argumentis non valebant. Benè Apuleius, *Insimulari quivis innocens potest, revinci nisi nocens non potest.*

8. *Paulo rationem reddente.* Id est, innocentiam suam gravissimis ac firmissimis argumentis defendente, ut suprà cap. 24. v. 10 & seqq.

In Legem Judæorum. Id est, in Legem à Deo Mosis ministerio Judæis datam.

In Templum. Hierosolymitanum, cujus profanationem à me fuisse tentatam calumniantur adversarii.

In Cæsarem. Videntur isti Pauli accusatores eum iisdem de rebus accusasse, quos ipsi objiciebant Judæi Thessalonicæ, & Corinthi suprà cap. 17. v. 7. & cap. 18. v. 13.

9. *Gratiam præstare Judæis.* Id est, Judæorum gratiam sibi conciliare.

Tibi de his judicari apud me. Id est, à magno Judæorum Synedrio judicari me præsente. *Hebbat,* inquit Grotius, *Synedrium jurisdictionem quandam in Judæos sed civitatis Romanæ jus validius erat jure Synedrii. Itaque* Paulus civis Romanus *invitus cogi non poterat illos agnoscere judices. Solebant Præsides interdum adesse ordini civitatis. L.* 1. §. *sed etsi. D. quando appellandum sit.*

10. *Dixit autem Paulus.* Intelligens nimirùm quo animo & consilio Festus id rogaret, & à Judæis metuens insidias.

Ad tribunal Cæsaris sto. Tribunal Cæsaris vocat id, quod Procurator habebat nomine ac mandato Cæsaris. Ulpianus L. 1. D. de officio Procuratoris Cæsaris, *Quæ acta gestáque sunt à Procuratore Cæsaris, sic ab eo comprobantur, atque si à Cæsare gesta sint.*

Ubi me. Cùm sim civis Romanus.

Judæis. Istis nimirùm accusatoribus meis, quorum importunitati indulgere vis.

Non nocui. Id est, nulla in re injurius fui.

Melius. Comparativus positus est pro positivo, *bene,* vel superlativo, *optimè.*

11. *Non recuso mori.* Terent. Phorm. Act. 1. Sc. 5.

Si est patrue, culpam ut Antipho in se admiserit, &c.
Non causam dico quin quod meritus sit ferat.

Ubi Donatus, *Rhetoricum theorema, quo uti solet qui propositæ causæ, fiduciam gerit. Si hoc aut illud, non oro veniam, non deprecor pœnam.*

Si

Si verò nihil eſt eorum. Supple, à me peccatum, utì jam dixi, ſuprà v. 8.

Quæ hi accuſant me. Græciſmus, Latinè enim potiùs dixeris, *quorum*, vel, *de quibus hi accuſant me.*

Nemo poteſt me illis donare. Id eſt, nulli jus eſt gratificandi Judæis hanc poteſtatem, ut me invitum judicent. *Erat*, inquit Grotius, *contra leges Romanas civem Romanum provincialibus hominibus judicandum tradere, & id nolentem.* Plinius in epiſtola ad Trajanum de Chriſtianis: *Fuerunt alii ſimilis amentiæ, quos, quia cives Romani erant, annotavi in Urbem remittendos.*

Cæſarem appello. Id eſt, Grotio interprete, *ſi me vis Synedrio judicandum tradere (id enim videbatur agere Feſtus) ad Cæſarem Neronem appello. Licebat hoc Romanis legibus in tali caſu. Nam ante ſententiam appellari poteſt, ſi quæſtionem in civili negotio habendam judex interlocutus ſit, vel in criminali contra leges hoc faciat. L. Ante. D. de appellationibus recipiendis.*

12. *Cum concilio.* Id eſt, cum conſiliariis adſeſſoribus.

Locutus. Ut eorum rogaret ſententiam de hac Pauli ad Cæſarem appellatione, utrum videlicet recipienda ſit, necne?

Ad Cæſarem ibis. Romano civi concedit Feſtus quod non concedens ſe vis publicæ reum feciſſet coram Cæſare, cujus honorem per iſtam appellationem quæſitum, impedire & ſpernere videretur.

13. *Et cùm dies aliquot tranſacti eſſent.* Id eſt, paucis interpoſitis diebus.

Agrippa. Junior, quem Herodes Agrippa Ariſtobuli filius ex Cypro Phaſaëli filia ſuſcepit.

Rex. Judæorum poſtremus, at non Provinciæ Judææ aut Jeroſolymorum ullíuſve portionis binarum Tetrarchiarum Archelai majoris patrui ſui, ſed Tetrarchiarum alterius majoris Patrui ſui Philippi, & Lyſaniæ, de quibus Luc. 3. v. 1. Agrippam hunc minorem adoleſcentulum Claudius Imperator primùm ſuccedere voluit Agrippæ ipſius patri, ſed poſteà cogitans illum imparem eſſe tanto regno, Judææ & totius regni Senioris Agrippæ (quod Herodis Magni, avi ſui regno majus erat) Procuratorem Claudius Cuſpium Fadum miſit. Atque ita Judæa fuit iterùm in provinciam redacta, utì erat priusquàm à Claudio Cæſare Agrippæ Senioris regno adderetur, ex quo Auguſtus ejuſdem Agrippæ patruum Archelaum tyrannidis accuſatum Viennam Allobrogum relegaverat. Verùm quarto ab obitu Agrippæ ſenioris anno, qui imperii Claudii erat octavus, ejuſdem Agrippæ frater Herodes Chalcidos Syriacæ Rex mortuus eſt, & in demortui locum à Claudio junior Agrippa ſuffectus eſt; atque unà cum Chalcidos regno donatus poteſtate in Templum Hieroſolymitanum & ſacrum ærarium, ac jure eligendi ſummos Pontifices quæ idem Imperator

tor patruo ipsius concesserat. Hoc Agrippæ juniori fuit initium regnandi. Quum verò per quariennium præfuisset Chalcidi, Claudius post exactum imperii sui annum duodecimum, eâ illi ablatâ, in majus regnum eum transtulit, constituens eum Regem Tetrarchiæ, quæ ipsius majoris patrui Philippi fuerat, Bataneæ videlicet & Gaulanitidis seu Auranitidis (quæ regiones videntur esse eædem cum Ituræa Luc. 3. v. 1.) & Trachonitidis; adjunctâ etiam dynastiâ, quæ cognominatur Lysaniæ, quia olim possessa fuit à Lysania Ptolemæi filio, de quo Josephus 14 Antiq. 23. & 15 Antiq. 4. & recentiùs à Tetrarcha Lysania, de quo Lucas Evangelii sui cap. 3. v. 1. Huic majori junioris Agrippæ regno addidit Nero Tiberiadem & Tarichæam urbes Galilææ, & Juliadem in Ituræa trans Jordanem sitam cum pagis quatuordecim eidem urbi conterminis Joseph. 20 Antiq. 5. Regnasse hunc Agrippam viginti sex annos autor est Eusebius in Chronico, cui omnes Chronologi fidem adhibuerunt. At dupliciter lapsus Eusebius primùm, quòd Agrippam Juniorem statim ab obitu patris regnasse statuit, contrà quàm Josephus asserit 19 Antiq. 7. Deinde quòd regnum hujus Agrippæ miserabili Jerosolymorum excidio unâ terminari putat : quasi, quia viginti sex anni inter initium ejusdem Regis, & excidium Jerosolymorum intercessere, unà cum Templo & Urbe ipse quoque Rex deletus fuerit. *Atqui*, inquit illustris Scaliger, *iste junior Agrippa obiit tertio anno Trajani, numero MMCXVI.* Chronici Eusebiani, *ut testis erat Justus Tiberiadensis, qui ipsi Regi Agrippæ Chronologica sua obtulit. Nemo igitur de obitu hujus Regis certiùs pronuntiare potuit, quàm is, qui illi opus suum dedicavit.* Photius de Justo Tiberiadensi: Ἀρχεται δὲ τῆς ἱστορίας ἀπὸ Μωσέως, καταλήγει δὲ ἕως τελευτῆς Ἀγρίππα τοῦ ἑβδόμου μὲν τῶν ἀπὸ τῆς οἰκίας Ἡρώδου. ὑστάτου δὲ ἐν τοῖς Ἰουδαίων βασιλεύσιν, ὃς παρέλαβε μὲν τὴν ἀρχὴν ἐπὶ Κλαυδίου, ἠυξήθη δ' ἐπὶ Νέρωνος, καὶ ἔτι μᾶλλον ἐπὶ Οὐεσπασιανοῦ, τελευτᾷ δὲ ἔτει τρίτῳ Τραϊανοῦ. καὶ ἡ ἱστορία κατέληξεν. *Auspicatur historiam à Moyse, perducitque ad exitum usque Agrippæ, septimi è familia Herodis, & Judaicorum regum postremi. Qui regnum sub Claudio accepit : auxit sub Nerone, ampliùsque sub Vespasiano : obiit autem tertio Trajani anno, quò & historiæ finis ducitur.* Cur verò Eusebius Agrippæ junioris regnum excidio Jerosolymorum circumscribat, *causa non erat*, ait idem Scaliger. *Neque enim Jerosolymorum Rex fuit, neque ullius portionis Tetrarchiæ Archelais jus ad eum pertinuit. Nam ad patrimonium Archelai, & Jerosolyma semper Procurator Cæsaris missus est, qui vocabatur* ἐπίτροπος Ἰουδαίας. Hæc in animadversionibus in Chronologica Eusebii Josephus Scaliger. Cui tamen Clarissimus Scultetus in hoc assentiri nequit, quod ait, *Semper ad patrimonium Archelai & Jerosolyma Procuratorem fuisse missum.* Regnante enim

Agrippa

Agrippa majore, & Judæam ipſam gubernante Judæos arbitratur tributum, non Romanis, ſed Regi ſuo pependiſſe, nec Procuratorem Româ Jeroſolyma veniſſe. Idem Scaliger ad Euſebii numerum MMLXXXVI. *Agrippa minor ſeptimus & ultimus Herodiadarum Dynaſtarum ſuperfuit Jeroſolymorum excidio annis triginta, incolumi regno, quod per annos viginti ſex poſſidebat, & aliquot Urbium acceſſione beneficio Veſpaſiani ampliato. Tantùm abeſt, ut in ejus regno aliquid mutaverit fortuna Jeroſolymorum. Quid ergo cogitabat Euſebius? An deletis Jeroſolymis Agrippam privatum manſiſſe, aut unà cum Jeroſolymis deletum fuiſſe? Sed hæc & jam confutata ſunt, & confutantur hoc nummo:* ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ. ΟΥΕCΠΑCΙΑΝΟC. ΚΑΙCΑΡ. ΙΟΥΔΑΙΑC. ΕΑΛΩΚΙΑC. ΕΤΕΙ. ΚΑ. ΑΓΡΙΠΠΑ. *Poſt captam Judæam adhuc erat* Βασιλεὺς Ἀγρίππας. *Alibi* ΕΤΟΥC. Κϛ. ΑΓΡΙΠΠΑ. *Satis licenter Euſebius hoc commento ſibi indulſit. Falluntur autem tam veteres, quàm recentiores Judæi, qui ſublata judicia ſibi fuiſſe dicunt à Romanis annis quadraginta ante excidium Templi: hoc eſt, decimo quinto anno Tiberii Cæſaris. Quod eſt ridiculum. Hoc enim accidit uno & ſexaginta annis ante Jeroſolymorum caſum. Archelao Viennam relegato. Unde eſt illud:* Nobis non licet interficere quenquam. *Nam Præſes aut Procurator Cæſaris, tranſlatâ in ſe omni juriſdictione, pauca reliquerat Conſeſſui Judæorum, eáque minimi momenti, cum iis præterea, quæ ad eorum leges, ritus, ceremonias & cantus pertinebant.*

Et Bernice. Regis Agrippæ junioris ſoror germana, patrui ſui Herodis Regis Chalcidis vidua. Hæc quum ſpargeretur rumor eam cum germano fratre Agrippa congredi, ſuaſit Polemoni Ciliciæ Regi, ut circumciſus priùs ſe duceret, rata ſic ſe coarguturam mendacium. Nec recuſavit Polemon, inductus maximè mulieris divitiis; id tamen conjugium diuturnum non fuit, propter intemperantiam, ut fertur, diſcedente ab eo Bernice. Qui mox deſertus ab uxore, & ipſe Judaicæ religionis deſertor factus eſt. Joſeph. 20 Antiq. 5. Eadem Bernice ſeu Berenice vel Beronice nudipes & capillos raſa venit Hieroſolymam Deo vota pro ſalute ſolutura. Joſeph. 2 Belli Judaici 15. Juvenalis Sat. 6.

——— *Adamas notiſſimus & Berenices*
In digito factus pretioſior, hunc dedit olim
Barbarus inceſtu, dedit hunc Agrippa ſorori,
Obſervant ubi feſta mero pede ſabbata Reges
Et vetus indulget ſenibus clementia Porcis.

Diſcenderunt. Gr. Κατήντησαν, *pervenerunt.*

Cæſaream ad ſalutandum Feſtum. Id eſt, novi Præſidis, ſeu Procuratoris ſalutandi cauſâ. Nempe qui à Romanis Imperatoribus dependebant ut clientes, ii Romanorum Procuratorum gratiam officioſè captabant.

14. *Ibi morarentur.* Id est, Agrippa & Bernice Cæsareæ essent commorati.

Regi. Agrippæ.

Indicavit de Paulo. Id est, omnem rem Pauli, quo pacto se haberet, enarravit ordine.

15. *Postulantes adversus illum.* Quasi manifesti criminis reum.

Damnationem. Indictâ causâ. Gr. δίκην, *jus*, id est, juridicialem damnationem, uti ex subjuncta Festi responsione patet. Δίκη, inquit Ribera in Hos. 13. *forte se vocabulum est, & significat, causam quæ apud Judicem agitur, & ipsam Judicis sententiam, & jus sive actionem ad aliquid faciendum aut petendum, & pœnam quæ infligitur, quam etiam Latini* Dicam *nonnunquam vocant, Græcum nomen usurpantes pro suo.* Græca quædam exemplaria pro hac voce simplici δίκην habent compositam κατάδικην, quæ significat *damnationem.*

16. *Non est Romanis consuetudo.* Ad instar barbaricæ feritatis vel tyrannicæ impotentiæ, ut Apuleius loquitur.

Damnare aliquem hominem. Gr. Χαρίζεσθαί τινα ἀνθρωπον εἰς ἀπώλειαν, *gratificari cujuspiam exitium*, alicujus videlicet petitioni.

17. *Cùm ergo huc.* Cæsaream.

Convenissent. Primores Judæorum Paulum gravissimè accusaturi.

Sedens pro Tribunali. Judicia exerciturus.

Jussi adduci virum. Paulum videlicet vinctum.

18. *Cùm stetissent.* Gr. Στάντες, *stantes*, id est, cùm adstarent coram tribunali.

Nullam, &c. Q. d. Suspicabar ego fore ut Paulo nefarium aliquod facinus objicerent, at illi nihil objecerunt præter frivola nescio quæ ad propriam superstitionem pertinentia. Idem in ejusdem Pauli à Judæis accusati causâ dixit Gallio Proconsul Achaiæ suprà cap. 18. v. 14.

19. *De sua.* Nempe Judaica.

Superstitione. Superstitio est vanus & ridiculus Dei cultus, tam etiam anxius & nimius ejusdem metus, cùm iis rebus offendi putatur, quibus tamen nullo modo offenditur. Impiè loquitur profanus homo de eo, quem Lex Mosis præscribit, veri Dei cultu, *nihil*, inquit Cl. Beza, *Agrippæ Regis præsentiam veritus. Solebant enim isti provinciarum præsides (sic ipsis etiam regibus propter populi Romani Majestatem anteponere: & probabile est hunc etiam Agrippam, majorum suorum vestigia secutum, ita professum esse Judaicam religionem, ut tamen Romanos minimè vellet offendere.*

Adversus tur. Paulum scilicet.

Et de quodam Jesu defuncto. Et quidem dirâ cæde peremto.

Quem

Quem affirmabat Paulus *vivere.* A morte revocatum.

20. *Hæsitans*, &c. *Hîc* inquit Cl. Beza, *Festus peccatum suum tegit, & seipsum coarguit. Cur enim rem non absolvebat in quam nihil probaretur? Aut quis erat dubitationi locus? Itaque si quod res erat dixisset, fassus esset seſe idcircò Cæsaream Hierosolymam transferri voluisse Paulum, ut Judæis gratificaretur, & innocentem crudelitati hostium exponeret, sive in itinere, utì convenerat, sive in Urbe trucidandum: quamobrem justam provocationis occasionem præbuit, cùm civi Romano ad populum quidem olim, ad Cæsarem verò postea provocatio legibus certissimis esset concessa.*

21. *Paulo autem appellante ut servaretur Augusti cognitioni.* Id est, ut Cæsareæ asservaretur custodiis quousque Dominus Nero Imperator Romanus de ipsius defensione & causa cognoscere & statuere possit. Omnes autem Romani Imperatores, à primo eorum Imperatore Caio Julio, cujus cognomen familiæ erat *Cæsar*, dicti sunt Καίσαρες, *Cæsares*; & à secundo eorumdem Imperatore Octaviano Cæsare omnes successores ejus in hodiernum usque diem vocantur *Augusti*. Ipse verò Octavianus ob singularem ipsius virtutem, meritáque in Rem-publicam maxima anno ætatis trigesimo sexto ex sententia Munatii Planci, imperii verò quod quinquaginta sex annos feliciter administravit, decimo sexto appellatus fuit Augustus, titulo eximio valde & honorifico, qui venerandum & instar numinis sanctè colendum significat.

22. *Volebam.* Id est, nimis vellem.

23. *Alterà autem die cùm venisset.* Nempe in Prætorium.

Agrippa & Bernice. Id est, unà cum Bernice ipsius germana sorore de qua suprà v. 13.

Cum multa ambitione. Gr. μετὰ πολλῆς φαντασίας, *cum multa phantasia*, id est, cum vestitu pulcherrimo & ornatu regali, seu, μετὰ πολλῆς ἐπιδείξεως, *cum multa pompa*, ut loquitur Græcus autor lib. 1. Mac. cap. 9. v. 37. ubi etiam vulgaris interpres Latinus reddit, *cum multa ambitione*, id est, vana ostentatione.

Et introissent in auditorium. Id est, in conclave ad causas cognoscendas & judicandas destinatum.

Cum Tribunis. Nempe militaribus, qui millenis militibus erant præfecti.

Viris principalibus civitatis. Id est, Cæsareensium optimatibus.

Adductus est Paulus. E custodia ad dictum conclave.

24. *Interpellavit.* Seu compellavit, seu appellavit.

Hierosolymis & hîc. Cæsareæ videlicet, suprà v. 6 & 7.

Acclamantes. Gr. ἐπιβοῶντες, *vociferantes.* Hierosolymis nimirùm coram Lysia Tribuno suprà cap. 22. v. 22. Cæsareæ verò

verò coram Procuratore Festo, ubi suprà v. 7. Judæi Paulum de nefariis criminibus immerenter accusarunt.

25. *Ego verò compevi*, &c. Tale testimonium innocentiæ dederunt Paulo & Pharisæi suprà cap. 23. v. 9. Rex Agrippa & ejus soror Bernice infrà cap. 26. v. 31.

Judicavi. Id est, decrevi.

Mittere. Ipsum scilicet Paulum ad Domitium Neronem Cæsarem. Vide dicta suprà v. 21.

26. *Quid certum.* Id est, cognitum & compertum.

Scribam Domino. Id est, Imperatori. Domini appellationem ab adulatoribus ortam, & indicantem, ex vi relatorum, quasi Romani cives essent Imperatoris servi, sibi tribui edicto vetuit Octavianus Cæsar Augustus, testibus Dione & Suetonio. Sed postquam obiit ille, increbuit passim & invaluit consuetudo etiam apud bonos Principes & Imperatores, sublimem hunc titulum non recusandi, uti ex Plinii ad Trajanum epistolis apparet.

Produxi eum ad vos. Qui modò huc conveniſtis.

Maximè ad te. Judaicarum Legum & controversiarum gnarum.

Interrogatione factâ. Seu, ut Plinius loquitur, *actâ inquisitione.*

27. *Sine ratione.* Id est, ineptum atque absurdum.

Mittere vinctum. Romam ad Imperatorem.

Et causas ejus. Id est, criminationes adversus eum allatas, vel crimina ei illata.

Non significare. Supple per literas.

CAP.

CAP. XXV.

1. *Permittitur tibi.* A Feſto Procuratore, & à me.

Loqui pro temetipſo. Id eſt, tueri ac defendere cauſam tuam.

Extenſâ manu. Ut ſolent orationem habituri, vel prolixiorem ſermonem, non tam quò captent ſilentium, quàm quò teſtatior ſit eorum libertas & ingenuitas.

Cœpit rationem reddere. Id eſt, innocentiam ſuam ab adverſariorum calumniis viriliter defendere ſic orſus eſt.

2. *Æſtimo me beatum.* Hoc Ovidius diceret, *toto libens mihi pectore grator.* Apuleius etiam initio Apologiæ ſuæ primæ ad Maximum Proconſulem: *gratulor quòd mihi copia & facultas, te judice, obtigit, purgandæ apud imperitos philoſophiæ & probandi mei.*

3. *Quæſtiones.* Quæ nimirùm habent controverſiam. Quæ autem hìc de juniore Agrippa Paulus prædicat, eadem ferè de Felice Procuratore prædicavit ſuprà cap. 24 v. 10 & 11.

4. *Vitam.* Id eſt, *vitæ, victuſque conſuetudinem,* ut loquitur Cicero. Sic *vitam* uſurparunt Apuleius, & Plinius junior. Hic lib. 3. ep. 20. de quodam candidato: *Dicebat ipſe pro ſe,* vitam *ſuam explicabat.* Ille Apolog. 2. *Quem laudatorem locupletiorem, quem teſtem* vitæ *meæ ſanctiorem producam?*

Ab initio. Id eſt, ab ineunte ætate.

In gente meâ. Id eſt, inter Judæos.

Noverunt omnes Judæi. Præſertim Hieroſolymitæ.

5. *Præſcientes me ab initio.* Id eſt, quibus dudum apprimè notus fui.

Si velint teſtimonium perhibere. Vitæ ſcilicet meæ anteactæ.

Secundum certiſſimam. Id eſt, laude ſapientiæ & peritiæ in Lege Dei præ ceteris Judaicæ religionis ſectis celebrem. Vide quæ adnotavimus ad Mat. 3. v. 7.

Sectam. Gr. αἵρεσιν. Vide quæ de hac media voce obſervavimus ſuprà cap. 24. v. 5.

Noſtræ religionis. Id eſt, Judaicæ, in qua præter ſeptemplicem Phariſæorum ſectam erant ſectæ Sadducæorum & Eſſenorum. Has Sectas Joſephus 14. Antiq. 9. αἱρέσεις, & lib. 18. cap. 2. φιλοσοφίας vocat. Hieronymus adverſus Jovinianum lib. 2. cap. 9. *dogmata.* Poſſent etiam dici חלקים *partes,* utì Cl. Druſius obſervat. *Nam,* inquit, חלק, pars, ſecta, *id*

est, μέρος *Act.* 23. 6. & אומות, nationes. *Certè in Aboth apud commentatores, ubi de Sadducæis*, facti sunt natio per se אומה לעצמן. Natio Sadducæorum, *ut* natio Grammaticorum, *&c. Ebræi propriè sectam appellant* כת, *& hæresin* מינות, *vnde* מינים, hæretici, *& ab eo Minæus, id est*, מיני. *Secta etiam in Actis* ἡ ὁδὸς. *id est*, via *vocatur, & in Juchazim* מנהג, *id est*, mos, consuetudo.

Vixi Pharisæus. Idem de se testatur Paulus suprà cap. 23. v. 6. & Philip. 3. v. 5.

6. *Et nunc*, &c. Q. d. Nunc verò reus agor, quòd spem promissionis ad patres factæ asseram. *Per spem*, inquit Wolzogenius, *videtur intelligi metonymicè res sperata, ut patet ex sequentibus. Spem istam nonnulli exponunt de resurrectione mortuorum, de qua suprà cap. 23. v. 6. & cap. 24. v. 15. Sed alii id accipiunt de spe liberationis Judæorum per Messiam, seu salutis per Christum consequendæ. Nec absre: nam quamvis hîc infrà v. 8. fiat nominatim mentio excitationis mortuorum, tamen id non obstat huic sententiæ, quod ibi erit videndum. Deinde in spe ista salutis per Christum utpote latiùs sese extendente, continetur etiam mortuorum justorum resuscitatio. Prætereà, non potest ostendi clarè, mortuorum resurrectionis promissionem patribus Judæorum factam esse à Deo, quod hîc statim subjungitur. At de Messia seu Christo factam esse non obscurè sed expressè, manifestum est, ut mox videbimus. Ut prætereatur illud quod de spe resurrectionis vix rectè dici possit id quod versu mox sequente dicitur, nempe duodecim tribus Israelitarum sperare se ad eam deventuras; cùm inter istas duodecim tribus multi fuerint, qui de resurrectionis mortuorum spe persuasionem non habuerunt, ut Sadducæi, & qui eorum sententiæ favebant.*

Ad patres nostros. Nempe Judæorum majores.

Repromissionis. Scilicet de Messia, seu Christo Servatore.

Facta est à Deo. Abrahamo Gen. 22. v. 18. Isaaco. Gen. 26. v. 4. Jacobo, Gen. 28. v. 14. Judæ Gen. 49. v. 10. Israelitis, Deut. 18. v. 15. Davidi, 2 Sam. 7. v. 12. Ps. 132. v. 11. Es. 7. v. 14. 9. v. 6 & 7. 11. v. 1. Jer. 23. v. 5. 33. v. 14 & 15. Ezech. 34. v. 23 & 24. 37. v. 24 & 25. Vide & Dan. 9. v. 24 & 25. Hos. 3. v. 5. Mich. 5. v. 2. 7. v. 20. *Hunc*, inquit Wolzogenius, *Messiam olim à Deo promissum, & tum adhuc à Judæis speratum, sed jam tunc reipsâ exhibitum, eúmque esse Jesum, quem à Judæis crucifixum Deus resuscitavit, Paulus passim prædicabat: ob id ipsum autem à Judæis vexabatur.*

Sto judicio subjectus. Id Ulpianus diceret, *in judicium sistor.*

17. *In quam.* Id est, ad cujus promissionis consecutionem. Sensus totius hujus versiculi est idem ac si dicat, quin & quicunque ex gente nostra sollicitè Deum colunt, noctésque & dies impendunt pietatis officiis, hac illi spe inflammantur, fore

ut

ut ipſis aliquando obveniat æterna illa ſalus ac beata immortalitas, quam ſalutis autor Meſſias in omnes ſibi obtemperantes eſt collaturus.

Duodecim tribus noſtræ. Ita notantur poſteri illius Patriarchæ Jacobi, qui fuit nepos Abrahami, vocatus Iſrael, à cujus duodecim filiis propagatæ ſunt duodecim tribus Iſraelitarum. Quamvis autem decem tribus olim abductæ in Aſſyriam 2 Reg. 17. v. 23. & 18. v. 1. non totæ redierint unà cum duabus tribubus Benjamin & Juda è Chaldæa ſeu Babylonia in terram Chanaan remigrantibus ſub Cyro aliiſque Perſarum regibus, tamen non paucos ex iis ſparſos fuiſſe inter duas tribus è captivitate Babylonica reverſos indicatur Eſdræ 6. v. 17. 8. v. 35. Vide & Kimchium ad Jer. 50. v. 4.

Nocte & die. Id eſt, ſine ulla intermiſſione.

Deſervientes. Nempe Deo vivo. Gr. additur, ἐν ἐκτενείᾳ, quod idem eſt ac ἐκτενῶς, 1 Pet. 1. v. 22. *intentè, impenſiùs, ſerventer.*

Sperant devenire. Seu, ſe perventuras eſſe.

De quâ ſpe accuſor à Judæis. Q. d. Mihi verò crimini datur à Judæis, quòd ſpem, quam ipſi omnes habent de Chriſto, ex Dei promiſſis, ego prædicem jam eſſe impletam, promiſſúmque Chriſtum jam eſſe exhibitum à Deo, ipſúmque eſſe Jeſum illum Nazarenum, quem dirâ morte peremtum Deus à mortuis excitavit, ſummóque in cœlo ac in terra imperio donavit.

8. *Quid?* Τί; *Ita,* inquit Beza, *diſtinguunt Græca Scholia: neque dubito quin germana ſit hæc lectio; nam præterquam quòd alioquin hiabit ſententia, plena eſt etiam hæc oratio ſummæ gravitatis.* Vehementer enim, & acriter occurrit tacitæ eorum objectioni, qui inter ipſius auditores erant Ethnici vel Sadducæi; quippe quia poterant hi cogitare & dicere, Tu Paule prædicas Jeſum Nazarenum immiti conſumtum morte vitam reſumſiſſe, quod à fide abhorret.

Incredibile judicatur apud vos. Ex imbecillo mentis humanæ captu.

Si. Hoc eſt, quod, ut infrà v. 23. Ἐι, inquit Daniel Erenius, *pro ὅτι, ſicut apud Hebræos* אם, *Gen.* 47. *v.* 9. *Num.* 3. *v.* 30. *Pſ.* 63 *v.* 7. 139. *v.* 10. *Eſ.* 4. *v.* 5.

Deus. Cujus immenſa poteſtas non reſtringitur humani ſenſûs anguſtiis.

Mortuos ſuſcitat? Nimirum per efficacitatem, ſeu, ut vulgaris interpres loquitur Phil. 3. v. 21. *ſecundum operationem virtutis ſuæ,* quâ poteſt etiam ſibi ſubjicere omnia. Vide aureum tractatum Phyſico-Theologicum *de reſurrectionis poſſibilitate* conſcriptum à nobiliſſimo Armigero Roberto *Boyle,* viro omnium ſuffragiis maximo.

9. *Et ego quidem.* Priusquam certò comperissem Jesum crucifixum revixisse, illúmque esse Messiam in Lege ac Prophetis promissum.

Existimaveram. Actus præpostero Legis Mosaicæ zelo, ardénsque pertinaci & cæco furore. Lactantius inter Christianæ veritatis assertores eloquentiâ maximè illustris gentes religionem suam tormentis tuentes sic refellit institut. lib. 5. cap. 19. *Sed defendenda sunt, inquiunt, suscepta publicè sacra. O quàm honestâ voluntate miseri errant! Sentiunt enim, nihil esse in rebus humanis religione præstantius, eámque summâ vi oportere defendi; sed ut in ipsa religione, sic in defensionis genere falluntur. Defendenda enim religio est, non occidendo, sed moriendo; non sævitiâ, sed patientiâ, non scelere, sed fide. Illa enim malorum sunt, hæc bonorum; & necesse est bonum in religione versari, non malum. Nam si sanguine, si tormentis, si malo religionem defendere velis; jam non defendetur illa, sed polluetur atque violabitur. Nihil est enim tam voluntarium quàm religio in qua si animus sacrificantis aversus est, jam sublata, jam nulla est. Recta igitur ratio est, ut religionem patientiâ, vel morte defendas, in qua fides conservata, & ipsi Deo grata est, & religioni addit autoritatem.* Refert. Socrates 3 Hist. 21. Jovinianum Imperatorem fuisse magnis ornatum laudibus, quòd cuique pro arbitrio religionem profiteri permiserit, ὡς τὸ ἐρεῖναι θρησκεύειν, ὡς ἕκαστοι βέλονται. Sic Flavius Josephus in vita sua scribit *oportere quemque κατὰ τὴν ἑαυτὸ προαίρεσιν Deum colere, ἀλλὰ μὴ κατὰ βίας, neque committendum ut alios securitatis causâ ad nos confugisse pœniteat.* Athanasius Apol. 2. Σφαγαὶ δὲ καὶ δεσμοὶ τὰ ἐκκλησίας ἡμῶν ἀλλότρια: *Cædes & vincula aliena sunt à nostra Ecclesia.* Tertullianus ad Scapulam cap. 11. *Nos unum Deum colimus, quem omnes naturaliter nostis, ad cujus fulgura & tonitrua contremiscitis, ad cujus beneficia gaudetis; ceteros & ipsi putatis Deos esse quos nos dæmonas scimus. Tamen humani juris & naturalis potestatis est unicuique quod putaverit colere, nec alii obest aut prodest alterius religio. Sed nec religionis est cogere religionem, quæ sponte suscipi debeat, non vi.* Concil. Toletiv. Can. LVI. *Sicut homo proprii arbitrii voluntate serpenti obediens periit, sic vocante gratiâ Dei, propriæ mentis conversione homo quisque credendo salvatur. Ergo non vi, sed liberâ arbitrii facultate ut convertantur* Judæi *suadendi sunt, non potiùs impellendi.* Nicolaus primus hujus nominis Episcopus Romanus ad consulta Bulgarorum cap. 41. *De iis autem qui Christianitatis bonum suscipere renuunt, & idolis immolant, vel genua curvant, nihil aliud scribere possumus vobis, nisi ut eos ad fidem rectam monitis, exhortationibus, & ratione illos potiùs, quàm vi, quòd vanè sapiant convincatis.* Vide adnotata suprà cap. 5. v. 39. & cap. 17. v. 3 & 17.

Mi-

Mſ. Gr. ἐμαυτῷ, *mihi ipſi*, quod Syrus, Arabs, & Clar. Beza conſtruunt cum verbo proximè præcedente, ἔδοξα, quaſi pro πρὸ ἐμαυτοῦ ponatur, ut ſenſus ſit, *ſtatueram apud meipſum*, ſeu, ut Vulgatus interpres loquitur, *exiſtimaveram*. Ipſe verò Vulgatus interpres & Eraſmus referunt ad verbum δεῖν, *oportet*, ſeu *deberi*, quod ſubſequitur. Hoc non omninò ſpernendum eſſe, monet eruditiſſimus Ludovicus de Dieu. *Etſi enim*, inquit, *uſitatiùs diceretur*, ἔδοξα ἐμαυτὸν δεῖν, *eſt tamen ubi Dativus uſurpatur etiam apud probatiſſimos autores. Ariſtoteles in problematis*, δεῖ τῷ πυρὶ ἐλθεῖν τὰς ἅλας, neceſſe eſt ignem ſubire ſales.

Adverſus nomen Jeſu Nazareni. Nomen hoc loco ſumitur vel pro ipſa perſona, cujus hoc eſt nomen, ut ſuprà cap. 4. v. 12. vel pro tota Evangelii ſeu religionis à Jeſu traditæ profeſſione, ut ſuprà cap. 5. v. 41. Mat. 10. v. 22. 1 Pet. 4. v. 14. Apoc. 2. v. 3.

Debere. Quaſi ex officio, cùm Jeſum iſtum æſtimarem fuiſſe ſeductorem, impoſtorem, & inſignem Dei adverſarium.

Multa contraria agere. Vexando & affligendo, atque perſequendo eos, qui ſeſe Chriſti diſcipulos & cultores profitentur.

10. *Quod & feci.* Cæci zeli impetu, obſtinationéque inflexibili.

Jeroſolymis. In qua Judæorum ac totius Orientis metropoli ipſe nunc captus ſum & in vincula conjectus.

Et multos ſanctorum. Id eſt, Jeſu Nazareni ſectam & inſtituta ſequentium, qui dicuntur ſancti, quia ſunt à profano hominum vulgo ſeparati profeſſione illius religionis ac doctrinæ, quam Chriſtus tradidit. Hos autem cùm Paulus furialibus armis perſequeretur, ipſe profanos, ac omni parte vitæ deteſtabiles homines autumabat. Vide ſuprà cap. 8. v. 3. & 22. v. 4.

Et cùm occiderentur. Chriſtiani ſcilicet à Judæis incredulis.

Detuli ſententiam. Id eſt, calculum album adjeci furori eorundem Judæorum incredulorum, meóque ſuffragio probavi cædem cruentam, quâ ab ipſis Chriſtiani ſternebantur. Vide ſuprà cap. 8. v. 1. 22. v. 20.

11. *Et per omnes Synagogas.* Synagogarum nomine uſitatè notantur Judæorum proſeuchæ, ſubinde etiam eorundem juridici & civiles conventus, ut 1 Mac. 7. v. 12. Additamentis ad Danielem 13. v. 41. Quin & de Chriſtianorum conventiculis exercendæ religionis cauſa uſurpatur Jac. 2. v. 2. Poſſunt itaque hîc per *Synagogas* intelligi vel iſta Chriſtianorum conventicula, in quæ Paulus olim irrumpens eos ad impatibiles cruciatus protrahebat; vel Judæorum conventus juridici ac civiles, quibus à Paulo ſiſtebantur deprehenſi ab ipſo Chriſtiani;

ani; vel denique proſeuchæ, in quibus animadverſionem ſontibus decretam exerceri ſolitam fuiſſe non incredibile eſt. Nam & Epiphanius narrat Judæum quendam cùm ad Chriſtianos deficere vellet in Synagoga flagris cæſum. Et apud Euſebium Hiſt. Eccleſ. lib. 5. cap. 15. citatur liber imperante Commodo adverſus Montaniſtas ſcriptus, ubi ait eorum gregis nullam mulierem ἐν συναγωγαῖς Ἰουδαίων μαστιγωθῆναι ἢ λιθοβολισθῆναι, *in Synagogis Judæorum aut flagris cæſam aut lapidibus uſque obrutam.*

Frequenter puniens eos compellebam blaſphemare. Id eſt, crebrò Chriſtianos pœnis exerceri curavi, ut acerbitatibus earum illos adigerem ad Chriſto maledicendum. Id tempore perſecutionum à quibuſdam non bonâ fide Chriſtianis factum teſtatur Plinius lib. 10. epiſt. 97. ad Trajanum Imperatorem.

Et amplius, &c. Q. d. Quin & gliſcente in dies veſano meo in Chriſtianos furore, non contentus eram eos Hieroſolymis tantùm omni modo excruciare, ſed ulteriùs ad civitates extra Judæam ſitas inhumanam eorum inſectationem promovebam.

12. *In quibus.* Id eſt, interim, dum hæc agerem, & in his verſarer, ut ſuprà cap. 24. v. 18.

Dum irem. Gr. ᾧ πορευόμενος, *& vadens*, id eſt, eóque animi propoſito pergerem.

Damaſcum. Syriæ metropolim, de qua ſuprà cap. 9. v. 2.

Cum poteſtate. Q. d. Obtentis à primariis ſacerdotibus procuratoriis litteris, quibus mihi dabatur autoritas, ſimúlque demandabatur cura id agendi quod conabar. Vide ſuprà cap. 9. v. 1, 2 & 14. cap. 22. v. 5.

Permiſſu. Gr. ἐπιτροπῆς, *procuratione.*

Die mediâ. Id eſt, circa meridiem, ut habetur in textu Græco ſuprà cap. 22. v. 6.

In via. Cùm videlicet jam propè ab urbe Damaſco abeſſem. Vide ſuprà cap. 9. v. 3. & cap. 22. v. 6.

13. *Vidi*, &c. Reſpice dicta ſuprà cap. 9. v. 3. & cap. 22. v. 6.

14. *Audivi*, &c. Vide ſuprà cap. 9. v. 4. & cap. 22. v. 7.

15. *Ego*, &c. Vide ſuprà cap. 9. v. 5. & cap. 22. v. 8.

16. *Sed exurge & ſta ſuper pedes tuos.* Quia ipſe & omnes qui ipſi aderant itineris comites, fulgore lucis, quæ ſolis ſplendorem ſuperabat, circumfuſi in terram prociderant ſuprà v. 14.

Ad hoc enim apparui tibi. Id eſt, eo quippe fine ego in cœlum aſſumtus, ibíque ad dextram Dei ſedens, quem oportet cœlo contineri uſque ad tempora reſtitutionis omnium, & demum ultimo die deſcendere de cœlo, ego, inquam, Jeſus Nazarenus, cujus vultus, dum in terris agerem, luxit, ut ſol,

Mat-

Mat. 17. v. 2. jam in cœlo regnans tibi in terris agenti me in fulgore lucis sole splendidioris conspiciendum præbui.

Ut constituam te. Gr. προχειρίσασθαί σε, *ut præ manibus sumtum te.* Vide quæ de hoc Græco verbo adnotavimus suprà cap. 22. v. 14.

Ministrum & testem, &c. Q. d. Tanquam eum quo uti volo præcone ac teste, tum eorum quæ modò vidisti, tum eorum quæ posthac me monstrante visurus es. *Respiciuntur,* inquit Grotius, *visa Pauli plurima, suprà cap.* 18. *v.* 9. 23. *v.* 11. *&* 2 *Cor.* 2. *v.* 2. Vide quæ diximus suprà cap. 22. v. 15.

17. *Eripiens te de populo & gentibus.* Id est, præsidium meum pollicens, quo eripieris ingentibus illis, quæ te à Judaico populo & exteris gentibus ob istius ministerii functionem manent pericula.

In quas nunc mitto te. In pro *ad.* Primùm quidem ad gentem Judaicam, sed præcipuè postmodùm ad extraneas gentes, quarum propriè te constituo Apostolum. Vide suprà cap. 22. v. 21.

18. *Aperire.* Id est, ut per prædicationem Evangelii aperias.

Oculos eorum. Non corporis, sed mentis, per metaphoram à corpore, ut Es. 42. v. 7. Ephes. 1. v. 18.

Ut convertantur à tenebris. Ignorantiæ videlicet ac impietatis. Vide Col. 1. v. 13.

Ad Lucem. Id est, ad perfectam veritatis Evangelicæ notitiam, manantémque ex ea pietatem. Græcè iterum *In* pro *ad,* ut versu proximè præcedente.

Et de potestate Satanæ. Qui spiritus malignus & invidus dum Deo & hominibus infensè adversatur, per errores seminatos & vitia ex eis exorta, homines veritatis divinitùs revelatæ ignaros tenet in sua potestate & ditione, ut sub tyrannide in misera servitute, ducens eos in extremum exitium.

Ad Deum. Id est, ad veram & solidam veri Dei colendi rationem.

Ut accipiant, &c. Q. d. Ut credentes in me gratuitâ peccatorum remissione donentur, participéque fiant æternæ hereditatis, quam Deus à vulgo profanorum sibi segregatis assignavit.

Sortem. Id est, hereditatem, quia hereditates sorte distribui solebant. Per istam sortem seu hereditatem significatur illius coelestis beatitatis, quâ Deus ipse fruitur, æterna communio.

Inter sanctos. Gr. ἐν τοῖς ἡγιασμένοις, *in sanctificatis,* id est, inter sanctificatos, seu inter eos qui divini Spiritûs efficaciâ ab impietate ac ignorantia mundanorum hominum Deo fuerunt segregati.

Per

Per fidem. Præclarè Calvinus, *Perperàm uno contextu quidam legunt*, inter sanctificatos per fidem: *quia particula hæc ad totum complexum extenditur; ideo sensus est, fide nos venire in possessionem bonorum omnium quæ per Evangelium offeruntur,*

Quæ est in me. Fides in Christum Jesum, seu fiducia in eo ut Servatore & in promissis ejus collocata, eáque viva & efficax per charitatem atque obedientiam præceptis ejusdem Servatoris præstitam, conjuncta cum seria vitæ anteactæ pœnitentia, de qua infrà v. 20. & suprà cap. 20. v. 21. fides, inquam, hæc est medium per quod ex Dei gratia obtinentur ista superiùs memorata eximia beneficia, remissio peccatorum, à pœnis per ea commeritis, præsertim à morte secunda seu æterna, liberatio, hereditatis cælestis ac vitæ æternæ donatio. Vide Gal. 5. v. 6. Jac. 2. v. 17, 22 & 26. & 1 Jo. 3. v. 23. Fides autem ista in Christum & connexa fidei spes per Christum in eum Deum tendit, cujus ipsi Judæi sese cultores profitentur. Vide Jo. 12. v. 44. & 1 Pet. 1. v. 21.

19. *Unde.* Id est, quocirca, ut Heb. 3. v. 1. 7. v. 25.

Incredulus. Gr. ἀπειθὴς, *inobsequens*, pervicacià videlicet atque inflexibili obstinatione. *Tam potens illa vocatio*, inquit Grotius, *tamen non adimebat & obsistendi potentiam. Deus libera vult obsequia, non coacta.* Vide Es. 50. v. 5. Ps. 95. v. 7. Heb. 3. v. 7, 8 & 15. 4. v. 7.

Cœlesti visioni. Hoc est, voluntati divinæ, quam cœlitùs à Christo se mihi videndum exhibente didici suprà v. 16.

20. *Sed.* Morigerus cœlesti revelationi omnibus in rebus.

His qui sunt Damasci primùm. Vide suprà cap. 9. v. 19, 20 & 22.

Et Jerosolymis. Suprà ibidem v. 28.

Et in omnem regionem Judææ. Id est, & per alias civitates Judææ præter metropolim; imò etiam extra Judæam inter Judæos aliarum regionum incolas, suprà cap. 13. v. 5, 14 & 16. cap. 14. v. 1. cap. 17. v. 2 & 10. cap. 18. v. 4, & 19. & 19. v. 8.

Et gentibus. Alienis à Judaico populo suprà cap. 13. v. 42 & 48. cap. 14. v. 1, 15, 21, 25 & 26. cap. 15. v. 35. cap. 16. v. 13 & 32. cap. 17. v. 17 & seqq. cap. 18. v. 4. cap. 19. v. 10.

Annuntiabam. Evangelicam Christi doctrinam.

Ut pœnitentiam agerent. Hoc est, ut ipsos, quòd Deum offenderint, pœniteret.

Et converterentur. Nempe à vitæ pravitate.

Ad Deum. Verum videlicet piè sanctéque colendum.

Digna pœnitentiæ opera. Id est, opera virtuti consentanea, dignáque personâ vitiosæ ac flagitiosæ vitæ seriò pœnitente, seu, ut phrasi Plinianâ à Vulgato interprete Latino passim usurpatâ utar, pœnitentiam agente. Vide quæ adnotavi ad Mat. 3. v. 2 & 8.

21. *Hac*

21. *Hac ex cauſa.* Id eſt, quòd de iſtis concionarer apud Judæos aliáſque gentes.

Me Judæi, cum eſſem in Templo, comprehenſum. Vide ſuprà cap. 21. v. 27 & 30.

Tentabant volentes me interficere. Gr. ἐπειρῶντο διαχειρίσασθαι, *tentabant manibus interficere.* Id eſt, vi & violentiâ indemnatum interimere. *Vox*, volentes me, inquit Mariana, *ſententiam perturbat. Veliſius tamen id Græcè adjicit.*

22. *Auxilio autem.* Gr. οὖν, *igitur*, pro particula adverſativa, *ſed, autem*, ut Mat. 12. v. 12.

Adjutus Dei. Qui nimirùm, juxta Chriſti promiſſum ſuprà v. 17. me ex inſidiis mihi ſtructis erepturus, benignitate ſuâ illos evadendi è manibus hoſtium ſuppeditavit modos, de quibus ſuprà cap. 21. v. 31, 32 & 33. 22. v. 23 & 24. 23. v. 6, 9, 10, 16 & 24. & cap. 25. v. 10 & 11.

Uſque in hodiernum diem ſto. Salvus & incolumis.

Teſtificans minori atque majori. Id eſt, omnes omnium hominum ordines ab humili ad ſummum erudiens atque docens quæ de Chriſto mihi comperta ſunt.

Minori atque majori. Gr. μικρῷ τε καὶ μεγάλῳ, *parvóque & magno.* Hebraica locutio, ut Deut. 1. v. 17. 1 Sam. 30. v. 2. 5. v. 9. 30. v. 2 & 19. 1 Reg. 22. v. 31. 2 Reg. 23. v. 2.

Nihil extrà dicens. De Chriſto.

Quàm ea quæ Prophetæ locuti ſunt futura eſſe. Et ſcriptis ſuis conſignarunt.

Et Moyſes. Omnium Prophetarum coryphæus tum vaticiniis ſuis, tum typis ac figuris Pentateucho ipſius inſertis de Meſſia prædixit. Vide Luc. 24. v. 27.

23. *Si.* Conjunctio iſta conditionalis ſumitur hoc loco aſſertivè, & ſignificat, *quòd*, ut ſuprà v. 8. Explicat ergo Paulus ea, quæ Moſes & Prophetæ de Chriſto prædixerant futura: nempe quòd ille ultima eſſet paſſurus, primus ad vitam immortalem reſurrecturus, & veritatis luce populum Judaicum primò, tum & alias gentes donaturus.

Paſſibilis. Id eſt, ad ultimorum perpeſſionem deſtinatus. Hoc adumbrabant omnia ſacrificia veteris fœderis, omnéſque Davidis calamitates. Idem vaticinati ſunt David Pſ. 22. Eſaias cap. 53. & Daniel cap. 9. v. 26.

Si. Id eſt, *quòd*, ut proximè.

Primus ex reſurrectione mortuorum. Id eſt, primus à mortuis ad vitam immortalem excitandus. Vide Pſ. 16. v. 10. 22. v. 32. Eſ. 53. v. 10. Huc ſpectat & hiſtoria Jonæ Prophetæ, Mat. 12. v. 40. Hinc Chriſtus ad vitæ perpetuitatem reſuſcitatus dicitur 1 Cor. 15. v. 20. *primitiæ dormientium*, & Col. 1. v. 18. *Primogenitus ex mortuis*, & Apoc. 1. v. 5. *Primogenitus mortuorum.*

Lumen.

Lumen. Saluberrimæ doctrinæ ac veræ pietatis. Vide Mat. 4. v. 16. Jo. 1. v. 4. 8. v. 12. 2 Tim. 1. v. 10.

Annunciaturus est. Id est, ipse Christus redivivus ministerio Apostolicæ prædicationis est præbiturus, juxta vaticinationem Esaiæ cap. 42. v. 6. & 49. v. 6. Vide Ephes. 2. v. 17. 1 Pet. 3. v. 18 & 19.

Populo. Judaico primùm.

Et gentibus. Id est, deindéque ceteris quibusque gentibus. Vide suprà cap. 13. v. 46 & 47. & Luc. 2. v. 32.

24. *Hæc autem eo loquente & rationem reddente.* Q. d. Cùm autem Paulus Legis Mosaicæ atque vatum oraculis causam suam defenderet, suámque defensionem rationum suarum evidentiâ probaret.

Festus. Judææ Procurator nolens sibi persuadere doctrinam Evangelicam esse divinam, nè posteà conscientia ipsi dictaret ex ejus præscripto vitam esse instituendam, & officii negligentem torqueret & lancinaret.

Magnâ voce dixit. Id est, exclamavit.

Insanis Paule. Homines mundani, voluptatibus carnalibus & huic seculo dediti, ideóque Evangelio refractarii stultum putant profiteri religionem Christi, & doctrinam hominis tam contemti, tam abjecti, qui à suis etiam popularibus in crucem fuerit actus, & morte tam infami peremtus; hunc jam redivivum pro Rege ac cœlesti Domino agnoscere ac venerari, illiúsque causâ cuncta contemnere, & dira pati, & tandem ab eo sempiternæ salutis & gloriæ præmium expectare. Vide 1 Cor. 1. v. 18 & 23. 2. v. 14.

Multæ te literæ. Id est, altissima eruditio ac scientia.

Ad insaniam convertunt. Sive, adigunt. Solent interdum ii qui semotâ ceterarum rerum curâ sese totos in literas abdunt, auctâ inde melancholiâ, ad maniam & phrenesin deduci, videatur Aristot. Problem. Sect. 30.

25. *Optime Feste.* Vide dicta suprà cap. 23. v. 26. & 24. v. 3. Paulus Procuratorem Festum honorificentissimè compellat, quamvis ipsi ab eo inhonestè objecta fuerit insaniens sapientia. Ditcamus hinc reddere magistratibus suum honorem, etiam tunc quum nos immerentes nostro spoliant honore.

Veritatis & sobrietatis verba loquor. Hebraismus, id est, verba vera & à mente benè sana profecta eloquor.

26. *Scit enim de his.* Nempe de Jesu Christi morte indigna & glorioſa ad immortalitatem resurrectione, déque doctrinæ ipsius Evangelicæ prædicatione miraculis illustri, quæ ab ejusdem discipulis facta est.

Rex. Nempe qui adest, Agrippa minor, seu junior, majoris seu senioris Agrippæ filius. Inter præcipua reorum subsi-

dia

dia à Rhetoribus ponitur, ipsam adversariorum vel Judicis conscientiam appellare. Hoc subsidio usus est Paulus & suprà cap. 25. v. 10.

Ad quem & constanter loquor. Q. d. Hácque fiduciâ, Regi nimirum nihil horum quæ dico esse ignotum, liberè ipsius conscientiam imploro.

Neque enim in angulo. Recondito videlicet quicquam horum quæ dixi de Jesu Nazareno gestum est, sed omnia in illustrioribus locis contigerunt. Quanquam autem Christi à mortuis redivivi exhibitio, non sit facta nisi in oculis discipulorum ipsius, verisimillimum tamen videtur à sepulchri ejus custodibus, qui tunc quum resurgeret, admirando præfulgentis Angeli ad sepulchrum illud accessu attoniti, quæ ibi facta sunt, primariis sacerdotibus renunciaverunt, & pecuniâ deliniti dissimularunt, Mat. 28. v. 4, 11 & 15. sensim posthac ejus rei famam fuisse inter homines vulgatam, eandémque ex tot discipulorum Jesu Christi, qui ut oculati testes id valde asseveranter constantérque palàm dicebant, afflictiones ideò obortas admodùm nihil veriti, testimonijs, longè latiùs dimanasse.

27. *Credis Rex Agrippa Prophetis?* Qui nimirùm non obscurè nobis longè antè ea de Messia prædixerunt futura, quæ ipse in Jesu Christo esse impleta omni tibi asseveratione affirmo.

Scio quia credis. Schema frequens & in foro & quotidiano sermone, interrogare, & interrogati vice sibi respondere. Plinius junior lib. 9. epist. 12. *Heus tu, nunquámne fecisti, quod à patre corripi posset? Fecisti, dico.* Cicero 1. de Natura Deorum; *An tu mei similem putas esse, aut tui Deum? Profectò non putas.*

28. *Agrippa autem ad Paulum.* Supple ex textu Græco, *dixit.*

In modico. Id est, propè. *Est*, inquit Grotius, *locutio benè Græca. Nam & Plato dixit in Apologetico,* ἔγνω ἐν καὶ περὶ τῶν πολλῶν ἐν ὀλίγῳ τοῦτο. *In modico,* id est, propè, *idem de Poetis cognovi.*

Suades me Christianum fieri. Id est, mihi persuades ut Christianus fiam. Nimirum obstabant vitia, quibus Agrippa nolebat valedicere, ne penitiùs doctrinam Christi in animum reciperet. Haud absimilis majori patruo suo Herodi Antipæ, qui reverebatur Joannem Baptistam, & aliquando libenter eum audiebat, Mar. 6. v. 20. sed ei parere nolebat, cùm de Herodiade Philippi fratris uxore dimittenda monebat. *Pauli defensio,* inquit Daniel Brenius, *tantùm apud Regem Agrippam valuit, ut quamvis Christianam religionem non fuerit amplexus, Christianis tamen, ut referunt historiæ Ecclesiasticæ, qui in urbes ditioni ejus subjectas, durante bello Romano adversus Judæos, confugissent, libertatem ibi commorandi & in pace conventus suos habendi concesserit.* Verisimillimum tamen est hoc ab Agrippa subridente

Paulo

Paulo fuisse dictum, sdque strophâ politicâ, ne Festus & cæteri qui aderant, ipsum judicarent insanire cum Paulo, quem idem Festus insaniæ jam clarâ atque intentâ voce arguerat.

29. *Et Paulus.* Corde sedato Regi Agrippæ respondens ait.

Opto apud Deum. Id est, à verticordio Deo medullitùs optarim.

Et in modico & in magno. Id est, non modò propè, ut dixisti, sed planè & omninò.

Non tantùm te. Qui hoc dixisti.

Sed etiam omnes qui audiunt hodiè. Me de Christo Jesu differentem.

Fieri tales qualis & ego sum. Id est, fieri ejusdem Christi discipulos per omnia mei similes.

Exceptis vinculis his. Id est, extra carcerem & custodias mihi circumdatas. Liberiore enim custodiâ asservabatur Paulus vinculis solutus, suprà cap. 24. v. 23. Verùm, ut benè Grotius observat, *populatis sermo* vincula *non tam strictè sumit, quàm Juris consulti.* Tale est illud Virgilii Æneid. 8. v. 651.

Et *fluvium vinclis innaret Cloelia ruptis.*

Non enim obsides unquam ligantur, ait Servius. Egregiè autem pro more ait hîc Calvinus, *Certè pios omnes hac mansuetudine præditos esse convenit, ut crucem suam placidè ferant: alios autem cupiant commodè agere, & quantum in se est, levare studeant omni molestiâ, quieti autem & lætitiæ minimè invideant. Hæc humanitas & moderatio ab eorum acerbitate longè remota est, qui malas suas aliis imprecando, solatium inde petunt.*

30. *Et.* Supple ex textu Græco, *quum hæc dixisset,* Paulus, nimirùm.

Exsurrexit Rex. Agrippa è loco, in quo attentè bonâque cum venia fortem Pauli & invictam defensionem audiens sedebat.

Et Præses. Festus Judææ Procurator. Vide quæ adnotavimus suprà cap. 23. v. 26.

Et Bernice. Agrippæ Regis soror, de qua suprà cap. 25. v. 13.

Et qui assidebant eis. Tribuni militares & Summates Cæsareenses, de quibus suprà cap. 25. v. 23.

31. *Et cùm secessissent.* In aliquem locum, ubi sine arbitris auscultantibus inter se de Paulo colloqui possent.

Vinculis. Id est, custodiis. Vide dicta suprà v. 29.

Fecit homo iste. Nempe Paulus, quem tunc causam suam perorantem audiverant. *Quod* inquit Calvinus, *absolvitur Paulus omnium sententiâ, in Evangelii non vulgare decus cessit*

Et

Et Festus reliquis assentiens, seipsum damnat: ut qui sua iniquitate in eas angustias Paulum conjecerat, sub specie mutandi loci ejus vitam hostium insidiis prodendo. Tametsi autem videtur provocatio sancto viro damnosa esse: quia tamen hoc unicum illi à morte effugium fuerat, quietus manet, nec satagit, ut se ab illo laqueo explicet: non modò quia jam res non erat integra, sed quia in visione admonitus fuerat se Romam quoque divinitùs vocari. Respice suprà cap. 23. v. 11.

32. *Dimitti poterat homo hic.* Vinculis absolutus, utpote qui insons est, nulliúsque criminis convictus.

Si non appellasset Cæsarem. Appellatione potestas judicis à quo appellatum est, non solùm ad condemnandum, sed etiam ad absolvendum planè cessat, ut causa integra servetur cognitioni judicis superioris appellati.

CAP. XXVII.

1. UT *autem judicatum est.* Decernente nimirùm nunc quoque Festo Judææ Procuratore, ut etiam anteà suprà cap. 25. v. 12.

Navigare eum. Vulgati codices Græci habent, ἡμᾶς, *nos.* Id est, ut Paulus & Cæsareenſi portu enavigaret unà cum ipsius sociis, nempe Luca, qui hæc literis mandavit, & Aristarcho Macedone ex urbe Thessalonica, qui versu mox sequenti memoratur.

In Italiam. Regionem illam celebrem Europæ, in cujus metropoli Roma Cæsar, quem Paulus appellavit, residebat. Vide quæ de Italia adnotavimus suprà cap. 18. v. 2.

Et tradi Paulum. Id est, atque ut traderetur Paulus. Gr. Παρεδίδουν τόν τε Παῦλον, *tradidérúntque Paulum,* nempe qui eum liberali custodiâ septum tenebant.

Cum reliquis custodiis. Id est, cum quibusdam aliis qui custodiis asservabantur, & ob causarum cognoscendarum difficultatem Romam ad Cæsarem erant mittendi.

Cohortis Augustæ. Id est, cohortis ex legione Augusta. *Nam,* inquit Grotius, *Augusta nomen legionis in antiquo lapide apud Lipsium ad Taciti secundum historiarum.* Legio sub Cæsaribus dividebatur in decem cohortes, cohortes autem singulæ in ternos manipulos, manipuli in binas centurias. Hæc itaque legio sextum millium militum fuit, habuitque denas cohortes, tricenos manipulos, sexagenas Centurias. Vide Salmasium de re militari Romanorum cap. 2 & 3.

2. *Ascendentes navem Adrumetinam.* Q. d. Cùm autem nulla adesset navis, quæ rectà perageret in Italiam, conscendimus navem quæ Adrumeto vel, ut habet Græcus textus, Adramyttio mercimonii causâ ad littus Judææ venerat. Adrymes vel Adrymetus, sive Adrumetum, fuit urbs Libyæ, memoratur Plinio lib. 5. nat. hist. cap. 4. Straboni lib. 17. vocatur Ἀδρύμης. Fuisse oppidum munitum patet ex Diodori Siculi Bibliothecæ historicæ lib. 20. quandoquidem Agathocles id obsidione cinxit; ejus sunt verba, Græcis relictis, Latina appono, *Dum hæc geruntur, Agathocles jam campestria in potestate habens, castella vicina Carthagini vi cepit, urbiúmque alias metu, alias odio Carthaginensium*

thaginenſium ad ſuas partes adduxit, caſtris verò prope Tauretum munitis, & ſufficienti relicto præſidio, ad urbes mari vicinas movit, primáque vi captâ novâ urbe, cum victis clementer ſe geſſit, unde verſus Adrymeten progreſſus, eam obſidione cinxit. Adramyttium verò fuit urbs Myſiæ juxta Caicum ejuſdem Myſiæ fluvium, teſte Plinio l. 5. c. 30. Prolemæus Geographiæ l. 5. c. 2. Adramyttium inter Phrygiæ majoris oppida memorat; Phrygia verò major finitima erat Æolidi, quæ *Myſia* quoque quondam appellata fuit. Erat Adramyttium urbs memorabilis, Athenienſium colonia, habebat portum & navium ſtationem, ut memoriæ prodidit Strabo lib. 13. ex qua fuiſſe Xenoclem inſignem oratorem inquit.

Incipientes navigare circa Aſiæ loca. Q. d. Quæ navis aditura erat loca Aſiæ minoris maritima, cujus Aſiæ pars eſt Myſia. Græci codices vulgares habent, μέλλοντες πλεῖν, *incipientes navigare*, ſeu, ut Beza reddit, *navigaturi.*

Suſtulimus. Gr. ἀνήχθημεν, *avecti ſumus*, ut ſuprà cap. 16. v. 11. 18. v. 21. 20. v. 3 & 13. & infrà v. 4.

Perſeverante nobiſcum Ariſtarcho. Hic Paulum ex Macedonia in Judæam uſque comitatus fuerat ſuprà cap. 19. v. 29. & 20. v. 4. Idem Paulum jam cuſtodiæ datum ex amore in ipſum & veritatem ab ipſo prædicatam ſponte comitari voluit, Romæque primùm adjutor ejus, Philem. v. 24. deinde vinculorum particeps fuit, Col. 4. v. 10.

3. *Sequenti autem die devenimus.* Gr. κατήχθημεν, *devecti ſumus. Sidonem.* Urbem illam Phœniciæ celebrem, de cujus amplitudine & antiquitate ſacræ literæ non ſinunt nos dubitare, quoniam Joſue cap. 19. v. 18. vocatur צִידוֹן רַבָּה, *Sidon ampla.* Vide quæ de Sidone & Tyro adnotavimus in explicatione noſtra literali ad Joel 3. v. 4. & Mat. 11. v. 21.

Permiſit, &c. Q. d. Paulo roganti conceſſit eam libertatem, ut ad arbitrium ſuum adiret fautentes ſibi in illa Phœniciæ ora Chriſtianos, qui curarent & providerent nequid ipſi deeſſet.

4. *Et inde cùm ſuſtuliſſemus.* Id eſt, Sidone avecti.

Subnavigavimus Cyprum. Gr. ὑπεπλεύσαμεν τὴν Κύπρον, quæ Cl. Ludovicus de Dieu reddit, *navigavimus infra Cyprum.* Ὑπό, *ſub*, id eſt, *infra.* Si ventus tuliſſet, direxiſſent iter recto ferè curſu Sydone Myram ſupra inſulam Cyprum, relictâ inſula ad dexteram. Jam verò curſum obliquare, & infra inſulam declinare debuerunt, relictâ eâ ad ſiniſtram, adeóque inſulam quodammodo circuire. Hinc Syrus & Arabs vertunt, *circuivimus juxta Cyprum.* Quod & planiùs Syrus infrà v. 7. ubi pro μὴ προσεῶντος ἡμᾶς τοῦ ἀνέμου, ὑπεπλεύσαμεν τὴν Κρήτην, Syrus habet, *& quia non permittebat ventus, ut iremus rectè, circuivimus juxta Cretam:* id eſt, quum ab inſula Cnido in mare Adriaticum rectâ viâ ſupra Cretam, & relictâ eâ ad ſiniſtram,

tendere per ventum non liceret, declinavimus infra eam, atque ita capientes eam ad dexteram, circuivimus. *Phrases illæ*, inquit Ludovicus de Dieu, *etiamnum nautis usitatæ sunt, ut rem in navi objectam præternavigaturi, dicantur supra eam navigare quum rectâ viâ præterzebuntur, infra eam, quum declinare & circuitu uti coguntur. Prius* ὑπερπλεῖν, *alterum* ὑποπλεῖν *Græcis dicitur. Adeòque laudamus clarissimum* Bezam, *qui infrà v.* 16. ὑποπλεύσαντες, *vertit*, & infra parvam quandam insulam delati. De insula Cypro diximus suprà cap. 4. v. 36.

Propterea quòd venti essent contrarii. Id est, quòd supra insulam Cyprum recto cursu navigare, per ventos non liceret.

5. *Et pelagus Ciliciæ & Pamphyliæ.* Gr. τό τε πέλαγος τὸ κατὰ τὴν Κιλικίαν καὶ Παμφυλίαν διαπλεύσαντες, *& pelagus quod est secundum Ciliciam & Pamphyliam navigando emensi.* Vide quæ de Cilicia diximus suprà cap. 6. v. 9. & de Pamphylia cap. 2. v. 10.

Venimus Lystram, quæ est Lyciæ. Lystra non Lyciæ sed Lycaoniæ urbs est procul mari in continente sita, corrigenda ergo est vulgata editio Latina, atque legendum, *Venimus Lymiram*, vel *Limyram*, seu *Lamyram*, vel denique ut habetur in vulgaribus codicibus Græcis, *Myra*. Lymiræ fluvii & cognominis civitatis juxta mare in Lycia meminit Pomponius Mela lib. 1. cap. 15. & Plinius 5 nat. hist. 27. Limyra urbs Lyciæ à Lymiro fluvio, cui adjacet, nomen habens memoratur Straboni lib. 14. Ptolemæo lib. 5. cap. 5. Scylaci in Λυκία, & Stephano Byzantio, qui & Lamyram Lyciæ urbem suo loco celebrat, sed cùm hic autor soleat ex una eadémque urbe diversas facere, facilè credam eandem fuisse urbem. Urbs denique Lyciæ metropolis apud Lymiram fluvium & cognominem urbem in colle, viginti stadiis à littore distans mediterranea, vulgò *Strumita*, Ptolemæo l. 5. c. 3. Μύρα, Plinio & aliis *Myra* neutro plurali dicitur, Μύρα in Notitia, Stephano Μύρων appellatur. Lycia autem erat Asianæ diœceseos *provincia primùm Præsidialis, dein sub Justiniano inter Consulares recensita, divisa in interiorem, & exteriorem seu maritimam, habuit ad Occidentem Cariam, ad septentrionem Lydiæ partem, & Pacatianæ meridionalis, ad Ortum Pamphyliam, ad Meridiem mare Rhodium*, inquit Frid. Spanhemius in introductione ad Geographiam sacram. Nomen adeptam fuisse hanc provinciam a Rege Lyco Pandionis filio præter Stephanum testatur Mela lib. 5. cap. 15. Crago hujus regionis celeberrimo monti, qui crebrò ignem eructabat, ut Ætna Siciliæ, Chimæra monstrum affingebatur, quod graphicè depingit Poetarum parens Il. 6. v. 181.

Πρόσθε λέων, ὄπιθεν δὲ δράκων, μέσση δὲ χίμαιρα.
Prima leo, postrema draco, media ipsa chimæra.

Sic

Sic imitatus est Lucretius, & vertit feliciùs, quàm Ovidius:

Quóque Chymæra jugo mediis in partibus hircum,
Pectus & ora leo, caudam serpentis habebat.

Mons ille occasionem fingendi hoc monstrum præbuit Poëtis, in cujus vertice leones, in medio capræ, in radicibus dracones habitabant, cujus fabulam ad amorem deflectebant, qui sicut leo invadit, nec discedit, nisi patratâ libidine, quam capra libidinosum animal significat, in fine autem pœnitentiæ morsum draconis instar relinquit. Hoc monstrum fabulabantur occisum à Bellerophonte, cujus descriptionem videsis apud Strabonem lib. 14. & apud Ptolemæum lib. 5. cap. 3. Stephanus meminit alterius Lyciæ ad Ciliciam, *in qua*, infit, *regnavit Sarpedon.* At Strabo lib. 12. cùm duplices memoret Lycios, neutros ad Ciliciam locat. Alteros enim vocat *Troicos*, alteros *ad Cariam*: Οἱ δὲ διτλοὶ Λύκιοι τοῦ αὐτοῦ γένους ὑπόνοιαν παρέχουσιν, ἢ τῶν τρωϊκῶν, ἢ τῶν πρὸς Καρίαν τοὺς ἑτέρους ἀποικισάντων. i. e. *Duplices porro Lycii suspicionem præbent eandem gentem, vel Troicorum, vel eorum qui ad Cariam, alteros in coloniam deduxisse.* Eadem Eustathius refert ad Periegetæ v. 857. Vero simile est de Troica Lycia loqui Virgilium, cùm Æn. 4. v. 143. ait.

Qualis ubi hybernam Lyciam Xanthíque fluenta
Deserit, ac Delum maternam invisit Apollo.

At Servius non novit Lyciam Troicam, nec Ciliciæ, & illud interpretatur de Lycia absolutè dicta Lycia, ut & Cerda. Memorantur etiam apud Poetas Lyciæ sagittæ, & Lyciæ pharetræ, de quibus videsis eosdem autores ad Virgilii Æneid. 7. v. 814.

——— *Ut Regius ostro*
Velet honos læves humeros, ut fibula crinem
Auro internectat: Lyciam ut gerat ipsa pharetram.

6. *Et ibi inveniens Centurio navem Alexandrinam.* Id est, navem quæ ab Ægyptia Alexandria illuc venerat. Vide quæ de hac urbe adnotavimus suprà cap. 6. v. 9. & cap. 18. v. 24.

Navigantem. Rectà.

In Italiam. Quò sæpè Alexandrinis navigiis ex Ægypto & annona & merces plurimæ advehebantur.

Transposuit nos. E navi Adrumetina sive Adramyttena, quam conscenderamus suprà v. 2.

In eam. Quæ rectà Italiam petebat, nec aliò deflexura erat.

7. *Et cùm.* Ob ventos adversos.

Multis diebus tardè navigaremus. Id est, spatium maris tantillum longo intervallo emensum cerneremus. *Nec mirùm,* inquit Pricæus, *hoc eos queri, qui sinus obliquabant, cùm qui ferentibus utuntur ventis, si satis demoratos putent.* Navigantibus etiam cita navigatio tarda videtur, *inquit Servius ad Æneid.* 5.

Et vix devenissemus contra Gnidum. Id est, pervenissemus juxta Cnidum seu Gnidum urbem maritimam in Cariæ peninsula Doride & in Promontorio sitam, insulæ Cretæ oppositam.

Prohibente nos vento. Supple ex Syro interprete, *ut iremus retrò.*

Adnavigavimus Cretæ. Gr. Παρεπλεύσαμεν τὴν Κρήτην, *navigavimus infra Cretam,* seu, ut Syrus interpretatur, *circuivimus juxta Cretam.* Videsis adnotata suprà v. 4. Creta, maxima insula, quæ nunc vulgò dicitur *Candia,* multis olim famigerata fabulis, adventu Europæ, Pasiphaës & Ariadnæ amoribus, Minotauri feritate fatóque, Dædali operibus & fugâ, ac Jovis sepulchro, cui ejus nomen insculptum esse accolæ ostendebant, ut memoriæ prodidit Mela lib. 2. cap. 7. ideo Sallustius apud Servium ad illud Virgilii Æneid. 8. v. 349.

Jam tum religio pavidos terrebat agrestes
Dira loci:

inquit Cretenses primos inveniisse religionem, quòd apud eos natus fingebatur Jupiter. Hecatompolis verò dicebatur apud scriptores, quod centum haberet urbes, quas Horatius *oppida* vocat. Ac proinde Paulus Titum in Creta reliquerat, ut constitueret Presbyteros κατὰ πόλιν, *per civitates,* vel, ut Erasmus reddit, *oppidatim.* Juxta Ptolemæum lib. 3. cap. 17. ab Occasu terminabatur mari Adriatico, à Septentrionibus, Pelago Cretensi, à Meridie, Libyco, ab Oriente, Carpathio. Ejus præcipuæ urbes fuere, Gortyna, Phalasarna, Cydonia, Cnossus, Minois regia. Virgilius 3 Æn. v. 104.

Creta Jovis magni medio jacet insula ponto
Mons Idæus ubi, & gentis cunabula nostræ:
Centum urbes habitant magnas, uberrima regna.
Maximus unde pater, si rite audita recordor,
Teucrus Rhœteas primum est advectus ad oras.

Trojanos enim à Creta insula profectos duce Teucro in Phrygiam venisse, atque Idam Trojæ ab Ida Cretæ monte appellasse pro certo habebatur, quo in monte Varro in libro, quem de litoralibus fecit, adhuc suis temporibus affirmat sepulchrum Jovis

ibi

ibi visitatum, utì refert *Solinus* cap. 17. in cujus rei testimonium dicebant Teucrum Apollini Sminthio templum consecrasse. *Sminthum* enim Cretenses vocabant murem, cujus magna fuit apud Trojanos religio, autore Strabone lib. 13. Celebris fuit Creta præterea labyrintho omnium celeberrimo à Dædalo jussu Minois facto. Eam etiam illustrabant Minos & Rhadamanthus, qui propter insignem justitiam judices à Poetis apud inferos fingebantur, quorum Minos Cretensibus leges quoque dedisse fertur. Eam quoque nobilitavit Lycurgus Lacedemoniorum legislator voluntario exilio. Cretenses etiam fuere Epimenides, & Georgius Trapezuntius insignis Philosophus, ille de rerum natura carmine scripsit, ut apud Latinos Lucretius, Georgius Trapezuntius etsi in Creta natus à Trapezunte Cappadociæ urbe, unde paternum genus trahebat, nomen habere maluit; Aristotelem maximè admirabatur, Platonem valde contemnebat, plurima è Græco vertit, nec Pauca Latinè scripsit. Ferunt in extrema senectute omnium, ac sui quoque nominis oblitum fuisse, de quibus videsis Vossium de historicis Latinis lib. 3. cap. 8.

Juxta Salmonem. Cretæ promontorium Orientale, Gnido & Rhodo obversum, quod aliàs *Salmonium* vocant. *Itaque*, inquit Beza, *coacti sunt isti ad sinistram deflectere, ut ab Orientali fronte Cretæ ad Australem oram deflecterent.*

8. *Et vix.* Id est, magnáque cum difficultate ob ventos incommodos.

Juxta navigantes. Id est, præternavigantes illud promontorium. Gr. Παραλεγόμενοι, *prætervigentes.* Παραλέγεσθαι est vox nautica. 3 Æn. v. 127.

Crebris legimus freta concita terris.

Ubi servius: *Præterimus. Tractus autem sermo à nautis: quòd funem legendo, id est, colligendo, aspera loca prætereunt.*

Venimus in locum quendam. Dictæ insulæ Cretæ.

Qui vocatur Boni portus. Gr. *Pulchri portus.* Cale acte, Καλὴ ἀκτὴ, id est, *Pulchrum littus*, urbs Cretensium Stephano & Ptolemæo lib. 3. cap. 15. Eubœæ, Herodoto lib. 6. cap. 23. Siciliæ, quæ Ciceroni *Calata* dicitur, ejúsque incolæ *Calatini.*

Cui juxta erat civitas Thalassa. Gr. Λασαία. *Civitatis Lasææ*, inquit Beza, *nulla usquam mentio apud Geographos, quos ego quidem legerim. Plinius inter Cretæ urbes quoque Lasòn numerat, sed mediterraneam. Ptolemæus etiam quandam Lissòn vocat, sed parti Orientali proximam. Vulgata pro* Lasæa *habet* Thalassa, *quod corruptum esse admonit Hieronymus, &* Laræa *legendum. Sed quid si tamen hoc quàm illud corruptum est? Nam apud Stephanum reperio Thalassam civi-*

vitatem, sed non adscripto ipsius situ. Libentiùs igitur ego Ἐλαίαν *legerem, inter primarias maritimas Cretæ urbes à Plinio numeratam.*

9. *Multo autem tempore peracto.* In navigatione lenta & incommoda præter spem nautarum & vectorum insumto.

Et cùm jam non esset tuta navigatio. Q. d. Et periculosa inciperet esse navigatio.

Eò quòd jejunium jam præteriisset. Tempus designat Lucas ex more Judaici populi, atque *jejunium* pro tempore jejunii celebrati usurpat. *Cùm autem,* inquit Cl. Heinsius, *absolutè jejunium dicitur, ne dubitandum quidem quin jejunium, quod* magnum, *sive* צום הגדול *dicitur, intelligendum sit: quod &* יום צום, ἡμέρα νηστείας, *absolutè, & compendiosè,* יה, *quod est* יום הכפורים, ἡμέρα καθαρμῶν, dies expiationum *dicitur. Quo die in luctum maximum Judæi se effundunt, ita ut viginti quatuor & amplius horas, albis induti vestibus, assiduè precentur ac jejunent: ut memoriam peccati verè horrendi, & μοσχοποιΐας nempe, ita detestentur, pœnámque tanto debitam flagitio avertant. Qui in decimam lunam Septembris incidit: quo mense ut Pleiades occidunt, ita & tempestuosum mare redditur.* De annuo hoc solemni Judæorum jejunio vide Lev. 16. v. 29 & seqq. & cap. 23. v. 27. & seqq.

Consolabatur. Gr. Παρήνει, *adhortabatur,* scilicet ad intermissionem à navigatione faciendam.

10. *Cum injuria.* Id est, non sine magno detrimento.

Non solùm oneris. Quo navis onusta est.

Et navis. Quæ ipsa tempestatibus, procellisque jactata debilitabitur.

Sed etiam animarum nostrarum. Id est, personarum nostrarum, quorum sanitas corrumpetur.

Incipit esse navigatio. Græcè hæc verba per infinitum prolata sunt, μέλλειν ἔσεσθαι τὸν Πλοῦν, *futuram esse navigationem,* pro μέλλει ἔσεσθαι ὁ Πλοῦς, *futura est navigatio.* Unde apparet voculam ὅτι initio hujus versiculi positam post verbum θεωρῶ, *video,* vel redundare, ut Mat. 26. v. 72. & Mar. 12. v. 19. vel sumi pro particula affirmante, *utique,* ut 1 Jo. 3. v. 20.

11. *Centurio autem.* Julius, de quo suprà v. 1 & 3.

Gubernatori. Hoc est, ei qui navem gubernaculo dirigebat.

Et nauclero. Id est, ei, qui navi præerat, & nautarum cuique sua munia præscribebat. Qui hoc officio nautico fungitur, à Cicerone vocatur *navicularius* & *navicularius.*

Magìs credebat. Id est, ut rei nauticæ peritis potiùs auscultandum censebat.

Quàm his quæ à Paulo dicebantur. Divinâ præsagitione.

12. *Portus.* Quem vocant Καλοὺς λιμένας, *Pulchros* seu *Bonos Portus,* vel Καλοὺς λιμένας, *Pulchrum littus.* Vide dicta suprà v. 8.

Ad

Ad hyemandum. Id est, ad tempus hybernum navigationi neutiquam commodum ibi transigendum.

Plurimi statuerunt consilium. Id est, ex plerorumque consilio constitutum fuit.

Navigare inde. Id est, solvere è portu isto hyemis traductioni perincommodo. Supple, *volentes experiri.*

Si quomodo possent devenientes Phœnicem. Gr. Φοίνιξα. *Urbem ipsam,* inquit Beza, *Ptolemæus ita vocat, portum autem* Φοινικοῦντα, *in australi Cretæ littore.* Vide Ptolem. lib. 3. cap. 17.

Hyemare. Id est, hyemis tempus illic transigere.

Portum Cretæ. Insulæ, de qua suprà v. 7.

Respicientem ad Africum. Id est, ventum ab Africa seu Libya spirantem inter Meridionalem & Occidentalem plagam.

Et ad Corum. Seu *Caurum* ventum iqui flat inter Occasum & Septentrionem. *Si,* inquit Ludovicus de Dieu, *mappis credimus, erat portus iste in ea Cretæ parte, quæ rectà Africam, ideóque Meridiem respicebat. Quomodo ergo respexit* Λίβα καὶ χῶρον, Africum & Corum, *qui duo venti sunt Occidentales, Africus ad Occasum Meridionalem, Corus ad Borealem? Respondeo portum fuisse sinuosum ac flexuosum, qui, si totum in se spectes, Meridiem rectà respiciebat: sin sinus & usum ejus, spectabat Africum, id est, illud Occidentis Meridionalis punctum, ubi Africus Coro in rectà linea opponitur, adeóque opportunissimus huic navigationi erat portus; illac enim in mare Adriaticum rectum erat iter.*

13. *Adspirante autem austro.* Q. d. Quum autem bellè nobis flasset lenissimus Auster.

Æstimantes propositum se tenere. Id est, jam nautæ nihil dubitantes quin propositum essent assecuturi.

Cùm sustulissent. Anchoras, seu, quum solvissent è portu, prout plerorumque consilio constitutum fuerat suprà v. 12.

De asson. Gr. ἄσσον, absque ulla præpositione, quod satis indicat *asson* hîc esse adverbium idem significans atque *propiùs,* non verò urbeculam Cretæ, quæ cum simplici sigma Ἄσος, *Asus* dicitur Stephano, vel mediterraneum illud oppidum, quod inter Cretæ insulæ insignia oppida reponitur, & *Asum* in neut. gen. vocatur à Plinio lib. 4. Nat. hist. cap. 12. multò minùs urbem illam Asson Troadi vicinam, à Creta insula, cujus hîc littus legebant, valde longè remotam, de qua suprà cap. 20. v. 13.

Legebant Cretam. Gr. Παρελέγοντο τὴν Κρήτην, *præterlegebant Cretam.* Id est, ut suprà v. 8. præternavigabant Cretam, seu, secundum littora Cretæ navigabant, sed, ut dictum est, ἄσσον, *propiùs,* ita ut ipsam Cretæ oram quasi raderent. Nihil scilicet metuentes ne in littus impingerentur, quàm proximè oram Cretæ legentes, eò quòd clementiùs spiraret Auster, uti ex mox dictis cognovimus.

14. *Non*

14. *Non post multum autem.* Scilicet tempus. Latinius diceretur, at non multò pòst quàm anchoræ sublatæ fuerunt, seu, anchoris solutis, insulæ præternavigatio suscepta fuit.

Misit se contra ipsam. Id est, in Cretam insulam impegit, seu irruit.

Ventus typhonicus. Id est, insanis turbinibus furens ventus.

Qui. Ventus videlicet vehemens, ac furens.

Vocatur Euroaquilo. Gr. Ἐυροκλύδων, *Euroclydon.* Eurus est ventus Orientalis, flans ab ortu hyberno, à quo hoc nomen compositum, addità voce *clydon*, quæ Græcè *fluctum* notat, quòd fluctus decumanos flatu suo hic ventus ciere soleat. Apud Vulgatum interpretem est *Euroaquilo*, quasi Eurus ad Aquilonem vergens, 'sive, *inquit* Beza, quòd legerit Ἐυροακύλων, sic 'enim etiam Aquilam vocat Lucas Ἀκύλαν, sive quòd Euroa'quilonem hunc esse, id est, ventum ab Ortu solstitiali æstivo 'flantem, inde judicarit quòd ex Cretico littore partim Me'ridiem, partim Occidentem versus impulsa sit navis, Melitam 'videlicet, quæ inter Africam & Siciliam sita est: quum præ'sertim timuisse dicantur ne in Syrtin Meridiem versus impel'lerentur. Itaque mihi non potest hæc conjectura displicere, 'quum Eurum etiam Riphæum vocet Virgilius, & hybernis 'tempestatibus optimè conveniat hic ventus. Servavi tamen 'vocabulum *Euroclydon*, quod in omnibus Græcis exemplaribus 'inveni: ex quo intelligitur ventum hunc Orientalem fuisse, & 'quidem valde procellosum. Nam Græci fluctum κλύδωνα 'vocant. Is est ergo, quem Hebræi רוח קדים, Latini 'Poëtæ *aquosum, nubiferum, nigrum, sævum, tonantem* vocant. Ita'que navem, quamvìs Occidentem versus, id est, in Italiam 'Eurus eam impelleret: tamen mirum non est in tanta tem'pestate cursum rectum tenere non potuisse, sed modò huc, 'modò illuc arbitrio fluctuum fuisse impulsam. Quòd si etiam 'hic ventus fuit Euroaquilo, ab Italia certè arcebat: ac mirum 'est non fuisse navim Africæ littoribus impactam. Syrus no'mina Græca eadem retinuit. Arabs Euroclydonem, sibi ni'mirùm ignotam vocem, expunxit.

15. *Cùmque arrepta esset navis.* Rapidissimis nimirùm vorticibus, *quibus intorta navis, obliqua, & gubernaculi impatiens agebatur*, ut loquitur Quintus Curtius lib. 9.

Et non posset conari in ventum. Id est, *obsistere vento*, ut vertit Syrus. Gr. ἀντοφθαλμεῖν τῷ ἀνέμῳ, *obtueri vento.* Ἀντοφθαλμέω propriè significat, interprete H. Stephano, *Intuentem obtueor*: ἀντιβλέπω ἐξ ἐναντίας, *ex adverso intueor*, ut habet Suidas. Gaza in somnio Scipionis, *Solem adversum intueri*, interpretatus est, ἀντοφθαλμῆσαι τῷ ἡλίῳ. Metaphoricè ἀντοφθαλμεῖν est, *obniti resistere, obsistere.* Ecclesiastici 19. v. 5. Ὁ δὲ ἀντοφθαλμῶν ταῖς ἡδο-

ἡδοναῖς στεφανοῖ τὴν ζωὴν αὐτοῦ. Hoc est, Drusio interprete, *Qui verò resistit voluptatibus, coronat vitam suam.* Sic & ἀντιβλεπεῖν passim usurpari à Josepho adnotat Grotius. Elegantis Metaphoræ origo inde esse videtur, quòd qui renititur, obvertit oculos, & navis contra ventum tendens, et obversam habet proram, cujus pars quædam dicitur ὀφθαλμὸς, *oculus*, uti ex Polluce adnotavit Cl. Beza. Virgilius Æn. 5. v. 20.

Consurgunt venti, atque in nubem cogitur aer:
Nec nos obniti contrà, nec tendere tantùm
Sufficimus.

Datâ nave flatibus, ferebamur. Non quò volebamus, sed quò venti violenti summa vis rapiebat.

16. *In insulam autem quandam decurrentes.* Gr. Νησίον δὲ τι ὑποδραμόντες. *infra parvam quandam insulam delati.* Vide quæ adnotavimus suprà v. 4.

Quæ vocatur Clauda. Gr. Κλαύδη. In quibusdam exemplaribus Καύδη. Sic & nonnulli Latini codices vulgatæ editionis habent *Cauda.* Arabs, אקלורא, *Iclauda.* Syrus קורא *Cauro*, sed legendum monet Clarissimus Bochartus קורא *Caudo.* Suidas: Καυδὸ. νῆσος πλησίον Κρήτης, ἔνθα μέγιστοι ὄναγροι γίνονται, *Caudo, insula prope Cretam in qua maximi nascuntur onagri.* Hanc autem insulam à Mela lib. 2. cap. 7 & Plinio lib. 4. cap. 12. *Gaudon*, à Ptolemæo *Claudon* dici adnotat post Joachimum Vadianum mox laudatus Bochartus. Erat & alia insula, quæ Straboni lib. 6. dicitur *Gaudos*, Stephano verò & aliis *Gaulos*, in Siculo freto Africam versus, ut tradit Mela lib. 2. cap. 7. una ex tribus insulis à Carthaginensibus olim habitatis, quæ, autore Scylace, fuere *Melite, Gaulus, & Lampas.* De hac Carthaginensium *Gaudo* seu veriùs *Gaulo* Solinus fere idem prodit cap. 32. ac Plinius de insula Galata eidem insulæ *Gaulo* vicina, quòd nimirum in ea *Serpens neque nascitur, neque vivit invecta, propterea jactus ex ea quocunque gentium pulvis arcet angues, scorpiones superjactus illicò perimit.*

Potuimus vix obtinere Scapham. Id est, ægrè Scapham ventis jactatam potuimus rapacibus undis subducere, ne navi allideretur. *Scapha* vocatur parva navicula, quæ navim magnam alligata sequitur, quâ, si necessum est, enavigatur eò, quò navis grandis accedere non potest. Dicta est autem scapha ἀπὸ τοῦ σκάπτειν, hoc est, ab excavando, propterea quòd primùm ex prægrandi arbore cœptæ sunt excavari.

17. *Quâ.* Scaphâ videlicet.

Sublatâ. Nimirùm è mari in ipsam navim, cui erat alligata. *Contraria sunt*, inquit Grotius, αἴρειν σκαφὴν, Scapham tollere, & χαλᾶν, demittere.

Ad-

Adjutoriis utebantur, Id est, collatis operis nauarum, sive, ut alii volunt, funibus, catenis & uncis.

Accingentes navem. Nempe funibus utrinque sub carinam adductis, & ita utrinque navis latera adstringentibus, ne vi ventorum & fluctuum in frusta dissiliret.

Et timentes ne in Syrtim inciderent. Id est, ne navis unà cum ipsis in brevia & Syrtes urgeretur, vadis illideretur, atque aggere cingeretur arenæ. Syrtes & brevia vocantur omnia loca vadosa arenosa, quæ naves ipsis appulsas veluti trahunt, & retinent, demúmque absorbent. Syrtium harum naturam sic definit Lucanus lib. 9. v. 304.

Syrtes vel primam mundo Natura figuram
Cùm daret, in dubio pelagi terræque reliquit.
(Nam neque subsidit penitùs, qui stagna profundi
Acciperet, nec se defendit ab æquore tellus,
Ambiguâ sed lege loci jacet invia sedes:
Æquora fracta vadis, abruptâque terra profundo,
Et post multa sonant projecti littora fluctus.
Sic malè deseruit, nullosque exegit in usus
Hanc partem Natura sui.) Vel plenior alto
Olim Syrtis erat pelago, penitusque natabat:
Sed rapidus Titan ponto sua lumina pascens,
Æquora subduxit zonæ vicina perustæ:
Et nunc pontus adhuc Phœbo siccante repugnat.
Mox ubi damnosum radios admoverit æstum,
Tellus Syrtis erit: nam jam brevis unda supernè
Innatat & latè periturum deficit æquor.

Syrtium autem celeberrimæ sunt, quas sic describit Sallustius in Jugurtha: *Duo sunt sinus propè in extrema Africa, impares magnitudine, pari naturâ, quorum proxuma terræ prælta sunt, cetera, uti fors tulit, alta, alia in tempestate vadosa. Nam, ubi mare magnum esse, & sævire ventis cœpit, limum, arenámque, & saxa ingentia fluctus trahunt; ita facies locorum cum ventis simul mutatur. Syrtes ab tractu nominatæ.* Ab his duabus Syrtibus mare Lybicum, quâ Africam propriè dictam alluit, *Mare Syrticum* nominatur apud Senecam lib. de vita beata. Vide plura de his apud Melam, lib. 1. cap. 7. Plin. lib. 5. cap. 4. Solinum cap. 30.

Summisso vase. Id est, demissâ antennâ cum velo subnexo. Nam, ut ait Seneca, *Quoties ventus increbuit, majórque est quàm expedit, antenna demittitur.* Hinc illud Ovidii,

Effugit hybernas demissa antenna procellas.

Est autem Hebraismus Scripturæ familiaris, quo quævis res mobilis *vas* appellatur.

Sic. Nempe velis tempestati subductis.

Ferebantur. Id est, per undas fluctuabant, quò earumdem impetus rapiebat.

18. *Validâ autem nobis tempestate jactatis.* Q. d. Quum autem navis vastâ percussa procellâ modò ad cœlum attollebatur, modò inter dehiscentes undas velut in abyssum & barathrum præcipitabatur. Vide elegantem horridæ tempestatis descriptionem, Ps. 107. v. 25 & 26. Quam Virgilius imitatus eleganter expressit his versibus Æn. 3. v. 564.

Tollimur in cœlum curvato gurgite, & iidem
Subductâ ad manes imos descendimus undâ.

Sequente die jactum fecerunt. Id est, nautæ è navi ejecerunt sarcinas graviores, atque merces onerosiores, ut navis ocere levata, ex aquis altiùs eminens, minùs facilè undis irruentibus obrueretur.

19. *Et tertiâ die.* A coorta scilicet tempestate naufraga.

Suis manibus armamenta navis projecerunt. Gr. αὐτόχειρες τὴν σκευὴν τῆς πλοίας ἐῤῥίψαμεν, *ipsi manibus armamenta navis ejecimus.* Nos videlicet qui unà cum nautis navi vehebamur. Aliqua exemplaria habent, ἐῤῥίψαν, *ejecerunt.* Nauclerus nimirum, & nautæ. Armamenta autem navis dicuntur omnia nautica utensilia, quibus navis instruitur, ut malus, antenna, remi, rudentes, aliaque id genus.

20. *Neque autem sole, neque sideribus apparentibus.* Quasi dicat, Quùm autem æther diu noctúque obscuraretur atrâ caligine. Solemnis descriptio graviorum tempestatum. Ita apud Virgilium Æn. 1. v. 92.

Eripiunt subito nubes cœlúmque diemque
Teucrorum ex oculis, ponto nox incubat atra.

Per plures dies. Continuos.

Et tempestate non exiguâ imminente. Id est, incubante, seu incumbente. Q. d. Quúmque turbulenta ac nimbosa tempestas jam nos premeret atque urgeret.

Jam ablata erat spes omnis salutis nostræ. Præclarè monet Grotius, *Dictum hoc κατ' ἐξόχην*, secundum id quod videbatur, *qualia multa & in communi & in sacro sermone.* Sensus itaque idem est ac si dicat, Abscissa videbatur omnis spes vitandæ mortis quam nobis præsentem omnia intentabant.

21. *Et cum multa jejunatio fuisset.* Id est, cúmque illi qui in navi erant, jactati turbine longam sustinuissent inediam fastidio stomachi, non verò alimentorum penuriâ, ut apparet infrà v. 36 & 38.

Tunc stans Paulus in medio eorum. Quibuscum in jactata navi vehebatur.

Audito me. Id est, mihi futuram, quâ modo jactamur, tem-

tempestatem præsagienti auscultando.

Non tollere. Supple, anchoras.

Lucri que facere. Id est, atque vitare. Qui damnum quod accepturus erat, effugit, is lucrum facere & fortunatus esse dicitur, autore Aristotele lib. 2. Magnorum Moralium cap. 9. Hinc & Plinio 7 Nat. Hist. 39. Sutorius Priscus dicitur *lucrifecisse injuriam*, quam impunè intulit, nullásque ob illatam pœnas luit.

Injuriam hanc. Id est, sævam hanc ventorum rabiem.

Et jacturam. Mercium videlicet, armamentorúmque seu instrumentorum navis.

22. *Et nunc.* Id est, nunc ergo, ut suprà cap. 5. v. 38. vel, nunc verò, cùm nimirum, ut Silius loquitur,

Savior it trucibus tempestas acta procellis.

Suadeo vobis bono animo esse. Id est, etiam atque etiam horror vos, qui eventu comprobastis superiorum dictorum meorum veritatem, ne animis concidatis.

Amissio enim nullius animæ. Id est, personæ, ut suprà v. 10.

Erit. In hac scilicet navigatione, quantumvis periculosa.

Ex vobis. Nempe, ut patet infrà v. 31. si me audiatis, secùs quam anteà fecistis. *Tales*, inquit Grotius, *passim in Sacra Scriptura sunt locutiones, quæ tacitam in se conditionem habent ex antecedentibus & consequentibus aut ex ipsa rei natura intelligi facilem*, 1 *Sam.* 2. *v.* 30. *&* 13. *v.* 13 *&* 14.

Præterquam navis. Id est, sed una duntaxat navis confracta peribit. *Particula exceptiva*, inquit Grotius, *loco adversativæ, ut Luc.* 23. *v.* 28. *Jo.* 8. *v.* 10. *in Græco* 1 *Cor.* 11. *v.* 11. *Philip.* 1. *v.* 8. 3. *v.* 16. 4. *v.* 12. *Apoc.* 2. *v.* 25.

23. *Cujus sum ego.* Id est, cui ego sum addictus.

Et cui deservio. Id est, quémque summâ religione colo. Idem de se inter Ethnicos navigans Jonas olim dixit Jon. 1. v. 9.

24. *Cæsari te oportet assistere.* Q. d. Vivus sisteris coram Cæsare, quem appellasti suprà cap. 25. v. 11.

Ecce, &c. Q. d. Liberali gratificandi voluntate postulationi tuæ concessit Deus ut non pereat ullus eorum, qui tecum hac navi vehuntur, modò tuo salutifero consilio pareant, & quicquid industriæ in se est ad sui conservationem adhibeant. Vide infrà v. 31. Alio sensu contrario vox *donandi* accepta suprà cap. 25. v. 11. Sed simili huic suprà cap. 3. v. 14.

25. *Credo enim Deo.* Citra ullam dubitationem & hæsitationem.

26. *In insulam autem quandam oportet nos devenire.* Gr. ἐκπεσεῖν, *excidere*. Hæc vaticinatio quomodo sit impleta effectu narratur infrà cap. 28. v. 1.

27. *Quar-*

27. *Quarta decima nox.* Nempe à conflata ventis tempestate. *Navigantibus.* Gr. διαφερομένων, *dilatis*, huc illuc jactatis. Διαφέρεσθαι, inquit Grotius, *pro* huc & illuc ferri, *usurpavit & Plutarchus.*

In Adria. Id est, sinu sive mari Adriatico, quod à Poetis tempestuosum valde describitur. Adria seu Hadria urbs Picentium sive Picenorum, autore Ptolemæo Geograph. lib. 3. cap. 1. fuit Tuscorum colonia, qui ante Romanorum imperium terrâ marisque dominati fuere, ut rerum monumentis tradidit Livius lib. 5. cap. 33. Ab hac urbe Adriani Cæsaris majores originem trahebant, uti prodit Ælius Spartianus in ejus vita. Eadem urbs, postquam oblivio Tuscum sepelivit imperium, à Romanis etiam facta fuit colonia, ut videre est ex Livii lib. 11. epitome. Ab hac etiam mare, quod Græcis dicitur Ἀδριατικὸν πέλαγος, seu Ἀδριάς κόλπος, Latini *Adriaticum* aut *Adrianum mare*, vel etiam *sinum* vocant: *Adriam* etiam Poetæ, Græcorum more, & *Adriacum*, quod antiquitùs vocabatur *Atriacum*, ut & urbs *Atria*, referente Plinio lib. 3. cap. 16. hisce verbis: *Omnia ea flumina fossasque primi Asagi fecere Tusci, egesto amnis impetu per transversum in Adrianorum paludes, quæ Septem Maria appellantur, nobili portu oppidi Tuscorum Atriæ, à quo Atriaticum mare antè appellabatur, quod nunc Adriaticum.* Loquitur Plinius de Pado fluvio, quem Græci *Eridanum* vocant, qui triginta flumina secum in mare Adriaticum deferebat. Utrùm verò *Adria* & *Atria* fuerit eadem civitas viderint doctiores. Stephanus Byzantius diversas fuisse existimavit, utramque enim suo loco celebrat; at ipse plerunque ex una eademque urbe duas facere solet, uti Thomas de Pinedo adnotavit. Illud autem certum est ex Strabone, Ovidio, Statio & Ptolemæo non sinum duntaxat, qui est à Venetiis ad Corcyram, appellari *Adriam* seu *Adrianum*, & usitatissimè *Adriaticum*, sed etiam ad *Ionium mare* nomen istud extendi. *Itaque*, inquit Grotius, *Procopius mare à Methone ad Siciliam, & alibi à Cephalenia ad Calabriam*, Adriam *vocat, & alio loco partem* Adriæ *facit sinum; & disertè Vandalicorum primo tam Gaulon quam Meliten in* Adria *locat.*

Apparere sibi aliquam regionem. Gr. προσίγειν τινὰ αὐτῇς χώρην, *accedere sibi aliquam regionem.* Ita solent nautæ loqui, quòd navigantium visui terra accedere vel recedere videatur, quum ipsi navigantes accedunt ad terram, vel ab ea recedunt. Tale illud Virgilii Æn. 3. v. 72.

Provehimur portu: terræque urbesque recedunt.

28. *Qui & summittentes bolidem.* Bolis est perpendiculum nauticum, seu plumbum funiculo appensum, quo in mare demis-

missō ob gravitatem tendente deorsum nautæ explorant altitudinem maris: & quidem adipe inungunt, dum explorare volunt an locus sit petrosus, vel arenosus.

Invenerunt passus. Gr. ὀργυιὰς, *orgyias.* Orgyia est mensuræ genus nautis vadum tentantibus notissimum, tantum continens spatium, quantum extensis utrinque brachiis ab extremo medii digiti ad alterum extremum comprehendi potest. Hoc intervallum ait Beza, *quinque Romanis pedibus, Græci sex suis pedibus, id est, Romanis sex & quartâ præterea pedis parte definiunt.* Passus itaque in hoc versu bis pro Græco ὀργυιὰ positus pro intervallo passorum brachiorum, non verò passorum inter deambulandum pedum accipitur.

29. *In aspera loca incideremus.* Gr. ἐκπέσωμεν vel ἐκπέσοιεν, *excideremus*, vel *exciderent.* Id est, in aspreta, seu rupes scopulosas navis impingeretur.

De puppi. Id est, parte navis postica.

Mittentes anchoras quatuor. Ut nimirùm navis quaternis anchoris ex quatuor angulis distenta, fluctibus non moveretur.

Optabant diem fieri. Lux quovis malo conflictantibus optatissima. Suetonius de Caligula: *Nunc toro residens, nunc per longissimas porticus vagus, invocare identidem, atque expectare lucem consueverat.* Curtius lib. 5. *Expectata lux omnia, quæ terribiliora nox fecerat, minuit* Sed præcipuè ad hunc locum pertinent Germanici in Aratæis ista:

Et cùm terrores auget nox atra marinos,
Multùm clamatos frustrà spectaverit ortus.

30. *Nautis verò quærentibus fugere de navi.* Ut imminens naufragii periculum subterfugerent. Cic. lib. 2. de Invention, *Postea aliquantò ipsos quoque tempestas vehementiùs jactare cœpit, usque adeo ut dominus navis, cùm idem gubernator esset, in scapham confugeret.*

Cum misissent scapham in mare. Quam è mari in navim sustulerant suprà v. 16 & 17.

Sed obtentu, &c. Q. d. Fingebant à se in mare demissam scapham ut in eam delapsi anchoras etiam è prora, id est, parte navis antica, funibus longiùs prolatis figerent; pluribus quippe opus est anchoris ubi graviùs sævit mare.

31. *Dixit Paulus.* Improvidi nautarum consilii, & conditionaliter factæ sibi à Deo suprà v. 22. promissionis conscius.

Centurioni. Julio, de quo suprà v. 1.

Et militibus. Quibus æquè ac Centurioni meditata nautarum fuga erat ignota.

Nisi hi in navi manserint. Id est, nisi nautarum fugam è navi impediatis.

Vos

Vos salvi fieri non potestis. Paulus quidem & qui cum eo navigabant, non fuerunt servati nautarum industriâ, quæ illos à naufragio tueri non potuit. Ea tamen non fuit omninò inutilis, quia eò usque deduxerunt navem, ut non procul abesset à terra, & sic post naufragium omnes incolumes ad eam possent appellere. Quod non contigisset, si nautæ fugissent in scapha, quando id proponebant, & valde adhuc à terra erant remoti. Hinc patet, quamvis causis secundis non sit fidendum, nec si Dei providentiâ omnes istæ nobis ademtæ atque ereptæ sint, desperandum, tamen eas, quum haberi possunt, ad nostri conservationem non esse negligendas.

32. *Tunc.* Cùm videlicet centurio & milites ex dictis Pauli intellexissent quantum nautarum fuga ipsis creatura esset periculum.

Abscciderunt milites funes scaphæ. Quibus adhuc erat navi alligata, ut in eum exscensus fieri posset.

Et passi sunt eam excidere. Id est, in mare procul abire, ne nautæ eâ ad fugam abuti possent.

33. *Et cùm lux inciperet fieri.* Hoc est, antelucano seu subluciano tempore.

Sumere cibum. Quo vires corporum reficerent.

Quarta decimâ die hodie expectantes jejuni permanetis. Id est, hic dies est decimus quartus, ex quo pelagi tempestatibus acti perseveratis justi cibi expertes.

Nihil accipientes. Quod nimirùm sufficere possit ad vires reficiendas. Est hîc locutio hyperbolica, quum intermisso alimenti omnis usu, in corpore alioqui sano, homo naturaliter ultra septimum diem vitam retinere non possit. Simili hyperbole Joannes ordinariò cibo & potu abstinens, dicitur Mat. 11. v. 18. *neque manducans, neque bibens.* Vide quæ in explicatione nostra literali diximus ibidem.

34. *Propter quod,* &c. Hîc ipsa Pauli adhortatio exprimitur, ex qua iterùm observare est ipsum putasse causas secundas non negligendas, sed adhibendas esse, quamvis nullus dubitaret, quin Deus, uti benignè pollicitus erat, omnes qui cum ipso navigabant per gratiam suam esset conservaturus, ne quisquam illorum naufragio periret.

Pro salute vestra. Hoc est, ut vires vestræ pristinâ inedià debilitatæ refocillentur, Nisi cibo vires refecissent, non fuissent pares tolerando labori, ut ex naufragio imminente enatarent.

Quia. Si videlicet consilia mea sequamini.

Nullius vestrum capillus de capite peribit. Proverbiale dicendi genus, quo significatur ne minimum quidem damni passuros. Eadem locutio extat 1 Sam. 14. v. 45. 2 Sam. 14. v. 2. 1 Reg. 1. v. 52. Luc. 21. v. 18.

35. *Sumens panem.* Q. d. Ut eos exemplo suo invitaret Paulus ad excutiendum mortis metum, cibúmque viribus conservandis idonuem sumendum, ipse in manus sumsit panem nauticum, vel vulgarem; eóque sumto,

Gratias egit Deo. Cibos usibus humanis destinatos hac lege Deus homini indulsit, ut gratum sese tanti beneficii ostendens, nonnisi cum gratiarum actione ad illos sumendos accederet, ut Paulus ipse monet 1 Tim. 4. v. 3, 4 & 5. Hinc & ipsum Christum gratiis actis ad cibos accessisse legimus Mat. 14. v. 19. 15. v. 36. Jo. 6. v. 11.

In conspectu omnium. Exemplum dans quod imitarentur.

Et cùm fregisset. Panem illum nauticum, seu vulgarem, qui cùm latior esset ac minùs spissus, frangebatur potiùs quàm cultris secabatur, ut Mat. 14. v. 19. 15. v. 36. Mar. 8. v. 6 & 19. Luc. 24. v. 30.

Cœpit manducare. Id est, manducavit, Hebraismo Scripturæ usitato, de quo diximus suprà cap. 1. v. 1.

36. *Animæquiores autem facti omnes,* Id est, quum verbis & exemplo Pauli, cujus prædictionis veræ jam specimen habebant, essent animati, curis emotis, & pulsâ parumper è corde mœstitiâ.

Et ipsi sumserunt cibum. Latrantem stomachum benè leniri. Rectè Petronius, *Nemo invitus audit cum cogitur aut cibum sumere, aut vivere.*

37. *Eramus autem universæ animæ.* Id est, personæ, ut suprà cap. 2. v. 41. & hoc capite v. 10 & 22.

38. *Et satiati cibo.* Id est,

Postquam exemta fames epulis, mensæque remotæ,

ut Virgilius loquitur Æn. 1. v. 220.

Alleviabant navem. Id est, onus navis allevabant, ut in ea minùs profundè mersa propiùs ad terram possent adnavigare, & ita faciliùs in littus evadere.

Jactantes triticum in mare. Apparet navem istam Alexandrinam ex Ægypto pro more & consuetudine frumentum seu triticum in Italiam vexisse, eáque merce suisse onustam. Solet autem hic ordo servari levandæ navis gratiâ, quem & in hac historia habemus. Primùm jaciuntur sarcinæ graviores & merces onerosiores, ut suprà v. 18. deinde armamenta seu instrumenta navalia, utì suprà v. 19. postremò & cibaria, ut hoc versu trigesimo octavo.

39. *Cùm autem dies factus esset.* Atque solis radii tenebras discussissent.

Terram non agnoscebant. Hoc est, nautæ non agnoscebant qua

in

in plaga eſſent, quóve nomine appellaretur terreſtris illa regio, ad quam ſe accedere ſuſpicati erant ſuprà v. 27. nunc verò acceſſiſſe conſpicabantur.

Sinum verò quemdam conſiderabant, habentem littus. Id eſt, animadverterunt autem partem quandam maris non prærupus rupibus cinctam, ſed à littoribus non valde latè remotis interceptam. Κόλπος *Græcè*, inquit Grotius, *Latinè* ſinus, *modò de terra, modò de mari dicitur, ut hîc; diſtinguitur enim à littore. Sunt autem ſinus quidam maris, qui littus non habent, ſed prærupti rupibus cinguntur.*

In quem. Cùm vox Græca αἰγιαλὸς littus ſeu oram maris ſignificans ſit generis maſculini, pronomen relativum poteſt hîc tam ad ſinum, quàm ad littus referri. Expetebant quidem nautæ appellere navem ad littus, ut verſu mox ſequente indicatur, ſed fortè deſiderabant priùs iſtum maris ſinum littoribus cinctum.

Cogitabant. Gr. ἐβουλεύοντο, *conſilium inierant.* Hoc eſt, conſilio inito inter ſe conſtituerant.

Ejicere navem. Ut ex marina jactatione in locum tutum ſe reciperent.

40. *Et cum anchoras:* Quatuor in mare jactas ſuprà v. 29.

Sustuliſſent. Præciſis undique funibus, quibus fuerant alligatæ.

Committebant ſe mari. Gr. εἴων εἰς τὴν θάλασσαν, *ſinebant in mare.* Videtur ſignificari, anchoras ſublatas eſſe in mari relictas, vel, ut ait Grotius, *Eſt brevis locutio pro* εἴων τὸ πλοῖον ἰέναι εἰς τὴν θάλασσαν, ſiverunt navem ire in mare, *illud ſcilicet quod inter locum in quo fuerat navis & littus intererat.*

Simul laxantes junctura gubernaculorum. Id eſt, vincula, quibus navium gubernacula navibus jungi & annecti ſolent. *Cum laxantur ea vincula,* inquit Grotius, *tunc gubernacula multùm in aquas deſcendunt, & pondere ſuo navim retinent, quominus à ventis evertatur.* Quin & laxatis gubernaculorum juncturis ſeu vinculis, naves quo eas cunque velint, expeditiùs impellunt nautæ. Porrò *gubernacula* in plurali numero à Luca hîc dicuntur, vel quia generatim gubernacula quarumcunque navium deſignantur, vel quia, ut Grotius adnotavit, antiquis navibus bina erant gubernacula, ſingulis in puppis lateribus ſingula.

Et levato artemone ſecundum auræ flatum. Id eſt, paſſóque velo parvo ad auræ flatum, quò ſenſim & lentè ferretur navis. *Artemonem,* inquit Grotius, *vocat hîc Lucas* ἀπὸ τῆς ἀρτᾶσθαι, à ſuſpendendo, *velum illud proræ proximum, quod* dolona *Pollux vocat, & Livius duobus locis.* Artemo adjectamentum potiùs quàm pars navis eſt, *ait Javolenus L. Malum. D. de verborum ſignif. Eo uti ſolent nautæ ubi mutant ne vela majora plus ſatis venti*

concipiant, navémque nimis urgeant. Erat autem id hîc eò magis necessarium, quòd arborem dejectam jam suprà audivimus.

Secundum auræ flatum. Pro his tribus vocibus in Græco est Dativus casus Participii fœminini, τῇ πνεούσῃ, *flanti*, & subintelligitur, ἄυρᾳ, *aurâ*, vel πνοῇ. Nec, inquit Grotius, *magis mirum dici πνοὴν πνεῖν*, flare flatum, *quàm πλοῖον πλεῖν*, navigare navem.

Tendebant ad littus. Gr. Κατῆχον εἰς τὸν αἰγιαλόν. Κατέχειν *pro* tendere *usurpant & Herodotus & Plutarchus*, ait Grotius.

41. *Et cùm incidissemus in locum dithalassum.* Id est, in isthmum bimarem, seu in terram in mari surgentem instar isthmi, quæ ab utroque latere mari alluebatur.

Impegerunt navem. In tæniam, *qualis*, inflt Grotius, *multæ solent esse non procul à littore, ita tamen ut inter eas & littus mare interluat.* De hujusmodi tæniis Plinius in prœmio libri tertii historiæ naturalis, *Frequentes*, inquit, *tæniæ candicantis vadi carinas territant.*

Et prora quidem fixa. Id est, pars quidem antica navis cùm hæsisset in tænia.

Manebat immobilis. Id est, fluctuoso mari percussa minimè quassabatur.

Puppis verò solvebatur à vi maris. Id est, pars verò postica navis rimis fatiscebat, & in tabulas asseréſque, ex quibus erat compacta, impactis maris fluctibus dissolvebatur.

42. *Militum autem.* Qui vinctis Romam devehendis dati erant custodes.

Consilium. Id est, propositum, seu voluntas.

Nequis. Custodiarum scilicet, seu vinctorum, si solverentur vincula eorum, ut ad terram enarent.

Cùm enatasset, effugeret. Ne pœnas meritas daret.

43. *Centurio autem.* Julius, de quo suprà v. 1.

Volens servare Paulum. Erga quem se benignum & humanum exhibuerat jam suprà v. 3.

Prohibuit fieri. Id est, vetuit milites custodiis seu vinctis necem inferre.

Qui possent natare. Id est, qui nandi arte viribúsque ad enatandum valerent.

Emittere, &c. Q. d. Dejectis è navi in mare corporibus ad littus non longè distans enatare.

44. *Et cæteros.* Qui natandi peritiâ vel viribus destituebantur.

Alios in tabulis ferebant. Id est, in asseribus seu plancis, quæ in transtris, foris navium, & scalmis haberi solent, ad littus vehebant.

Quosdam

Quosdam super ea quæ de navi erant. Id est, alios verò fragmentis naufragæ puppis impositos naufragio subducebant.

Et sic factum est ut omnes animæ. Id est, ducentæ septuaginta sex personæ, quæ erant in navi, ut dictum est suprà v. 37.

Evaderent ad terram. Salvi & incolumes, ut Paulus prædixerat suprà v. 24 & 34.

CAP. XXVIII.

1. ET *cum evasissemus.* Ex terribili naufragio in terram.

Melite. Prædixerat Paulus suprà cap. 26. v. 26. locum in quem naufragâ tempestate jactati ab instituta navigatione essent evasuri, fore insulam, ea insula nunc nomine suo indicatur *Melite.* Duæ memorantur hujus nominis insulæ, altera Illyridi, seu comprehensæ in Illyride Dalmatiæ, altera Africæ assignatur. Prioris meminit Plinius lib. 3. cap. 27. unde catulos Melitæos vocari inquit ex Callimacho, quam inter Corcyram Melænam & Illyricum locat, Scylax verò in Νεσταῖοι prope Corcyram Melænam. Alteram Meliten locant inter Siciliam & Africam, & ab hac Melitæos catellos vocari tradit Strabo libro sexto. Πρόκειται δὲ τοῦ Πακύνου Μελίτη, ὅθεν τὰ κυνίδια, ἃ καλοῦσι Μελιτάια, *Ante Pachynum* Siciliæ promontorium *jacet Melite, unde catelli, quos vocant Melitæos.* Catelli autem Melitæi in proverbium abiere, dici solitum de iis quæ ad solam voluptatem comparantur, at nulli rei seriæ conducunt. Africana Melita Illyricâ seu Dalmaticâ longè illustrior, vulgò corrupto parùm nomine vocatur *Malta,* in qua sedem habent equites Cruciferi, dicti *Divi Joannis,* quam ipsis dono dedit Carolus quintus Hispaniarum Rex, postquam Rhodo, ubi anteà sedem habebant, à Solymano Turcarum Imperatore expulsi fuerunt. Ex Diodori Siculi bibliothecæ historicæ lib. 4. apparet fuisse Phœnicum coloniam. Quapropter ingeniosè admodum Bochartus lib. 1. de coloniis Phœnicum cap. 26. ejus etymologiam deducit à verbo Hebræo מלט *malat,* à quo מליטה *melitah,* id est, *evasio, effugium*; erat enim tanquam effugium mercatoribus Phœnicum, ut testatur Diodorus loco mox laudato. Ἔστι δὲ ἡ νῆσος αὕτη Φοινίκων ἄποικος, οἱ ταῖς ἐμπορίαις διατείνοντες μέχρι τοῦ κατὰ τὴν δύσιν Ὠκεανοῦ, κατα-

φυγὴν εἶχον ταύτην εὐλίμενον οὖσαν, καὶ κείμενην πελαγίαν. i. e. *Est verò insula hæc* Melite Africana *Phœnicum colonia, qui cùm negotiationes ad Oceanum usque occidentalem extenderent, in refugium habebant hanc insulam, eò quòd portu esset opportunissima, mediòque in pelago sita.* Ulyssi quoque fuit מליטה *melitah* refugii locus, si cum Melita eadem est Ogygia Calypsûs insula, ut multis contendit Cluverius. Sed & in Ovidii lib. 3. Fast. Anna soror Didonis fato functæ Carthagine pulsa insulam

Hanc petit, hospitio Regis confisa vetusto.

Huc etiam appulisse Paulum post naufragium, vulgaris est sententia. Constantino quidem Porphyrogennetæ videtur Illyrica seu Dalmatica Melita fuisse Paulo naufrago perfugii locus. *Cui sententiæ*, inquit Bochartus loco mox citato, *favere volunt primò, quòd in Adria jactatur Paulus antequam in Meliten appellat, Act. 27. v. 27. unde colligunt agi de insula sinûs Adriatici. Secundò quòd barbaros habuit incolas, Act. 28. v. 2 & 4. cùm Africanam Meliten Græci pridem incolerent. Tertiò quòd in insula Melite nullius oppidi meminit Lucas, cùm Africana urbem habuerit insulæ cognominem, quæ superstes hodiéque est. Sed hæ objectiunculæ tanti non sunt, ut quemquam dimovere debeant à vulgari sententia, quam firmissimæ rationes adstruunt.*

Primò enim Act. 27. v. 13 & 14. Circa Cretam cùm navigaret Paulus, excitatur ἄνεμος τυφωνικὸς ὁ καλούμενος Εὐροκλύδων, ventus turbulentus, qui vocatur Euroclydon, *vel ut Vulgatus interpres legit,* Εὐροακύλων Euroaquilo: *quam lectionem si sequaris, res est confecta; neque enim* Euroaquilo *potuit è Creta navem in Illyricum impellere. Præstitisset id Euronotus, non subcontrarius* Euroaquilo, *ut docet situs locorum. Sed quoquo modo legas, ventum illum Euroclydonem in Austrum inclinasse potiùs quàm in Septentrionem inde palàm est, quòd illo flante nautæ metuunt ne in Africæ Syrtim incidant Act. 27. v. 17. nihil tale formidaturi si ventus navem in Illyricum impulisset, quæ ora est Syrti & Africæ obversa.*

Secundò Act. 27. v. 41. περιπεσόντες εἰς τόπον διθάλασσον ἐπώκαιλαν τὴν ναῦν, cùm incidissent in locum bimarem, illiserunt navem. *In locum bimarem, id est, in Isthmum. Horatius Od. 7. lib. 1.*

Aut Ephesum bimarísve Corinthi
Mœnia.

Ovid. Eleg. 10. lib. 1. Fast.

Aut

Aut poſtquam bimatem curſu ſuperavimus Iſthmum.

Hic Iſthmus ad inſulæ ortum occaſivum hodiéque oſtenditur & vocatur ab incolis la cala di S. Paolo, S. Pauli appulſus.

Tertiò Act. 28. *v.* 7. Circa locum illum erant χωρία τῷ πρώτῳ τῆς νήσου, ὀνόματι Ποπλίῳ prædia Primo inſulæ nomine Publio. *Eum intelligo quem inſulæ Romani præfecerant. Nam hujus inſulæ Præfectos ita nominari ſolitos & ex hoc loco colligere eſt, & ex veteri epitaphio quod in marmore Græcis literis ſe Melitæ vidiſſe refert Quintinus:* Λ. ΚΑ. ΤΙΟΣ. ΚΥΡ. ΙΠΠΕΥΣ. ΡΩΜΑΙΩΝ, ΠΡΩΤΟΣ ΜΕΛΙΤΑΙΩΝ. L. Ca. filius Cyr. Eques Romanorum, Primus Melitenſium. *Nempe idem antè nominis fuerat Præfectis Carthaginenſibus, qui* Punicâ phraſi dicebantur הראשונים Primi. *Sic Dan.* 10. *v.* 13. *Michaël eſt unus Principum* הראשונים, primorum. *Proinde* ראש caput, dux, princeps, & ראשון primus, *ſunt conjugata. Atque hoc ipſo loco pro* primo *Syrus habet* ריש, *& Arabs* ריים caput. *Eodem facit quod Arabicè ut* אול primus, *ita* אאל *eſt præficere, ſed & provinciam regere, quaſi* πρωτεύειν *dicas.*

Quartò. Tres menſes continuos in illa inſula hæſit Paulus cum Centurione & aliis, Act. 28. *v.* 11. *qui numerus hominum fuit ducentorum ſeptuaginta ſex, Act.* 27. *v.* 37. *Quod vix quiſquam crediderit de Illyrica Melite: Quia cum nonniſi quatuor paſſuum millibus à continenti diſtet, & Epidaurum in conſpectu habeat, portum celeberrimum & hoſpitibus commodiſſimum; Centurio Romanus maluiſſet eò trajicere, quàm totam hyemem in miſera inſula degere, in qua tam multos advenas ſine gravibus incommodis diverſari fuiſſet neſas.*

Quintò. Jam quod iidem dicuntur Puteolos vecti fuiſſe in Alexandrina nave, quæ in eadem inſula hyemaverat Act. 28. *v.* 11. *quis de Illyrica Melita intelexerit, cum ab Ægypto Puteolos contendentibus Africana Melite penè invitis ſeſe offerat. At quiſquis Alexandriâ Puteolos iturus Illyricam Melitem petit, meritò dici queat, ſin minùs toto cœlo, ſaltem toto ſalo aberraſſe.*

Sextò. Hoc potiſſimum quod Lucas è Milite profectos addit primò Syracuſas, deinde Rhegium appuliſſe Act. 28. *v.* 10 & 13. *Quæ via quàm eſt recta, ſi profectio fuit ex Africana Melita, tam flexuoſa fuerit & præpoſtera, ſi ex Illyrica diſceſſerunt, è qua potiùs per Rhegium Syracuſas iter eſt, quàm per Syracuſas Rhegium, quia Rhegium eſt vicinius.*

Septimò. Jam ſi autoritate certatur, Conſtantino Porphyrogenneta longè antiquior eſt Arator Subdiaconus, qui ſic habet lib. 2. *Hiſtoriæ Apoſtolicæ:*

Sicanio lateri tellus vicina Melite,

Nec difficile est solvere quicquid contrà objiciunt. Nam in Adria quidem jactari dicitur navis appulsura Melitam, *Act.* 27. *v.* 27. *non tamen in Adriatico sinu, quo multò latius patet Adria, seu quod idem est, Adriaticum mare. Sinus enim Adriacus cum Illyrico definit. At mare Adriaticum idem est cum Ionio. Hesychius :* Ἰόνιον, πέλαγος ὁ νῦν Ἀδρίας, Ionium, mare quod nunc Adria. *Juvenalis vetus Scholiastes:* Diu navigatura de Tyrrheno mari ad Adriacum. *Adriacum pro Ionio dixit. Ita enim Juvenalis:*

Tyrrhenos igitur fluctus, latéque sonantem
Pertulit Ionium.

Hinc Ptolemæus Siciliam ab Ortu, Epirum & Achaiam à Meridie, & Peloponnesum adeóque Cretam ab Occasu definit Adriatico pelago. Et in Ovidio non semel Adriam ab Ægeo dividit Isthmus Corinthiacus. Sic lib. 4. *Fastorum:*

Adriacúmque patens latè bimarémque Corinthum.

Et libri primi Tristium elegià decimâ:

Aut hæc me, gelido tremerem cùm mense Decembri,
Scribentem mediis Adria vidit aquis.
Aut postquam bimarem cursu superavimus Isthmum,
Alteráque est nostræ sumta carina fugæ.

Proinde Philostratus lib. 2. *Imaginum in Palæmone, eum isthmum scribit* Αἰγάιου καὶ Ἀδρίου μέσον κεῖσθαι, medium esse inter mare Ægeum & Adriaticum. *Et in Apollonio suo l.* 4. *c.* 8. *Neronem idem tradit de hoc isthmo scindendo cogitasse, ut Adriaticum Ægeo mari misceret. Eodèm facit quod Alpheus apud Suidam in* Ἀλφειός, *& rursus in* Ἀρέθουσα, *è Peloponneso in Siciliæ Arethusam influere legitur* δύομενος διὰ τῆς Ἀδριάδος θαλασσάς, pelagus subiens per mare Adriaticum. *Hinc de Alpheo Pausanias in Arcadicis :* Ἔμελλε δὲ ἄρα μηδὲ Ἀδρίας ἐπισχήσειν αὐτὸν τοῦ πρόσω, neque illius cursum Adria cohibitura erat. *Cetera ibi vide. Quid quod Adriaticum mare ad Africam usque extensum est, si Æthicum sequimur & Orosium, apud quos Tripolitana provincia, ubi Arzuges & Leptis magna, habet à Septentrione mare Adriaticum, & à Meridie Creta finitur* mari Libyco, quod & Adriaticum vocant. *Nec aliter sensit Hieronymus in vita Hilarionis, ubi medium Adriam pertransiunt ab Ægypti Paratonio ad Siciliæ Pachynum appulsuri. Sed ad rem id maximè est, quod in Procopii Vandalicis lib.* 1. *insulæ Gaulus & Melita* Ἀδριατικὸν καὶ Τυῤῥηνικὸν πέλαγος διορίζουσιν, Adriaticum & Tuscum pelagus disterminant. *Scitè igitur Sacer Scriptor & ex Geographorum*

usu

usu è Creta Melitam delatos, vi ventorum ingruentium factâ dicit in Adriâ. Porrò in eadem insula barbarorum nomine Pœnos ab illo designari docuimus, quorum reliquiæ in agris hæserant. Oppidi denique non meminit, quia nihil erat necesse. Ita Act. 21. v. 1. Paulus appulisse narratur in insulas Coum & Rhodum absque mentione urbium, quas tamen utraque habuit insulæ cognomines.

2. *Barbari.* Hoc est, Pœni qui ex Africa Meliten venerant, sive Melitenses Punici generis. Veteribus omnes *Barbari* dicebantur, qui non erant Græci, sermone vel origine. Unde Plautus, teste Festo, Nævium Poëtam Latinum *Barbarum* dixit. Et in Asinariæ Prologo, *Marcus vortit barbarè*, hoc est, Plautus reddidit Latinè. In *Captivis* quoque legas *barbarium jus* pro Latino jure. Eadem ratione Latini autores, non linguâ Romanâ utentes *Barbaros* dixerunt omnes, sicut & Cicero Afros, Gallos, Hispanos in epistolis ad Quintum fratrem. Imò Laconibus hospites & peregrinos dictos fuisse *barbaros* annotatum ab Eustathio ad Iliad. Υ. Hoc autem nomine Græci & Romani nominare soliti sunt ceteras gentes propter inconditum vocis sonum, nam *Barbar* Arabicè *murmur* significat, ut limato vir judicio, undecunque doctissimus Julius Cæsar Scaliger tradit. Vel, ut eidem placet, *Barbari* propterea dicti sunt, quòd incolebant deserta, & ritu ferarum vivebant: nam *Bar* Arabicè *desertum* significat. Apostolus 1 Cor. 14. v. 11. *Barbarum* appellat eum, qui utitur linguâ peregrinâ & ignotâ, & sic usurpavit autor translationis Chaldaicæ Ps. 104. v. 1. In lingua Syrorum *Bar* significat *extrà*; inde geminatis Syllabis *Barbar*, sicut à *Rab*, *rabrab*, ait Drusius. *Barbaria* sumitur pro rusticitate ab Ovidio Amorum 3 Eleg. 7.

Ingenium quondam fuerat pretiosius auro:
At nunc barbaria est grandis, habere nihil.

Id est, hic agrestis & rudis habetur, qui pauper est.

Præstabant non modicam humanitatem nobis. Q. d. Præter barbarum morem nobis peregrinis hospitibus naufragis humanos se præbebant.

Accensâ enim pyrâ. Id est, lignorum congerie. Inter prima humanitatis officia præsertim tempore hyberno exhiberi solita, est ignis ad calefaciendum oblatus.

Reficiebant. Gr. προσελάβοντο, *acceperunt.* Id est, ad ignis usum calefaciendi causâ benignè admiserunt.

Propter imbrem qui imminebat. Id est, qui ingruerat & nos premebat.

Et frigus. Quo algebamus tum ob anni tempus hyemale, tum ob factam in mari non tantùm navigationem, sed & nata-

tio-

tionem, tum ob urgentem ac jam prementem imbrem.

3. *Cùm Congregasset.* Gr. συστρέψαντος, *cùm convolvisset.* Vel ut in fascem colligeret cremia passim dispersa, vel ut jam collecta ad pyram admoveret, cùm fasci ferendo Paulus par non esset.

Sarmentorum. Gr. Φρυγάνων, *cremiorum*, ὑπὸ τοῦ Φρύγου, *à cremando*, quòd facilè ignem concipiant atque crementur. Sic autem nominantur non sarmenta modò, seu superflua luxuriantis vitis ligna, sed & virgulta quævis arida, quæ promtè ignescunt. Basilius cremia convolventem uno verò vocat Φρυγανιζόμενον, quod Hebraicè esset מקשש עצים, ut Num. 15. v. 32. cujus fœmininum מקששת extat 1 Reg. 17. v. 10.

Et imposuisset super ignem. Id est, cùm convoluta sarmenta seu cremia in ignem conjiceret, seu ad pyram accensam admoveret, ut igne majore excitato tum ipsorum qui è mari enataverant corpora calefierent, tum vestes madefactæ exsiccarentur.

Vipera. Venenata ac pestifera hæc bestiæ species ex genere serpentum sic dicitur quòd vi pariat, aut potiùs quia *vivipara* est; viperæ enim partus ideò difficilior est, quia vivos parit catulos, cùm reliquæ serpentes solùm ova excludant.

A calore cum processisset. Ex hujusmodi sarmentis & virgultis viperas, aliósque id genus serpentes, passim erumpere satis notum est. Inde in Palladii Lausiacis cap. 20. Macarius puteum fodiens, πλησίον θρύων καὶ Φρυγάνων ἐκεῖ κειμένων, ὑπὸ ἀσπίδος ἐδήχθη, *prope juncos & sarmenta*, seu *virgulta ibi jacentia, ab aspide morsus est.* Et Midam vinitorem ὑπὸ ἐχίδνης δηχθέντα, *à vipera demorsum* jacuisse narrat Lucianus in Philopseude: Ἀναδοῦντι γὰρ αὐτῷ τὰ κλήματα, inquit, καὶ ταῖς χάραξι περιπλέκοντι, προσέρπυσαν τὸ θηρίον δακεῖν τὸν μέγαν δάκτυλον. 'Ei enim, dum ligaret palmites, & pedamentis circum-'ligaret, inde adrepentem bestiam maximum pedis digitum 'momordisse. *Thuanus de vita sua lib.* 3. A templo proximo 'cùm manè rediretur, & cuncti properè ad ignem nondum 'benè accensum accederent, ex fasciculo, sive ab imbre, sive à 'cella subterranea unde allatus erat madido, serpens profiliit, 'qui expositus & diu consideratus, amphisbænæ speciem præ-'ferebat. Ita ex virgultis excessit Pauli vipera, nec attigit ea convolventem, quia tum torpebat frigore; hyems enim erat. Hinc Prudentius in præfatione in lib. 1. contra Symmachum v. 28.

Paulus, dum fragileis cogere surculos
Et densare fosi congeriem studet,
Incautam cumulis inseruit manum,
Torpebat glacie pigra ubi vipera,
Sarmentis laqueos corporis implicans.

Sed

Sed cùm sarmenta, seu cremia, in quibus latebat vipera, Paulus in pyram conjecisset, illa sensu caloris vel modico recreata, vel nimio exasperata, Paulum aggressa est. Sic apud Phædrum lib. 4. fab. 18.

Gelu rigentem quidam colubram sustulit,
Sinúque fovit contra seipse misericors.
Namque, ut refecta est, necuit hominem protinus.

Invasit manum ejus. Gr. καθῆψε τῆς χειρὸς αὐτοῦ, hoc est, ut habet Anglica interpretatio, **fastened on his hand**, quod est latinè, *illigavit se manui ejus*, nempe ut infenso dente morderet. Æthiopicus reddit, *pependit è manu ejus.* Syrus & uterque Arabs, *momordit manum ejus.* In qua ipsa sententia videntur fuisse nonnulli Patrum. Ita enim Tertullianus in Scorpiaco de Paulo: *Morsum viperæ sprevit.* Et Ambrosius in Hexaëmeron lib. 6. cap. 6. *Paulum momordit vipera.* Et Prudentius ubi suprà,

Quæ postquam intepuit fomite fumeo,
Laxavítque ferox colla rigentia,
Jam flecti facilis rettulit ad manum,
Vibrato capite, spicula dentium.
Hærentem digiti vulnere mordicùs,
Pendentémque gerens Paulus inhorruit,

Et Arator lib. 2. Historiæ Apostolicæ,

——————— *Cui vipera fixit*
Dæmonis arma ferens, surgentibus obvia flammis,
Antiquâ feritate manum, gelidí que veneni
Vulnus in igne dedit.

Oecumenius quoque, Ἡ ἔχις, τῇ τοῦ Ἀποστόλου χειρὶ τοὺς ὀδόντας ἐμβαλοῦσα: *Vipera, injectis manui Apostoli dentibus.* At Clarissimus Bochartus longè verisimiliùs putat viperam ne in Apostoli manum noxios dentes defigeret fuisse cohibitam ab eodem Deo, qui, misso Angelo suo, conclusit ora leonum ne Prophetam morsu læderent, Dan. 6. v. 22. *Quod*, inquit Hierozoici p. 2. lib. 3. cap. 2. *videntur palàm docere hæc verba Lucæ*, ἔπαθεν οὐδὲν κακὸν, nihil mali passus est. *Nam qui à vipera fuisset morsus, non diceretur fuisse immunis ab omni malo. Neque verò* καθάπτειν mordere *significat, quod quidem sciam, ut neque* pendere, *aut* invadere, *sed* illigare, *ut simplex* ἅπτειν. *Xenophon in Cynegetico*, Ἐκ τῶν τειμ-

τειμιῶν εἰς τὰ συμφέροντα καθάπτου τὰς πτελεάμους ὅτι τῷ ὄφει, ex tramitibus ad loca commoda humi plagas alligans. *Anonymus in Venerem armatam Anthologiæ libri quarti cap.* 12.

Τί πλέ μάσιν ἀτλησ, Ἐνυαλίῳ λέλογχας,
Κύπρι; τίς ὁ ψεύσας συγκαθάψε μάχην.

Cur, cùm pugnas tolerare non possis, Martis arma sortita es, O Venus? Quis mendax molesta hæc frustrà adalligavit? *Ita etiam* πτελεκαθάπτειν circumalligare: *ut libro quinto Dioscoridis capite de hydrargyro*, πτελεκαθάπτειν ἀμβικα πτελεάλοιπτι πηλῷ, calicem luto illitum circumalligant. *Et nomen* Καθαπτὸς ligatus. *Sic in veteri proverbio apud Hesychium*, Καθαπτὰ λύκες, *vel* ἀλλὰ, Κάθαμμα (*malè in Suida* Κάθαρμα) *id est*, ligata, *vel* nodos solvis, *quæque aliis sunt* Δύλυτα, insolubilia. *Itaque in Lucæ verbis* Καθῆψε τὴν χεῖρα αὐτῆς *Stephanus supplet* ἑαυτὴν & reddit, alligavit se ejus manui. *Quomodo dixit Basilius eandem bestiam referens homiliâ nonâ in Hexaemeron*, Φρυγανιζούσῃ τῷ Παύλῳ ἐναλῆσαι ὁ ἔχις *supple* ἑαυτὸν, Sarmenta colligenti Paulo cùm vipera se illigasset. *Tamen alii* pependit *reddunt, quia* ἀκρέμων & ἐξανάπτειν *est* appendere *aut* suspendere: & *statim sequitur*, ὡς ἴδον ὁ βάρβαροι κρεμάμενον τὸ θηρίον ἐκ τῆς χειρὸς αὐτοῦ, cùm barbari bestiam viderunt pendentem è manu ejus: *Alii rursus* momordit, *quasi legerint* Καθῆψατο. *Nam* κατάπτεσθαι τινος *in Passiva voce est aliquem* mordere, *non tamen dentibus, sed cavillis & dicteriis. Et verò Chrysostomus in hunc locum pro* καθῆψατο *legit* κατῆψατο. *Quod tamen aliter sumit, nempe pro simplici* ἅπτειν, *id est*, invasit. *Is enim ita habet in sequenti expositione*, Εἶτα ἐγένετο, ὅτε τὸ θέρμος ἐξελθὸν, τῆς χειρὸς αὐτὴν ἅψατο; καὶ ὅτι ἅπαξ, οὐδὲν παῦσαι τοῦτο ὅτι τῆς ἐπαγωγῆς. Deinde vipera è calore egressa, manum ipsius invadit: invasisse enim palàm facit ex sequentibus. *Ita omnino reddendum. Quippe* ἅπτεσθαι ἀνθρώπου *est* hominem invadere, *ut ex Platone, Thucydide & Plutarcho probat Stephanus. Unde factum, quod à multis* καθῆψε τῆς χειρὸς *redditur* invasit manum, *quasi* κατῆψε, *vel* κατέλαβε *sit idem, quod* ἅψατο; *Sed nihil opus quicquam mutare, nec usitato verbo inusitatam notionem affingere, cùm apprimè id conveniat, ut dicatur* vipera Paulo manui se alligasse. *Nam* id ligare *dicitur serpens, quod spiris suis complectitur. Sic apud Summum Poëtam anguis duo Laocoontem*

Corripiunt, spirisque ligant ingentibus. ——

Sic Nicander in Theriacis versu 475 *cavendum monet, ne cerebris*

σε καλαύξη, καὶ ἀνάγκη
Πάντοθεν μαστίζειν ἱερὰ δέμας, ——

Te exurat, & constringat corpus undique cauda feriens. *Et Leo Byzantius in* Bœoticis *apud Plutarchum libro de fluviis, de Cythemi puero:* Ὁ δὲ ὄφις, τὰς κόλπους περισφίγξας, αὐτὸν ἀνεῖλεν. Serpens eum nexibus suis constrictum, interemit. *Et Cicero de Roscio lib.* 1. *de Divinatione:* Noctu lumine appositio exporrecta nutrix animadvertit puerum dormientem circumplicatum serpentis amplexu. *Et libro secundo,* De ipso Roscio potest quidem esse falsum, ut circumligatus fuerit anguis. *Quâ facit, quod Æliani Hist. lib. 6. cap. 21. draco, qui in elephantum pugnat,* τῷ τραχήλῳ περιερπύσας, δείναν τῷ θερίῳ μάχει, καὶ σφίγγον δακτέῳ, ἀπάγχει τὸ θηρίον ἀΐδιον Ερόχῳ καὶ κοιλῷ, cùm in collum erepsit, unâ caudæ parte verberans, & alterâ constringens, novo & inusitato laqueo belluam strangulat. *Et in Cadueei descriptione apud Macrobium lib.* 1. *Sat. cap.* 19. Hi dracones parte mediâ voluminis sui, invicem nodo, quem vocant, Herculis obligantur.

4. *Ut vero viderunt barbari.* Hoc est, Melitenses. 'Melitenses, *inquit* Bochartus, ideo pro barbaris habebantur, quia 'plerique insulæ Melitæ incolæ neque Græci, neque Romani 'erant, sed Φοινίκων ἢ Καρχηδονίων ἄποικοι, *Phœnicum aut Carthaginensium coloni,* ut ex Scylace, Diodoro, & Strephano alibi 'probavimus. Proinde primo bello Punico Romanus Consul 'Atilius in navali expeditione contra Carthaginenses, Liparam 'Melitámque insulas Siciliæ nobiles, pervagatus evertit, ut docet Orosius lib. 4. cap. 8. Et Punico bello secundo, T. Sempronius à Lilybæo in insulam Melitam, quæ à Carthaginensibus tenebatur, trajecit. Advenienti Amilcar Gisconis filius, præfectus præsidii, cum paulò minùs duobus millibus militum, oppidúmque in insula traditur. 'Ita Livius Decadis tertiæ libro primo. Atque ipsum Melites nomen Punicum esse docuimus. Fuere igitur Melitenses pars Barbarorum, ut reliqui in Africa Pœni, à quibus tandem ipsa regio *Barbaria* denominata est.

Pendentem bestiam de manu ejus. Cui scilicet se alligaverat. θηρίον, ait Bochartus, *non solùm* bestiam *in genere, sed & serpentem significat, seu* venenatam bestiam. *Ut Syrach* 12. *v.* 17. τίς ἐλεήσει ἐπαοιδὸν ὀχιόδηκτον, καὶ πάντας τοὺς προσαγόντας θηρίοις; Quis miserebitur incantatoris à Serpente demorsi, aut ullius eorum, qui accedunt ad bestias? *Supple,* venenatas, id est, viperas *seu* serpentes. *Dioscorides l.* 1. *c. de vitice,* τὰ Φύλλα ὑποθυμιώμενα τε καὶ ὑπὸ σφραγύμενα θηρία διώκει: Quæ sic retdit Plinius lib. 24. cap.

cap. 9. Suffitu quoque (*folia*) aut substratu fugant venenata. *Hinc passim in Medicorum libris* θηριόδηγμα, & θηριόδηκτος *de eo*, qui à serpente morsus est, & θηριακὰ φάρμακα, quæ venenaris prosunt. *Quale est quod Josepho Antiq. lib.* 2. *cap.* 5. *Æthiopia terra est* θηριοτρόφος *quia* multos alit serpentes. *Et Galeno* θηριότροφοι Μαρσοὶ, *quia* vescuntur serpentibus. *Et Dionysio Halicarnasseo* Ζῖγμα *litera* θηριώδης, *quia serpentum sibilum imitatur. Sic eadem vox* חיה *Hebræis est* fera *quævis*, & *Arabibus* serpens. *Et apud Chaldæos parum differunt voces* חיוא & חויא, *quarum illa* bestiam *in genere, hæc* serpentem *sonat. Ita igitur Lucæ* τὸ θηρίον *est* serpens, *adeóque* vipera.

Homicida. Id est, cædis, ut aliùs gravis criminis reus. *Species*, inquit Bochartus, *pro, genere. Quâ figurâ Furiarum una vocatur* τισιφόνη. Ἀπὸ τοῦ τίειν τοὺς φόνους, à cædibus plectendis. ‘Neque enim cædis solius sed & reliquorum criminum credebatur esse vindex.

Ultio. Gr. ἡ δίκη, *Justitia* Dea. *Ita enim*, inquit Bochartus, *vocabant veteres.* Hesiodus in Operibus v. 254.

Ἡ δὲ τε παρθένος ἐστὶ Δίκη, Διὸς ἐκγεγαυῖα,
Κυδνή τ', αἰδοίη τε Θεοῖς, οἳ Ὄλυμπον ἔχουσιν,
Καὶ, ῥ' ὁπότ' ἄν τίς μιν Βλάπτῃ σκολιῶς ὀνοτάζων
Ἀυτίκα παρ' Διὶ πατρὶ καθεζομένη Κρονίωνι,
Γηρύετ' ὠνθρώπων ἄδικον νόον, &c.

Virgo autem est Dice, Jove prognata, clara & veneranda Diis, qui cœlum tenent. Et cùm quis ipsam læserit obliquè convitiis lacessens, statim patri Jovi Saturnio assidens, narrat hominum iniquam mentem. *Orpheus Argonauticōn versu* 349.

———Τούτου δ' ἐπιμαρτυροί ἐστον
Ἰθύντειρα Δίκη, καὶ Ἐρινύες αἰνοδότειραι.

Hujus (*juramenti*) testes sint rectrix Dice & Furiæ ultrices. ‘In ‘Euripidis Medea, Jason Medeæ sic imprecatur, postquam ‘communium liberorum cæde manus polluit, versu 1389.

Ἀλλ' ὁ Ἐρινὺς ὀλέσειε τέκνων
Φονία τε Δίκη.———

Sed te perdat Erinnys cæsorum liberorum, & cædis vindex Dice. ‘Aristoteles, aut quisquis est, in fine libri de mundo, ubi ‘de summo Deo, τῷ δὲ ἀεὶ ξυνέπεται Δίκη τῶν ἀπολειπομένων τοῦ θείου νόμου τιμωρός. Illum semper sequitur Dice, eorum, qui à divina Lege defecerint, vindex futura. ‘In Orphei hymno

‘in

'in Horas, Dice una est filiarum Θέμιδος καὶ Ζηνὸς ἄνακτος, Themidis & Jovis Regis. *Graphicam hujus picturam nobis exhibet Chrysippus apud Gellium lib. 14. cap. 4.* Παρθένος δὲ εἶναι λέγεται, &c. Dicitur autem virgo esse, quod indicium est, eam esse incorruptam, improbis nunquam concedere, non orationem suavem, non precationem, non adulationem, non denique quicquam aliud hujusmodi pati. Quas ob res meritò tristis etiam ac contractâ fronte pingitur, vultu gravi, aspectu contorto & torvo, ut injustis terrorem incutiat, justis fiduciam præbeat: quando hujusmodi facies justis grata, injustis molesta est. 'Apud Plutarchum lib. De sera Numinis vindicta, siqui sunt, qui 'scelerum pœnas in hac vita nondum perfectè luerint, τούτους 'Δίκη μετὰ τὴν τελευτὴν ὁ δαίμων παραδίδωσι, *hos dæmon post 'mortem Dice tradit* graviùs puniendos. In Arati Phænomenis 'aureâ ætate cum hominibus familiariter convixisse legitur: 'argenteâ quoque, quamvis rarius: sed æneâ postquam cœ'perunt boves operarios edere, in cœlum secessisse,

——— Πρῶτοι δὲ Βοῶν ἐπάσαντ', ἀροτήρων,
Καὶ τότε μισήσασα Δίκη κείνων γένος ἀνδρῶν
Ἔπταθ' ὑπουρανίη.

Quò alludens Nazianzenus carmine tertio,

Παρθενικὴ δ' ἀπὸ σεῖο φυγὰς, πρὸς χριστὸν ἀνέλθοι,
Ὥς τε Δίκη τοπάροιθε Βοὸς κταμένου ἀροτῆρος.

Virginitas à te fugitiva ad Christum redibit, ut Dice olim, bove aratore cæso. 'Nec mirum Græcæ Deæ famam ad Melitenses 'devenisse, quorum plerique Phœnices erant: cum antè, 'quàm Romani Melitam Occupassent, inter Græcos & Phœni'ces hujus insulæ imperium ita alternaverit, ut modò hos, mo'dò illos penes fuerit summa rerum, ut alibi probavimus ex 'idoneis testibus. Hujus igitur Deæ cultum à Græcis mutuati, 'illi tribuunt, quòd Paulus è maris periculo ereptus, in aliud 'statim incidit priore non minus grave. In quo judicio id qui'dem placet, quòd scelestos statuunt admissi facinoris pœnam 'haudquaquam effugere. Verè enim Plato lib. 5. De legibus, 'τιμωρία δ' ἀδικίας ἀκόλουθος πάσης. Pœna omnis injustitiæ 'comes est. Et Horatius libri tertii Odâ secundâ,

Rarò antecedentem scelestum
Deseruit pede pœna claudo.

Et

Et viperas quoque à Deo in impiorum pœnam adhiberi habetur, Eccles. 39. *v.* 35, *al.* 38. Θηρίων ὀδόντες, καὶ σκορπίοι, καὶ ἔχεις, καὶ ῥομφαῖα ἐκδικοῦσα ἐις ὄλεθρον ἀσεβεῖς. Ferarum dentes, & scorpii, & viperæ, & gladius ulciscens ad internecionem impios. *Idem de aspide* Thermuthi *dicta persuasum fuit Ægyptiis. Ælianus lib.* 10. *cap.* 31. Φείδεσθαι μὲν αὐτὴν τῶν ἀγαθῶν, τοὺς δὲ ἀσεβοῦντας ἀποκτινύναι. Bonis quidem parcere, impiis autem necem afferre. Quod si ita se habeat, *inquit autor*, τοῦ παντὸς ἂν ἡ δίκη τιμήσαιτο τὴν δὲ τὴν ἀσπίδα, universi *justitia* hanc aspidem honoraverit. ‘ Id est, *Dice* Dea, quæ per ‘ hanc in malos animadvertat, ut habetur in sequentibus. Ita‘ que in barbarorum judicio de Paulo aliquid fuit non omninò ‘ contemnendum. Sed & in eodem constat illos peccare mul‘ tipliciter. Primò in eo, quòd impiorum pœnam non refe‘ runt ad verum Deum, sed ad idolum ab hominibus confictum, ‘ quod ab his Δίκη, ab aliis *Themis*, ab aliis *Astræa*, aut *Erigone*, ‘ ab aliis denique *Nemesis* appellatur, aut *Adrastia*. Secundò ‘ quòd sic agunt, quasi ab impiis in hac vita semper reposcantur ‘ pœnæ, cùm in futuram sæpè differantur, ubi judiciorum tar‘ ditatem Deus gravitate compensat. Tertiò quòd neminem ‘ putant in gravem calamitatem incidere, qui non sit idem ‘ graviter reus: cùm etiam optimis mala accidant, Jobo puta, ‘ & cæco nato, quamvis neque ipse, neque parentes ullius insig‘ nis peccati rei fuerint, Jo. 9. v. 3. Proinde non est metienda ‘ cujusquam virtus, aut perversitas ex prosperis & adversis re‘ bus. Sed eorum, quæ latent, judicium Deo soli permitten‘ dum, qui summus est omnium arbiter. Quartò in eo quoque ‘ peccant, quòd præceps judicium de Paulo ferunt. Neque ‘ enim eventum expectant. Sed eum pronuntiant jam periisse, ‘ tanquam de ejus exitio tam certi, quàm si jam evenisset. Ita‘ que in Præterito dicunt, *Justitia*, vel *Dice non permisit eum vive‘ re*: Ut qui de Davide dicebant, Ps. 41. v. 9. *Grave aliquod ‘ scelus ei adhæret, & qui decubuit non resurget ampliùs.* Tamen è ‘ lecto surrexit David, contrà quàm putaverant. Atque idem ‘ hîc Paulo accidit. Neque enim periit morsu viperæ, quam ‘ ex ejus manu barbari videbant dependentem.

Non sinit eum vivere. Gr. ἔιασε, *sivit*, in præterito. Vide quæ mox adnotavimus. Quidam naufragio facto, cum in Libyam salvus evasisset, mox in littore dormiens à vipera morsus interiisse narratur. De quo habetur non inelegans Statyllii Flacci Epigramma Anthologiæ lib. 3. cap. 22.

Λαίλαπα καὶ μανίην ὀλοῆς προφυγόντα θαλάσσης,
Ναυηγὸν, Λιβυκαῖς κείμενον ἐν ψαμάθοις,

Οὐκ

Οὐκ ἐκδὺς ἠόνων, πυμάτῳ βεβαρημένων ὕπνῳ,
Γυμνὸν, ὑπὸ συγχῆς ὃς κύμων αὐθοφόρης,
Ἐλλανὶ λυγρὸς ἔκλε. τί μάτην φεὶς κύματ' ἐμόχθει,
Τὴν ὅπῃ γῆς φεύγων μοῖραν ὀφειλομένην;

Turbinem & insaniam pernicioſi maris effugientem naufragum, Libycis in arenis jacentem, non procul à littore, ult mi gravatum ſomno, nudum, gravi naufragio adhuc laborantem, cecidit funeſta vipera. Quid cum fluctibus fruſtrà laborabat, fatum in terra debitum fruſtrà fugiens? Aliquid ſimile Paulo accidit. Illum enim in inſulam Melitam Libyæ vicinam è naufragio vix elapſum, vipera ſtatim aggreſſa eſt; ſed eventu valde diſpari. Neque enim Paulo, ſed viperæ fatalis fuit hæc aggreſſio, utì mox ſequitur.

5. *Et ille quidem excutiens beſtiam in ignem.* Si Oecumenio credimus, vipera in ignem ſe ſponte projecit, tanquam pœnas à ſe exigens, quòd corpus invaſiſſet nihil ad ſe pertinens: χρὴ τὰ πυρᾶς ἔλαβο, inquit, ὥσπερ δίκας ἑαυτὴν εἰσπραττομένη. ὅτι τῷ μηδαμόθεν φερσιχοίμι φερσίβαλε σώμαβι. Sed Lucas diſertè aſſerit Paulum illam excuſſiſſe, ſdque in vicinum ignem, non procul in aerem, ut habetur in Prudentii Præfatione in lib. 1. adverſus Symmachum,

Excuſſumque procul decutit aſpidem:
Abjectus coluber verberat aera.

Hoc ad veterem ſerpentem, id eſt, diabolum, referunt, qui Fideles fruſtrà aggreſſus, in ignem gehennæ detruſus eſt. Arator Hiſtoriæ Apoſtolicæ lib. 2.

——— *Digito nam beſtia pendens*
Excutitur projecta ægis, bene reddita flammæ,
Quam dedit ipſa priùs, quæ culpæ protulit ignem,
Unde gehenna calet.

Nihil mali paſſus eſt. Hoc miraculo barbaris maximè improviſo impletum eſt, quod Chriſtus Apoſtolis promiſerat fore ut ſerpentes tollerent, Marc. 16. v. 18. *Et videtur*, inquit Bochartus, *ille ſerpens Pauli manui ſe alligaſſe, non ut læderet, ſed ut ornaret. Fuit enim apud veteres inter armillarum genera ὄφις ἑλικοειδὴς, aut πεπλεγμένος, cujus meminere in Athenæo Nicoſtratus, Philoſtratus Epiſtolâ trigeſſimâ nonâ, Heſychius & alii: ut à Nonno Dionyſiacôn libro quinto monile deſcribitur, quod*

Ὡς ὅτε τὴν ἑλικῶδες ἔχων δέμας,

Tanquam serpens erat tortuosum habens corpus.

6. *At illi existimabant eum in tumorem convertendum.* Id est, fore ut Paulus vastiùs tumesceret. Vox Græca πίμπρασθαι *propriè est*, infit Bochartus, ardere & exuri; *deinde etiam* præ ardore inflari, & intumescere. *Hesychius*, Πιμπρᾶν, ἐμπυρίζειν, φυσᾶν, καίειν. *Ælianus lib.* 1. *cap.* 57. *Psyllos ait facilè sanare eos, qui à ceraste morsi sunt, modò vocentur,* πρὶν ἢ πρηθῆναι τὸ πᾶν σῶμα, priusquàm totum corpus intumescat. *Nam totum corpus iis, varicum modò, tumere scribit Dioscorides. Etymologus de Bupresti oleris specie,* βούπρηστις ἢ, φασὶ, λέγεται διὰ τὸ τοὺς γευσαμένους αὐτῆς μεγάλως πίμπρασθαι, τουτέστι φυσᾶσθαι· Buprestis dicitur, ut aiunt, quia qui eam degustant, maximè intumescunt, quod *Græcè* est φυσᾶσθαι. *Et Nicander de bupresti animali Alexipharmacōn versu* 344.

Ἡ καὶ που δαμάλεις, ἐριγάστορας ἄλλοτε μόσχους
Πίμπρασθαι,

Quæ interdum juvencas, interdum ventriosos vitulos inflat. *Et in Theriacis* de hæmorrhoo versu 306.

Τῆς γὰρ ὀδαξομένης τὰ μὲν ἄθρεα πίμπρασθαι οὖλα,

Cùm illa mordet, intumescunt totæ gingivæ, *aut etiam* ardent. Ita enim *Scholiastes*, πίμπρασθαι, ὑποκαίεσθαι, καὶ πυροῦται. *Et paulò pòst*, Πυρακτοῦνται, καὶ ἀναβράζουσι. *Neque aliter sumitur in Luciano, cùm de dipsade dicit*, πίμπρασθαι ποιεῖ. *Sequitur enim*, καὶ βοῶσιν ὥσπερ οἱ ἐν πυρὶ κείμενοι. Et clamant, *qui icti sunt*, ut qui in igne jacent. *Potest igitur in Luca utroque modo reddi. Proinde Arabum unus hîc habet*, Expectabant fore ut arderet. *Et Castalio*, illis futurum expectantibus, ut arderet. *Sed Hieronymus*, Existimabant eum in tumorem convertendum, *id est, fore ut intumesceret. Quod sequuntur Arias & Beza, & multi alii recentiorum. Neque id immeritò, cùm inter symptomata, quæ accidunt ex morsu viperæ, hoc sit unum è præcipuis & maximè conspicuis, quòd demorsa pars statim intumescit. Dioscorides lib.* 6. Τοῖς δὲ ὑπὸ ἐχίδνης δηχθεῖσιν οἰδεῖ, καὶ ἐφ' ἱκανὸν τὸ σῶμα ξηραίνεται· Iis qui à vipera morsi sunt, corpus tumet, & vehementer arescit. *Nicander ubi de morsis à vipera Theriacōn versu* 240.

φλύκταιναι ἀραιαὶ,
Ὅια πυρικμήτοιο χρόος, κλαδόεσιν ὕπερθεν·

Tumores

Tumores noxii, ac si corpus sit igne ambustum, supernè ebulliunt. *Ita etiam Paulus Ægineta* Pustulæ in commorsa parte erumpunt, veluti in ambustis. *Et Aetius ex vulnere à vipera inflicto enasci scribit* tumorem biliosum, fervidum, bullosum, subbrubrum, *&c.* *Et Avicenna in capite de morsu viperarum imâ paginâ* 137. Tunc apparet tumor calidus, ruber, multis bullis & pustulis plenus, tanquam ex adustione ignis. Hactenus Bochartus. *Vox πίμπρασθαι*, inquit Joannes Pricæus, *tumorem an inflammationem notet, disputant eruditi. Ego utrumque significari existimo. Illustris, & quod sciam intactus Lucani est in hanc mentem locus lib. 9. v. 780 & seq.*

Nasidium Marsi cultorem torridus agri
Percussit prester, illi rubor igneus ora
Succendit, tendítque cutem, pereunte figurâ,
Miscens cuncta tumor toto jam corpore major,
Humanúmque egressa modum super omnia membra
Efflatur Sanies, latè tollente veneno.
Ipse latet penitùs congesto corpore mersus:
Nec lorica tenet distenti corporis auctum.
Spumeus accenso non sic exundat aheno
Undarum cumulus, nec tantos carbasa Coro
Curvavere sinus. Tumidos jam non capit artus
Informis globus, & confuso pondere truncus.

Non potuit illud πίμπρασθαι enarratiùs depingi. Etiam ex loco illo (præter utriusque symptomatis adeo luculentam descriptionem) videre est quàm Emphaticè Vetus hic, in tumorem convertendum; *nimirùm, non ampliùs hominem eum, sed tumorem futurum: vel, ut verbis Lucani loquamur*, perituram figuram ejus.

Aut subitò casurum & mori. Hoc est, fore ut repentè concideret mortuus. Apud Avicennam plerique eorum, qui à vipera morsi pereunt, *tertiâ die pereunt, & quandoque permanent usque ad septimam.* Apud Aetium intra septem horas plerumque moriuntur. Apud Plinium lib. 11. cap. quinquagessimo tertio, *Scythæ sagittas tingunt viperinâ sanie & humano sanguine: irremediabile id scelus, mortem illicò adfert levi tactu.* Et in Pausaniæ Bœoticis narratur à Phœnice quodam ἄνθρωπον ἀποφεύγοντα ὁρμὴν ἔχεως, ἐπί τι ἀναδραμεῖν δένδρον, τὸν δὲ ἔχιν, ὡς ἦλθεν ὕστερος, ἀποπνεῦσαι πρὸς τὸ δένδρον τοῦ ἰοῦ, καὶ οὐ ζῆν ἔτι τὸν ἄνθρωπον, *Hominem, ut insequentis viperæ impetum declinaret, in arborem quandam celeri fugâ se recepisse, quò cùm Paulò pòst venisset vipera, venenum arbori afflasse, & hominem vivere desiisse.* Sic apud Arabes *giaria* est viperæ genus quæ statim occîdit. Unde

Muhammed Addamirius, qui vulgò Damir dicitur, in Proverbiis de vipera, *Deus objecit illum viperæ giariæ*, est, conjecit illum in malum immedicabile: *quia qui ab hac vipera morsus est, moritur ipso momento.* Nempe perniciosior est viperæ morsus pro loci aut alimenti ratione, & si jejuna mordet, & æstivis diebus, & priùs provocata. Tum enim accensâ bili, venenum fit multò acrius. Prætereà quædam corpora, & in ipsis corporibus quædam partes veneno minùs obsistunt. Cùm igitur tam multæ sint causæ, cur aut lentiùs aut citius viperæ morsu perimant, tempus futuræ mortis non potest certò definiri. Sed quæ Paulum invaserat, poterat videri venenum habere præsentissimum, quia è mediis ignibus commotior & concitatior eruperat.

Diu autem illis expectantibus. Q. d. Quum verò barbari illi diu expectassent Pauli mortem ex viperæ morsu secuturam.

Et videntibus nihil mali in eo fieri. Hoc est, videréntque nihil incommodi ei accidere, unde criminis alicujus, prout suspicati fuerant, reus haberi posset.

Convertentes se. Id est, à priore in contrariam sententiam transeuntes, ut

Rustica progenies nescit habere modum,

&

Dum stulti vitant vitia, in contraria currunt.

Dicebant eum esse Deum. Quem prius homicidam esse statuerant. Verùm ut homicida non erat Paulus, ita nec Deus, sed fidissimus Dei servus, quem cum homicidam statuerent, in charitatem, cum Deum, in fidem graviter, peccabant. Nimirum, ut notat Oecumenius, Gentiles ita solebant, πάντα ποιοῦντά τι παράδοξον Θεὸν νομίζειν *pro Deo quemlibet habere, qui mirabile aliquid ederet.* Ità suprà cap. 14. v. 10 & 19. Lystrenses huic eidem Paulo divinos honores decreverunt, quia claudum sanaverat: sed & eundem iidem paulò post lapidibus appetierunt.

7. *In locis autem illis.* Gr. Ἐν δὲ τοῖς περὶ τὸν τόπον ἐκεῖνον *in iis autem quæ circa locum illum.* Id est, *in loco autem illo*, ut rectè Syrus vertit, vel, in regione illa prope littus illud. Τοῖς περὶ τὸν τόπον ἐκεῖνον *ponitur pro* τῷ τόπῳ ἐκείνῳ, *sicut eleganti Græcorum phrasi* οἱ περὶ τὸν Παῦλον *dicitur pro* ὁ Παῦλος, suprà cap. 13. v. 13. inquit Lud. de Dieu.

Erant prædia principis insulæ nomine Publi. Hoc est, fundos habebat quidam Publius, sive, ut alii legunt Poplius quem Romani Melitæ insulæ præfecerant. Vide quæ suprà v. 1. ex Bocharto adnotavimus.

Qui

Qui nos ſuſcipiens, triduo benignè exhibuit. Q. d. Qui cum perdives eſſet, pérque humanus nos tam multos hoſpitio exceptos, triduo ea, quæ ſuppeditabant ad victum, omnibus peramanter præbuit.

8. *Cùm oraſſet.* Pronis genibus, ut ſuprà cap. 20. v. 36. & cap. 21 v. 5. Videſis quæ iiſdem in locis adnotavimus. Euſebius 5 Hiſt. Eccl. 5. Chriſtianos milites, qui ſub Marco Aurelio Imperatore pluviam impetrarunt precibus, ait precatos fuiſſe γονυ κλίναντας ὅπη τὴν γῆν καὶ τὸ ὀικεῖον τοῖς χειρὶ ἀνοῖς ἐπὶ εὐχῶν ἔθος, *genu in terram uſque flexo juxta proprium Chriſtianis precandi ritum.*

Salvavit eum. Id eſt, ſanavit eum, prout Chriſtus à mortuis redivivus credentibus in ſe diſcipulis promiſerat Marc. 16. v. 18. *Super ægros manus imponent & bene habebunt.* Manuum autem impoſitio viſibile ſignum eſt precationis, cujus meminit Jacobus cap. 5. v. 14. Conjunxit ergo Paulus ſignum rei ſignatæ, id eſt, manuum impoſitionem precationi cùm Poplii ſeu Publii patrem profluvio alvi laborantem, ac febre rapidâ decumbentem ſanitati reſtituit. Omnis porrò promiſſio, quæ corpus ſpectat, conditionalis eſt, habéque adjunctam hanc exceptionem, niſi aliter viſum fuerit Deo juſtas ob cauſas, etſi nobis ignotas. Nam ne Apoſtoli quidem ipſi licèt præſentes omnibus in Eccleſia ægrotantibus, modo Jac. 5. v. 14. præſcripto ſanitatem reſtituebant, ut videre eſt Phil. 2. v. 26 & 27. 2 Tim. 4. v. 20. Sanitas quippe corporis officit ſubindè ſanitati mentis, & ægritudo corporis prodeſt ad animi ſanitatem, &, ut ait Seneca de providentia cap. 4. *Calamitas virtutis occaſio eſt*, ſive, ut Minucius Felix loquitur, *calamitas ſæpiùs diſciplina virtutis eſt.* Hinc Salvianus Maſſilienſis Presbyter de gubernatione Dei lib. 1. *Nequaquam nobis dolenda eſt afflictio infirmitatum, quam intelligimus matrem eſſe virtutum.*

9. *Quo facto.* Hoc eſt, Poplii, ſeu Publii patre precibus Pauli manus ipſi imponentis ſanitati reſtituto.

Omnes qui in inſula habebant infirmitates. Id eſt, Ceteri quoque omnes, qui in hac inſula Melita conflictabantur iniquâ valetudine.

Accedebant. Ad Paulum, ut impoſitis ſibi manibus, Dei veri opem ad ſanandos ipſos imploraret.

Et Sanabantur. Precibus Pauli ipſis manus imponentis.

Qui. Ex incommoda valetudine emerſi.

Multis honoribus nos honoraverunt. Q. d. Acceptum ſanationis mirificiſſimæ beneficium grato animo proſequuturi, non ipſum modò Paulum, cujus precibus è morbo fuerant relevati, ſed & me Lucam hujus hiſtoriæ ſcriptorem, ceteróſque omnes Pauli comites multo honore cohoneſtarunt.

Et navigantibus. Q. d. Quúmque ab insula Melita solveremus, ulteriùs navigaturi.

Imposuerunt. In navim.

Quæ necessaria erant. Hoc est, largum & liberale viaticum.

11. *Post menses autem tres.* Hybernos ab appulsu nostro ad Melitam insulam transactos.

Navigavimus. Id est, avecti sumus.

In navi Alexandrina. Ut & priùs Alexandrinâ navi tendente in Italiam eramus à Lycia vecti suprà cap. 27. v. 6.

Cui erat insigne Castorum Id est, Castoris & Pollucis, qui Διόσκουροι, id est, *Jovis filii* ex Leda Thestii filia, Tyndari Laconiæ Regis uxore, ambo *Castorum* nomen ab uno ex iis obtinent. Unde Plinius lib. 10. cap. 43. *Supra Castorum ædem.* Arnobius lib. 5. adversus Gentes: *Tyndaridæ Castores, equos unus domare consuetus, alter pugillator bonus,* &c. Minutius Felix, *Castores alternis moriuntur, ut vivant.* Hi ubi primùm adoleverunt, mare piratis liberarunt, & ob id Dii maris habiti sunt, quos in tempestate nautæ solent implorare. Post hoc in Colchos cum Argonautis profecti: qua in expeditione Pollux Amyrcum Bebryciorum Regem insidias sibi struentem interfecit. Deinde domum reversi, Helenam sororem à Theseo raptam receperunt, Aphydnâ urbe, Theseo absente, expugnatâ. Tandem cùm Castor diem suum obiisset, ferunt Pollucem, qui eodem cum Helena ovo natus immortalis erat, fratris desiderio à Jove petiisse, ut immortalitatem suam cum fratre posset partiri: quâ re impetratâ, alterni mori traduntur & reviviscere. Quod ideo fingitur, quia, ut ait Servius ad Æn. 6. Sidus Geminorum eis assignatum ita se habet, ut occidente unâ illius stellâ, oriatur altera. Macrobius tamen Saturnal. lib. 1. cap. 21. utì alios Deos omnes, ita etiam hos ad solem referre amat, cùm ait: *Gemini autem, qui alternis mortibus vivere creduntur, quid aliud nisi Solem unum eundémque significant, modò descendentem in ima mundi, modò mundi in summam altitudinem resurgentem?* Porrò Castores, sive Castor & Pollux vulgò pingebantur, ut *venusti juvenes, venustissimè vestiti, atque insidentes equis,* inquit Cl. Lightfoot. *Et sic apparuerunt, si referenti credes, in pugna ad lacum Regillum, equitatum Romanum ducentes, & ferientes hostem, ita ut eorum ductu obtenta sit victoria. Dionysius lib. 6. Antiquitatum Romanarum. Effigiantur tamen aliquando Pedites.* Alexandrinas autem naves Castoris & Pollucis imaginem præferre Solitas probat insignis Cyrilli locus, quem ex Catena in Esaiam nondum edita laudat Clarissimus Heinsius. Καὶ, inquit ad Esaiæ undecimum, ὁ τὰς πρόξεις δὲ τῶν Ἀποστόλων συγγεγραφὼς, ἐπιβησαί φησι καὶ τοὺς συναυτῷ, πλοίῳ Ἀλεξανδρίνῳ. Παρασήμῳ Διοσκούροις. Ἔθος γὰρ πως ἀεὶ, ἐν ταῖς Ἀλεξανδρέων μάλιστα ναυσὶ, πρὸς γε τῆς πρό-

πρώρης δεξιάτε καὶ ἐρώνυμα, γραφὰς εἶναι τοιαύτας, *Sed & qui Apostolorum Actus scripsit, eos qui cum eo erant, navem Alexandrinam, cui insigne Castor & Pollux erat, ascendisse ait. Usitatum quippe, ut Alexandrinæ naves, in dextera sinistráque proræ parte, picta ejusmodi insignia haberent.* Notandum porrò non abnuisse Paulum in necessitate uti eâ navi, quæ idoli imaginem præferebat. Cùm enim idolum nullam habeat vim ad polluendum res ipsi consecratas, in casu necessitatis, ubi abest, justa scandali causa, rebus illis utens Christianus non contaminatur, si ad usus civiles referantur. Vide 1 Cor. 8. v. 4, 7, 8, 9 & 10.

12. *Et cùm venissemus Syracusam.* Syracusa, seu, ut communiùs vocatur numero plurali, Syracusæ, urbs Siciliæ insulæ celeberrima, Corinthiorum colonia, à Corinthiis unà cum Græcis Doriensibus Archia Corinthio duce condita, annis ante Christum natum plus septingentis, circa eadem tempora, quibus Naxus & Megara Siciliæ civitates conditæ fuere, ut rerum monumentis tradidere Thucydides lib. 6. Strabo lib. 6. & alii. Nomen sortita est à palude contermina, cui *Syraco* nomen erat, de qua Stephanus, ubi de Syracusis. Marcianus Heracleota in Περιηγήσει.

Τὸ δὲ Ζέφυρον τῆς Ἰταλίας οἱ Δωριεῖς
Κατέσχον. Ἄρχας δὲ τούτους προσλαβὼν
Ὁ Κορίνθιος, μετὰ Δωριέων κατῴκισεν
Ἀπὸ τῆς ὁμόρου λίμνης λαβούσας τοὔνομα
Τὰς νῦν Συρακούσας παρ' αὐτοῖς καλουμένας.

Quos versus Latinè sic reddit Cl. Bochartus lib. 1. de Coloniis & sermone Phœnicum cap. 28.

Zephyrum tenebant Dorienses Italæ
Telluris. Illos Archias Corinthius
Ad se vocavit, & per illos condidit
Urbem potentem, quam Syracusas vocant,
Sumto è palude proxima vocabulo.

In quatuor partes, inquit Thomas de Pinedo, *erat olim divisa, autore Cicerone in Verrem lib.* 4. *Una,* quæ Straboni lib. 6. *Ortygia dicitur, ipsis dicebatur* Nasos *(id nominis Doricâ dialecto, quâ Syracusani utebantur, significat insulam) duobus inclyta portubus, & regiâ Hieronis domo, quâ Prætores uti solebant; in hac civitatis parte erant complures ædes sacræ, quarum duæ ceteris antecellebant, Dianæ & Minervæ. Erat etiam fons aquæ dulcis, cui nomen* Arethusa, *incredibili magnitudine, non Poetis modò, verùm etiam prosâ Scriptoribus celebratus, plenissimus piscium, qui fluctu totus operiretur, nisi*

munitione, ac mole quadam lapidum à mari disjunctus esset: altera autem pars erat, cui cognomen Acradina, *in qua forum maximum, pulcherrimæ porticus, ornatissimum prytaneum, amplissima erat curia, templumque egregium Jovis Olympii; tertia urbis pars* Tyche *nominata est, quod in ea esset fortunæ fanum antiquum (sic Græci fortunam indigitant) in qua gymnasium amplissimum erat, & complures ædes sacræ; quarta autem pars, quia postrema ædificata est,* Neapolis *nominabatur. in qua theatrum erat maximum & duo templa egregia, unum Cereris, alterum Liberæ, signumque illud Apollinis, quem* Temenitem *vocabant, pulcherrimum & maximum; hæ quatuor Syracusarum partes erant adeo magnæ, ut unaquæque à Cicerone loco prædicto urbs nominetur, ac ideo Ausonius in Poematio, quod de nobilioribus Rom. imperii urbibus fecit, quadruplices Syracusas vocat. Ab aliis quoque* Epipolæ, *in quibus erat* Euryleus, *&* Labdalum, *&* Temenus, *de quibus suo loco egimus, inter Syracusæ partes memorantur, sed nos dissertissimum Romuli nepotum sequuti sumus, ex cujus fonte hosce hortulos rigavimus. In Epipolis fuit carcer ille celeberrimus, nuncupatus* Latomiæ, *opus ingens & magnificum Regum ac Tyrannorum; totum erat ex saxo in mirandam altitudinem depresso, autore Cicerone in Verrem lib. 5. qui in eadem oratione à crudelissimo tyranno Dionysio factum fuisse testatur. Cavernarum hoc in opere pulcherrima cognomentum habebat Philoxeni Poetæ, in qua elaborasse dicitur* Cyclopem, *omnium suorum Poematum præstantissimum, referente Æliano Hist. Var. lib. 12. cap. 44. Signum illud Apollinis, qui* Temenites *indigitabatur, à Cicerone tantoperè laudatum, Syracusis Romam advectum fuisse tradit Suetonius in Tiberio cap. 74. Hanc ditissimam ac celeberrimam civitatem Romani suo subjecere imperio duce Marcello, cùm priùs eam diripuissent, cujus rei luculenti sunt testes Livius libro vigesimo quinto, & Florus lib. 2. cap. 6. Placitum huc posterioris conferre verba:* Sicilia mandata Marcello, nec diu restitit, tota enim insula in una urbe superata est. Grande illud & ante id tempus invictum caput Syracusæ, quamvis Archimedis ingenio defenderentur, aliquando cesserunt. Longè illi triplex murus, totidémque arces, portus ille marmoreus, & fons celebratus Arethusæ, nisi quod factenùs profuere, ut pulchritudini victæ urbis parceretur. 'Eam posteà instauratæ Augustum Cæsarem 'memoriæ prodidit Strabo lib. 6. Fuit olim princeps totius 'Siciliæ urbs, maxima juxta ac potentissima, Tyrannorum sedes, nunc Episcoporum, inter Catinam & Pachynum promontorium, etiamnum eundem servat situm & nomen aliquantulùm deflexum, vulgò enim *Saragossa* dicitur. Ejus oppidani Latinis dicuntur Syracusani. Protulit quoſdam viros literis claros, inter quos, Flavium Vopiscum celebrem 'Historicum, Philemonem Poetam Comicum, sed omnes famâ superavit Archimedes Geometra & Mathematicus insignis,

'cujus

'cujus ſepulchrum Cicero inter vepres & dumeta Syracuſanis 'ignoratum, cùm ipſe in Sicilia Quæſtor eſſet, inveniſſe glo-'riatur Tuſcul. quæſt. lib. 5. ſed neſcio cur tam admirabilem 'virum apoellet *humilem homunculum.* Si plura de hac urbe ſcire 'deſideras, conſule Cluverium lib. 1. Siciliæ antiquæ cap. 12. Goltzium in *Syracuſæ.*

Manſimus ibi. Syracuſæ nimirùm ſeu Syracuſis.

13. *Indè.* Id eſt, Syracuſis interpoſitâ tridui morâ, illinc avecti.

Circumlegentes devenimus Rhegium. Urbem Græcam, à Chalcidenſibus conditam, utì teſtatur Strabo lib. 6. Hinc Solinus cap. 8. *Notum eſt Rhegium à Chalcidenſibus conditum.* Eriamnum ſervat nomen, Italis enim *Reggio* dicitur; olim Brutiorum, nunc Calabriæ ulterioris caput in regno Neapolitano. Jacet in ora freti Siculi, ex adverſo Siciliæ; gaudet ſede Archiepiſcopali, teſtibus Alexandrino, & Michaële Antonio Baudrand Pariſino ad illius Lexicon Geographicum. De ejus nominis etymo diſcordant autores, alii ſic vocitatam dicunt, quòd eſſet civitas ampla ac veluti regia, alii verò ἀπὸ τῦ ῥήγνυσθαι, id eſt, *rumpi*, quia quum ſanteà cum Sicilia tellus iſta, ut verbis utar Virgilii Æn. 3.

Una foret, venit medio vi pontus, & undis
Heſperium Siculo latus abſcidit, arvaque & urbes
Littore diductas, anguſto interluit æſtu.

Utriuſque originationis teſtes habeo Strabonem citato libro ſexto, & Euſtathium ad Dionyſii Periegetæ v. 345. A Dionyſio primo hujus nominis Siciliæ Tyranno everſam, ab ejuſdem filio inſtauratam ac *Phœbiam* vocatam, & ab Auguſto Cæſare, cùm civium penuriâ laboraret, incolis ex claſſe ſua auctam fuiſſe tradit Strabo eodem libro. *Rhegium Julium* dicitur Ptolemæo lib. 3. cap. 1. ſive quòd Julius Cæſar illuc coloniam miſerit, ſive quod Julia Auguſti filia ex Scribonia ob impudicitiam Rhegium relegata illic ſupremum diem obierit, teſte C. Tacito Annalium lib. 1. Si quis plura de hac urbe ſcire velit, adeat Leandri Alberti deſcriptionem Italiæ Henrico Secundo Galliæ Regi dicatam, Cluverium & alios.

Et poſt unum diem. Scilicet Rhegii tranſactum.

Flante Auſtro ſecundâ die. Poſt diſceſſum ab urbe Rhegio.

Venimus Puteolos. Gr. corrupto parùm Latino nomine Πετίολος. Varro lib. 4. de ling. Lat. 'A puteis oppidum Puteo-'li, quòd ſint circa eum locum aquæ frigidæ & calidæ multæ; 'niſi à putore potius, quod putidus ſit odoribus ſæpe ex ſulphu-

're

re & alumine. Hæc urbs Tyrrheniæ, id est, Etruriæ, tribus nominibus celebratur à Stephano Byzantio suis locis. *Dicæa* enim, *Dicæarchia*, & *Potioli* ipsi dicitur. In Ποτίολοι Samiorum opus vocat, in *Dicæa* Ionum coloniam fuisse dicit. B. Hier. in Eusebii Chron. lib. 2. *Olymp.* 64. *A.* 4. *Samii Dicæarchiam condiderunt, quam nunc Puteolos vocant.* De hac urbe post descriptionem Lucrini, Avernique lacus Strabo lib. 5. Ἑξῆς δ' εἰσὶν αἱ περὶ Δικαιαρχίαν ἀκταὶ, καὶ αὐτὴ ἡ πόλις; ἦν δὲ πρότερον μὲν ἐπίνειον Κυμαίων ἐπ' ὀφρύος ἱδρυμένον. κατὰ δὲ τὴν Ἀννίβα στρατείαν, συνῴκισαν Ῥωμαῖοι, καὶ μετωνόμασαν Ποτιόλους, ἀπὸ τῶν φρεάτων. οἱ δὲ ἀπὸ τῆς δυσωδίας τῶν ὑδάτων. *Deinde sunt actæ, seu littora circa Dicæarchiam, & ipsa urbs. Fuit anteà navale Cumanorum in littoris supercilio extructum. Sub tempus verò belli cum Annibale eò coloniam misere Romani, & mutato priore nomine* Potiolos *vocarunt à puteis. Alii ab aquarum putore.* Idem paululùm infrà. Ἡ δὲ πόλις ἐμπορεῖον γεγένηται μέγιστον, χειροποιήτους ἔχουσα ὅρμους διὰ τὴν εὐφυΐαν τῆς ἄμμου. *Urbs autem emporium maximum factum fuit, habens stationes navium manufactas propter arenæ naturalem commoditatem. Dicæarchia* ut plerumque dicitur Græcis, *Colonia Dicæarchia* dicitur Plinio lib. 3. cap. 5. Ex Livii lib. 34. constat Puteolos, Vulturnum, Liternum colonias civium Romanorum deductas fuisse P. Cornelio Scipione Africano iterùm & Tito Sempronio Longo Consulibus. trecenos homines in singulas. Si postmodùm Puteoli jus Coloniæ non amiserant, allucinatus est Cornelius Tacitus, dum ait Annalium lib. 14. cap. 14. *In Italia vetus oppidum Puteoli, jus coloniæ & cognomentum à Nerone adipiscuntur.* Benjamin Thudelensis in suo itinerario autor est, sed sine autore, *Surento* olim dictum fuisse hoc oppidum, & ab Hadar-Ezer, cujus fit mentio 2 Sam. 8. v. 3. conditum, *cùm fugeret à facie David*, ut loquuntur Hebræorum filii, quam fabulam subdititius ille Josephus Ben Gorionis quoque refert lib. 1. cap 3. sed contrarium patet ex Ptolemæo, apud quem Geograph. l. 3. c. 1. Puteoli & Surentum diversa sunt oppida. Puteoli nunc *Pozzuolo* parùm corrupto nomine dicitur Italis, ad cujus moles à Baiis medium intervallum trium millium, & sexcentorum ferè passuum ponte conjunxit C. Cæsar Caligula, vel Xerxis æmulatione, qui Hellespontum contabulavit. vel quòd hujus immensi operis famâ Germaniam & Britanniam, quas bello invadebat, vellet territare, vel quod verius est, quia Thrasyllus Mathematicus prædixerat, non magìs Caium imperaturum, quàm per Baianum sinum equis discursurum, ut refert Suetonius in Caligula. *M. T. Cicero*, inquit Thomas de Pinedo, *villam suam* Puteolanum *vocavit, quòd esset propè Puteolos, ubi sepultum fuisse Adrianum Imperatorem autor est Ælius Spartianus in ejus vita. quo in loco Antoninus Pius ejus successor*

teſſor templum ei pro Sepulchro conſtituit, & quinquennale certamen, & flamines, & ſodales, & multa alia, quæ ad honorem quaſi numinis pertinèbant, ut narrat idem Spartianus. In urbis medio templum antiquiſſimum cernitur, vi terræ-motuum nonnihil deformatum, olim Auguſti, nunc D. Proculo ſacrum, ubi oſſa humana vaſtiſſimæ magnitudinis viſuntur, ut refert Leander Albertus oculatus teſtis in ſua Campania. In hac enim Italiæ regione locat hanc urbem.

14. *Ubi inventis fratribus.* Id eſt, Chriſtianis, qui fortè ex Judaiſmo ad Chriſtianiſmum erant converſi. Judæorum certè Dicæarchiæ, id eſt, Puteolis habitantium meminit Joſephus Antiq. lib. 17. cap. 14.

Rogati ſumus. Ab iiſdem frarribus.

Manere apud eos. Gr. ἐπ' αὐτοῖς. *Rarum,* inquit Ludovicus de Dieu, ἐπὶ *pro* παρὰ, apud. *Non tamen omninò inſolens, ut* ἐπὶ ταῖς θύραις ad fores, apud januam, *omnibus ferè ſcriptoribus uſitatum, & apud Thucid. lib. 3.* ἦν ἐπὶ ποταμῷ, ſitus erat apud fluvium.

Dies ſeptem. Quos nimirum Puteolis traducere conſtituerat Julius Centurio, qui Paulo ſibi commiſſo humanum ſeſe præbebat, ut videre eſt ſuprà cap. 27 v. 3 & 43.

Et ſic. Poſt illos ſeptem dies Puteolis traductos.

Venimus Romam. Id eſt, Romam profecti ſumus, nam tum nondum Romam venerant, ut intelligitur è verſiculo proximè ſequenti. *Venire* hoc loco nihil aliud declarat quàm *ire & proficiſci,* ut Luc. 15. v. 20. & Jo. 6. v. 17.

15. *Et inde.* Id eſt, ex urbe Roma.

Cùm audiſſent. Paulum vinctum Luca & Ariſtarcho comitatum Puteolis Romam profectum.

Fratres. Id eſt, Chriſtiani, qui Romæ tunc habitabant, ad quos anteà Paulus ſcripſerat epiſtolam, quæ inſcribitur ad Romanos.

Occurrerunt. Id eſt, multi obviàm prodierunt.

Nobis. Romam contendentibus.

Uſque ad Appii forum, ac Tres-tabernas, Q. d. Alii quidem obvii ad Appii uſque forum, alii verò ſerìùs cùm jam eſſemus apud Tres-tabernas, quæ foro Appii ſunt Romæ propiores, obvii occurrerunt. Zozimus lib. 2. de Tribus-tabernis meminit, & Severum Cæſarem Romam pergentem, ubi ad eum locum veniſſet, quem *Tres-tabernas* vocant, ab inſidiis quas eo loco Maxentius locaverat, apprehenſum, infandæ neci fuiſſe datum, cervicibus laqueo fractis. *Appii forum* Hieronymus putat ab Appio quodam Conſule appellatum, à quo *via Appia* dicta. Oppidum fuit longiùs diſtans Româ, quàm Tres-tabernæ, quod oſtendit Cicero ad Atticum lib. 2. Epiſt. 10. *Ab Appii Foro horâ quartâ, dederam aliam paulò antè à Tribus-Tabernis.* Poſt Albanum montem in via Appia urbs eſt Aricia, quam Strabo lib.

lib. 5. centum & sexaginta, Dionysius verò lib. 6. & Philostratus lib. 3. de vita Apollonii cap. 12. viginti duntaxat supra centum Româ distare stadiis aiunt. At Foro Appii Ariciam Romæ fuisse propiorem palàm probant hi Horatii versus Serm. 1. Sat. 5.

Egressum magnâ me excepit Aricia Româ
Hospitio modico: rhetor comes Heliodorus,
Græcorum longè doctissimus. Inde Forum Appî,
Differtum nautis, cauponibus atque malignis.

Quos cùm vidisset. Paulus sibi obviàm accedentes.

Gratias agens Deo. Cujus benigna providentia ipsi tandem indulsit Christianos Romæ degentes coràm affandi felicitatem, quam Deum semper in precibus suis ita rogabat, ut majore studio rogare non posset. Rom. 1. v. 10.

Accepit fiduciam. Id est, sperare cœpit suam fidei confessionem non parùm fructuosam fore Romanis, atque ita alacriùs ad Evangelii defensionem Romam properavit.

16. *Cùm autem venissemus Romam.* Gr. additur, *Centurio tradidit vinctos exercitûs Præfecto.* Qui nimirùm aliàs *Præfectus Prætorio* vocabatur, & præerat militibus Prætorianis, qui Romæ Imperatori ad usum præstò erant. *Sub hujus Præfecti cura fuisse reorum custodias, multis Taciti locis evincitur,* inquit Grotius. Is Præfectus apud Neronem Cæsarem creditur tunc fuisse Burrhus Afranius, *egregius militaris famæ*, Tacit. lib. 12. *in se tumescentibus paulatim faucibus, & impedito meatu extinctus, P. Mario & L. Asinio Cos.* Tacit. lib. 14.

Permissum est Paulo. Quem Festus Judææ Procurator, à quo Romam ad Cæsarem missus erat, nullius esse criminis reum suâ fortassis epistolâ testabatur.

Manere sibimet. Id est, seorsim ab aliis captivis, ubi vellet.

Cum custodiente se milite. Cujus videlicet siniſtræ Pauli dextera ex more Romano copulabatur longâ catenâ, cujus infrà v. 20. eam monstrans Paulus meminit, ut & Ephes. 6. v. 20. Scholiastes Juvenalis *castrensem carcerem* dici ait, quando captivi traduntur catenati, ita nimirùm, ut eadem catena & custodiam & militem copulet. Vide quæ adnotavimus suprà cap. 12. v. 6.

17. *Post tertium autem diem.* Ab adventu Pauli in urbem Romam.

Convocavit primos Judæorum. Id est, ut ii, qui dignitate & doctrinâ tunc Romæ præcellebant Judæi, se inviserent, non solùm rogavit Paulus, sed etiam suasit.

Ego nihil adversus plebem faciens. Id est, nihil nocens genti Israeliticæ.

Aut

Aut morem paternum. Id eſt, neque quicquam deliqui contra Leges Majoribus noſtris à Moſe traditas. Nam Paulus non impediebat quominùs ab iis, qui in Judaiſmo nati erant, ceremoniæ legales obſervarentur, ſed tantùm Ethnicos ad Deum & Meſſiam ejus converſos iſtis non obligari docebat.

Vinctus ab Jeroſolymis. Id eſt, ex quo Judæi me ut hominem nefarium & vitâ indignum Jeroſolymis perimere volebant. Vide ſuprà cap. 21. v. 31 & 33.

Traditus ſum in manus Romanorum. Qui Judæam procurabant. Vide ſuprà cap. 23. v. 24.

Qui. Romani ſcilicet Procuratores Judææ, Felix nimirùm ſuprà cap. 24. & Feſtus cap. 25.

Cùm interrogationem de me habuiſſent. Id eſt, inquiſito & comperto negotio meo.

Voluerunt me dimittere. Gr. ἐβούλοντο ἀπολῦσαι, *volebant abſolvere*, ſeu, *dimittere.* Id eſt, ad me dimittendum erant propenſi, ut antè Pilatus ad Chriſtum dimittendum erat propenſus, cùm ſibi traditus eſſet. Vide ſuprà cap. 24. v. 28. & 25. v. 18 & 25.

Quòd nulla eſſet cauſa mortis in me. Id eſt, quòd agnoverint nullum à me patratum facinus, quo mortem commeruerim. Paulum non commeruiſſe ut morte plecteretur, agnovit Claudius Lyſias Tribunus ſuprà cap. 23. v. 29. Felix Judææ Procurator, dum eum benignè tractavit ſuprà cap. 24. v. 24. Felici Succedens Procurator Feſtus, cap. 25. v. 18 & 25. Rex Agrippa minor cap. 26. v. 32. Sic ſervus non minùs quàm Dominus ab incredulis teſtimonium retulit ſuæ innocentiæ.

19. *Contradicentibus autem Judæis.* Qui id agebant, ut Feſtus me Cæſareâ Jeroſolymam mitteret à Synedrio judicandum, quo ipſi nanciſcerentur idoneam opportunitatem mei in via interficiendi. Vide ſuprà cap. 25. v. 3.

Coactus ſum. Ne à Feſto Judæis gratificari volente Cæſareâ Jeroſolymam mitterer, ſuprà cap. 25. v. 19.

Appellare Cæſarem. Vide ſuprà cap. 25. v. 11.

Non quaſi, &c. Q. d. Non ea tamen de cauſa ut Judæos mihi immerito infeſtos criminis alicujus poſtularem apud Romanum Imperatorem, ſed tantùm ut innocentiam meam defenderem. Ellipſin particulæ *tamen* hîc ſupplevit Beza vertens, *Non tamen quaſi,* ſimilémque ejuſdem particulæ ellipſin adnotavit Mat. 2. v. 6.

20. *Propter hanc igitur cauſam.* Q. d. Ne igitur à gente mea me abalienatum ſuſpicaremini.

Rogavi vos videre & alloqui. Hoc eſt, ut me inviſeretis vos ſupplex rogavi, quo mihi vos alloquendi copia daretur.

Propter ſpem enim Iſrael. Id eſt, propter Meſſiam ab Iſraele ſpera-

ſperatum ac deſideratum. Q. d. Quia ab Iſraelitico populo ſperatum doceo ac teſtor jam fuiſſe exhibitum, dum exhibitus eſt Jeſus Nazarenus, quem eſſe illum Meſſiam in Lege ac Prophetis promiſſum, & ab Iſraelitis avidè expectatum omni aſſeveratione affirmo, quaſi maleficus ac ſceleſtus, hac, quam veſtris conſpiciris oculis, vinctus ſum & alligatus Carenâ. Chriſtus Jeſus vocatur 1 Tim. 1. v. 1. *ſpes noſtra*, quia meritis ipſius nos æternâ ſalute donatum iri ſperamus. Vide & Col. 1. v. 27. Vide ſuprà c. 26. v. 6 & 7. 'Hanc ſpem, ſeu rem ſperatam, *inquit Wolzogenius*, jam completam eſſe poſt tot ſecula, 'exhibito reipſa Meſſia, qui eſt Jeſus ille Nazarenus, Paulus 'docebat atque confirmabat. Poteſt per hanc ſpem ſignificari 'etiam reſurrectio mortuorum, quam Paulus cum Phariſæis con'fitebatur contra Sadducæos, vide ſuprà cap. 23. v. 6. cap. 24. 'v. 15 & 21. Sed & hæc per Meſſiam erat perficienda. Prius 'illud potiſſimùm hîc innui videtur apparere tum ex loco 'cap. 26. modò citato, tum ex Judæorum verbis infrà v. 22.

Catenâ hac. Quâ militi copulor. Vide ſuprà v. 16.

Circumdatus ſum. Non ſecus ac ſi inſignia malefacta patraſſem.

21. *At illi.* Judæi ſcilicet Romanenſes.

Dixerant ad eum. Paulum videlicet vinctum.

Nos, &c. Q. d. Nihil adverſum te nobis ſcriptum eſt ab iis, qui in Judæa degunt, Judæis, neque quiſquam eorum, qui huc Romam venerunt, te nobis criminatus eſt.

22. *Rogamus.* Gr. ἀξιοῦμεν, *dignamur.* Id eſt, non recuſamus ubi vacabit.

A te audire quæ ſentis. Id eſt, quid ad tuæ de Jeſu Nazareno ſententiæ defenſionem afferre poſſis.

Nam de ſecta hac. Quæ nimirùm profitetur Jeſum illum Nazarenum eſſe Meſſiam in Lege ac Propheris promiſſum.

Notum eſt nobis quia ubique ei contradicitur. Nimirùm propter crimina eidem *Nazarenorum*, utì vocant, *hæreſi* ſeu *ſectæ* afficta literis ad Judæorum per varias mundi regiones diſperſorum Synagogas datis à Synedrio paulò poſt Chriſti abitum ex terris. *Aiunt Judæi*, inquit Grotius, *earum literarum exemplum aſſervari apud Synagogam vetuſtiſſimam, quæ eſt Borbetomagi Vangionum*, ſive, ut hodie appellant, Wormaciæ. Juſtinus adverſus Tryphonem narrat à Judæis Palæſtinis miſſos legatos ad Synagogas poſt Jeſu mortem, κηρύσσοντας ὅτι ἄθεός τις αἵρεσις ἐξ ἀνόμου ἐγήγερται διὰ Ἰησοῦ τινος Γαλιλαίου πλάνου, *vulgantes ſictam quandam impiam & Legi adverſam à quodam Jeſu Galileo impoſtore excitam.* Ita illam Simeonis de Jeſu Chriſto vaticinationem, quòd is futurus eſſet ſignum cui contradiceretur, Luc. 2. v. 34. eventus comprobavit.

23. *Cùm conſtituiſſent autem illi diem.* Quâ ad eum venirent, ejúſque ſermonem audirent.

Ve-

Venerunt ad eum. Conditâ die.

In hospitium. Id est, Domum in qua divertebat.

Plurimi. Præter illos qui illum anteà inviserant.

Quibus exponebat testificans. Id est, coëssrebat valde asseveranter, ut testis certus. Vide suprà cap. 18. v. 5. & Luc. 16. v. 28.

Regnum Dei. Id est, Regnum à Deo per Messiam erigendum non in otio, deliciis, aliorúmve caducorum bonorum copia situm esse, ut plerique Judæorum somniabant, sed in summâ felicitate, cujus initium est vitæ sanctitas seu novitas in terris, finis verò beata in cœlis immortalitas. Vide Luc. 17. v. 20.

Suadénsque eis. Id est, atque persuasoriis assertionibus comprobabat illis.

De Jesu ex Lege Moysi & Prophetis. Hoc est, omnia quæ in Lege ac Prophetis prædicta vel præfigurata fuere de Messia mundi Servatore ac liberatore, in Jesu impleta atque ad exitum perducta fuisse. Vide suprà cap. 3. v. 18 & 24. cap. 13. v. 27. cap. 15. v. 15. cap. 26. v. 22, & Luc. 24. v. 27.

A mane usque ad vesperam. Id est, per totam diem sine ulla intermissione.

24. *Et quidam,* &c, Q. d. Verùm ut plerumque evenit, aliqui ex illis Judæis qui Paulum de Jesu concionantem tunc audiebant, invictis Pauli argumentis persuadebantur Jesum Nazarenum esse Messiam in Lege ac Prophetis prædictum ac præfiguratum, alii verò eadem Pauli argumenta obstinato atque amarulento animo respuebant. Similiter diversi prædicationis ejusdem Pauli effectus notati sunt suprà cap. 14. v. 4. cap. 17. v. 4 & 5. Ibid. v. 32 & 34. cap. 19. v. 9. Ita idem semen verbi Dei, quando in diversos animos ceu in diversas terræ partes incidit, *aliis est odor mortis in mortem, aliis autem odor vitæ in vitam,* ut loquitur Apostolus 2 Cor. 2. v. 16. Vide & Luc. 7. v. 11. & seqq.

25. *Cúmque invicem non essent consentientes.* Id est, credentes & increduli Judæi inter se dissiderent atque discordarent. *Hoc,* inquit præclarè Calvinus, *efficit Infidelium malitia & pravitas, ut Christus, qui est pax nostra & unicum sanctæ unitatis vinculum, dissidii sit occasio, & in certamen committat qui prius mutuam inter se amicitiam colebant. Ecce enim dum ad Paulum audiendum conveniunt Judæi idem omnibus sensus, eadem vox: profitentur omnes se Legem Mosis amplecti. Audità reconciliationis doctrinâ, exoritur inter eos dissensio, ut in diversas partes scindantur. Neque tamen putandum est ab Evangelii prædicatione incipere discordiam: sed simultas quæ prius in cordibus malignis latibat tunc demum emergit; sicuti novos colores non inducit solis fulgor, sed discrimen quod in tenebris nullum erat,*

erat, palàm aperit. Ergo Evangelium, quo perfectissima charitas inter omnes homines præcepta est, credentium animos ad pacem & concordiam adducit, sed incredulitas eorum, qui carnis ductum sequuntur, & veræ pietatis virtutúmque, quas Evangelium postulat, gustum non habent, Deo rebellat, éstque dissidii mater. Vide explicationem nostram literalem Mat. 10. v. 35.

Discedebant. Gr. ἀπελύοντο, *dissolvebantur.* Id est, abitum parabant à Paulo ad sua, & ex illo conventu dilabi cœperant.

Dicente Paulo unum verbum, Id est, postquam Paulus præcedenti de Christo ejúsque regno concioni pro epilogo & coronide adjecisset insigne hoc dictum ad notandam incredulorum Judæorum pervicacem contumaciam.

Quia benè. Q. d. Non ὑπερβολικῶς sed verissimè.

Spiritus-sanctus locutus est. Dum videlicet hunc, quem cerno, Evangelii conremtum prædixit Esa. 6. v. 9 & 10.

Per Esaiam Prophetam. Igni Spiritûs purgatum, donúmque prophetiæ adeptum. Es. 6. v. 7.

Ad patres nostros. Esaiæ æquales, quorum mentem malignam sic notavit, ut magis tamen mystico sensu eos notaret ex ipsorum posteris, qui oblatam sibi Evangelii lucem petulantiori malitiâ essent rejecturi. Vide Jo. 12. v. 40.

26. *Vade ad populum istum.* Ut legatus Domini, qui tibi sub specie augustæ & majestatis plena tanquam judex in solio excelso sedens apparuit. Es. 6. v. 1. Sunt autem, ut Piscator adnotavit ad Es. 6. v. 9. *Verba indignantis. Non dicit,* Populo meo. *Reputat eos pro alienis, quia se ipsi abalienaverant.*

Et dic. Nihil sollicitus quo animo auditores sermonem tuum excepturi sint tu tantùm tua fungere legatione fideliter, cetera mihi committe. *Quasi diceret,* inquit Curcellæus nostras, *Novi perversum populi hujus ingenium, & eum tuâ ad pœnitentiam exhortatione motum non iri, sed inde potius capturum occasionem se in malitia obfirmandi & indurandi. Quamvis autem id accideret, & verbo meo, quod eis annuntiabis, cæciores, surdiores & deteriores redderentur, ne desine propterea munere tibi demandato fungi, & eos officii sui admonere, ut si nihil propter obstinatam illorum malitiam promoveas, istud saltem ad convincendos inserviat.*

Aure audietis, & non intelligetis. Id est, Clarè, perspicuè & sæpè audietis ministros Dei vos ipsius nomine ad pœnitentiam adhortantes, at non intelligetis.

Et videntes videbitis & non perspicietis. Id est, assiduéque videbitis beneficia & miracula à Deo præstita, neque tamen præ horribili mentis vestræ cæcitate perspicietis vos benignitate Dei ad resipiscendum deduci, solâ Dei bonitate & patientiâ, non verò aliquâ illius operatione indurati. Quæ hic per futura

tura Indicativi efferuntur, in textu Hebræo Esaiæ per Imperativos enunciantur, *Audiendo audite & ne intelligatis, & videndo videte, & ne cognoscatis.* Ad quem Esaiæ locum præclarè Henricus Mollerus Patricius Hamburgensis, 'Non est mandatum, ut aures ad conciones occludant, aut sensus omnes ultrò 'obstupefaciant, sed tristissima est querela, quæ cum indignatione & imprecatione aliqua profertur ὡς ἀνθρωποπαθῶς. 'Q. d. Pergite vos auditores audire, & non tamen intelligere, 'contemnite meos doctores & horum comminationes, sicut 'hactenus fecistis, & videte quomodo res ea vobis cessura sit. 'Nihil enim aliud efficietis vestrâ pertinaciâ, quàm ut tristem 'interitum & excidium vobis accersatis. Hæc sententia est 'hujus versûs, ut sit querela, & tristis objurgatio, quòd scientes & volentes se opponant verbo divino. Nam Imperativa 'non tam jubent ut illa faciant, quàm ut facta jam & deinceps 'futura omni tempore exprobrent, habéntque vim minacis vaticinii. Ideo, reprœginta interpretes, quemadmodum & 'Christus in oratione ad Apostolos Mat. 13. in verba futuri 'temporis ea resolvunt: *Audiendo audietis, & non intelligetis.* 'Item, *impinguatum est Cor populi hujus.* Et Paulus Act. 28. 'quod hîc doctrinæ tribuitur, ad pravos gentis affectus refert, 'dum ait Judæos petulanter repudiare oblatam gratiam. Itaque Clemens 1 Strom. rectè inquit explicans dictum Christi, ut videntes non videant, & audientes non audiant. *Mat.* 13. ὁ συνίσιοι τὴν ἀγνοιαν αὐτῶν, ὡς μὴ περίεχοντ' ἐν κυείᾳ (μὴ γὰρ δυνατὸν ἦτο φρονεῖν) ἀλλὰ τὴν ὑπερηφανιαν διελέξαντ' ἐν ἀσεβείαις, ἢ ἀσυνέτους τὴν λογισμῶν ἐποιήσαντ' ἐν. 'Neque enim vel Prophera quemquam in populo excæcavit, 'neque Deus efficiendo in ipsis cæcitatem efficaciter hoc agit. 'Sed cùm ille quotidie eos de sua voluntate doceret, atque insuper plurima apud eos & stupenda miracula ederet, ipsi tamen omnia illa contemnerent & riderent Deus offensus illorum pervicacià, se subtraxit ab ipsis, atque ita in tenebris 'suis occæcatos errare & perire passus est, idque justo suo judicio. Hoc igitur ipsis exprobrat ut justitia Dei in populi & 'rejectione populi conspiciatur. Quod autem Esaiæ verba, 'ut ad conciones ejus aures obturarent Judæi, id Christus (ita 'quoque ubi in carnem venerit, eventurum prænuncit. Jesaias enim & ceteri Propheræ typus sunt Christi, quod ad 'docendi munus attinet. Vide explicationem nostram literalem Mat. 13. v. 13 & 14.

27. *Incressatum est*, &c. Vide explicationem nostram literalem Mat. 13. v. 15.

Ne forte. Particulâ Hebraicâ פֶּן, & μήποτε atque ἵνα, *ut, ne forte*, seu, *ne quando* quibus illam reddunt sacri scriptores in

Novo Testamento non semper significari finem, sed aliquando eventum patere ex Rom 11. v. 11. 2 Tim. 2. v. 25. &c.

28. *Notum ergo sit vobis.* Salutis doctrinam rejicientibus, ne post-à vos non fuisse præmonitos conqueramini.

Quoniam gentibus missum est hoc salutare Dei. Hoc est, id evangelium de salute æterna ex gratia Dei per fidem in Christum ac obedientiam ei præstitam consequenda id, inquam. Evangelium Judæis ex sancto Abrahæ genere prognatis primò missum, jam ob eorum incredulitatem ad profanas gentes mittitur.

Et ipsi audient. Id est, Evangelio audientes atque obedientes erunt. Hic non vocum sed rerum convenientia & sensus spectatur, dum nomini generis neutrius in Græco. fœminini in Latino additur pronomen masculinum, ut & alibi passim. Vide suprà cap. 26 v. 17. Mat. 28. v. 19 & 20. Rom. 2. v. 14. Neque tamen, quum Apostolus *Gentes dicit audituras*, inquit Calvinus, *fidem singulis sine exceptione communem facit. Satis enim expertus fuerat, quàm multi etiam ex gentibus impiè Deo resistrent. Sed quotquot ex gentibus credebant, Judæis incredulis opponit, ut hos ad zelotypiam provocet, sicuti habetur in Cantico Mosis Deut. 32 v. 21. Istere i significat, doctrinam quæ ab illis* Judæis *respuitur, alibi fore non inutilem.*

29. *Exierunt ab eo Judæi.* Hoc est, ex hospitio Pauli ad sua discesserunt.

Multam habentes inter se quæstionem. Id est, controversam de iis, quæ dicta erant à Paulo, aliis ea tuentibus & fortiter asserentibus, aliis contrà obstinatè eadem rejicientibus & aspernantibus. Non Evangelium sed Evangelii contemtus est dissensorum causà.

30. *Biennio toto.* Hoc expleto, quæ à scriptoribus Ecclesiasticis fides, à Nerone Paulus fuit dimissus; cùm autem jam liber esset Paulus, eum aiunt per totum ferè decennium in Italia, Gallia & Hispania Evangelium prædicasse. Posteà Romam à Nerone revocatum, ejusdem jussu obtruncatum fuisse. Vide Eusebium 2 Hist Eccl. 23. Hieronymum in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum &c.

In suo conducto. Id est, in hospitio, quod ipse Paulus sibi occupiâ ad habitandum conduxerat.

Et suscipiebat omnes, qui ingrediebantur ad eum. Memor videlicet se non minùs in carcere esse Christi Apostolum & Evangelii prædonem, quàm si liber ac solutus foret, nemini ad discendum parato se subducere fas esse duxit, ne occasionem sibi divinitùs oblatam negligeret.

31. *Prædicans regnum Dei.* Id est, Evangelium de regno Dei inter homines per promissum in Lege ac Prophetis Messiam instaurato, & porrò instaurando. Vide suprà v. 23 & Mar. 15. v. 43.

Et

Et docens quæ ſunt de Domino Jeſu Chriſto. Præclarè pro more Calvinus, *Regnum Dei & quæ ad Chriſtum pertinent non ſeparat quaſi diverſa, ſed hoc ſecundum potiùs explicationis vice addit, ut ſciamus regnum Dei in redemtionis per Chriſtum partæ notitia fundatum eſſe & contineri. Docuit igitur Paulus, homines à regno Dei alienos eſſe & exules, donec expiatis peccatis Deo reconciliati, Spiritu renoventur in vitæ ſanctitatem; ita verò demum erigi inter ipſos Dei regnum & florere, ubi mediator Chriſtus, & gratuitâ peccatorum remiſſione donatos, & regenitos in juſtitiam Patri conjungit, ut cœleſtem vitam in terra inchoantes ad cœlum ſemper aſpirent, ubi plena & ſolida gloriæ fruitio illis conſtabit.*

Cum omni fiducia. Id eſt, nullis difficultatibus territus, quin ſuum ſuum obviis quibuſque impendere pergeret.

Sine prohibitione. Id eſt, nemine prohibente. *Singulare,* inquit Calvinus, *Dei beneficium prædicat Lucas, quòd tanta Paulo libertas conceſſa fuit. Neque enim conniventiâ id, vel diſſimulatione eorum, qui obſtare poterant, accidit, cùm illis deteſtabilis eſſet religio: Sed quia oculos illis Dominus claudebat. Quare non immeritò gloriatur Paulus ipſe, 2 Tim 2. v. 9. verbum Dei non fuiſſe vinculis ſuis alligatum.* Multas etiam è vinculis Paulus ſcripſit epiſtolas, ad Galatas, ad Epheſios, ſecundam ad Timotheum, ad Philippenſes, Coloſſenſes & Philemonem. Hucuſque narrationem rerum à Paulo geſtarum Lucas perduxit in hoc nobili libro ſuo, qui à Greg. Nyſſeno contra Eunomium & in Pſalmos, atque à Theodoreto Hæretic. fab. lib. 1. cap 21. appellatur ἡ τῶν πραξέων βίβλος. *Hiſtoria Actorum* ſcilicet Apoſtolicorum. At à Scriptore vitæ S. Theclæ vocatur τὸ κατὰ τοὺς ἁγίους Ἀποστόλων σύνταγμα, *Commentarius de Apoſtolis.* Sunt autem *Commentarii* perpetuæ ac diligentes rerum narrationes, ſed nudæ abſque luminibus diſtinctæ. Unde Cicero in lib. 5. ep. famil. in epiſtola valde bella ad Hiſtoricum celebrem L. Lucceium Quinti filium ait ſe Commentarios rerum ipſo Conſule geſtarum confecturum, quò Lucceius hiſtoriam ex iis conficere poſſit.

Τῷ Θεῷ παντοκράτορι δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων Ἀμήν.

FINIS.

Emendanda.

P.4.l.28.*ſanavant*.p 7.l.36.& ſibi.p.9.l.15.urbéſque. p.16.l.26. *locum*.p.17.l.19.*manebant*.p.23.l.antep.*Accipere*.p.31.l.24.Sulan.l 31.plerunque tamen Perſia. p.32.l 19.elegerunt.p.36.l.12. בחניות l.18.בתוך.p.38.l.1 ὀπωρινῆ.p.39.l.27.cruci.p.43 l. 1.חור עני l.18.*patrum*.l.penu.qua.p 48 l.15.minùs iis.l.37. Petrus.1 Ep.3.p 53.l.20.verò p.74 l.6.*tos*.p 90.l.13,omnes. p.93.l. 20.תכר כ"ן p.100.l.1. ſuſcipere. p.107.l.18.ſocietatibus. p. 112.l.42. univerſúmque. p.117 l.16.cepit. p.121.l.14.ישב p. 123.l.14. מצרים וארבע מאות שנה p. 124. l. 28. שלושי שנה וארבע מאות שנה p.133 l.21.antiquiſſimus.p.134.l.15.ἀεσὶ ☞ l.27.vicit.p.136,l.4 Quid ad annum p. 140.l 21.ריכתר p.147.l.15. Deut 9.l.17. perditurus p.150.l pen.ארור p.153.l.22. σκληροτραχηλοι.p.160.l 8.Jo.15.v.16.& 16.v.33 l.13.Jeſus.p.162.l.1. curarunt. p.168.l.38. nec *Spiritûs* dona apud Corinthios.p 168.l.28.Simonem imaginem Chriſti.p. 169.l.2.Origenes p.170.l.ult.Æthiopas.p 171.l.3.Hier. in Eſa.53, p 175.l.31.*Bethſur* p.183.l 9.incendio periiſſe.p.185.l.2.*immenſo*. l.18.autres choſes.p.190.l.2.tradidit. p.193 l antep. *in terra*. p. 194 ante finem l.5.ſolo.p.196.l.2.ערוך p 197.l.2.manuúmque tantùm impoſitarum p 202.l.24.deflagrante.p. 208.l.32. περιλημμα, l.38 exponit.l. 40 *autem* l 41. *tantæ*. p 209.l.36. redire ad naturam.p.210.l.4.ſimile; σκεῦ☞.p.211.l.28.*cornibus*.p.213. l.6 præcepit. p.216.l.36. *ad judices increpatio*. p.227.l.2. profecti. p.230.l.24 *quia ſemper*.p.233 l.pen.2Mac 9.v.9.l.ult. *diffluerent*.p. 234.l.19. *Diocletiani*. p.235. Hoc eſt. quum p.236.l.25. *Patri & Filio*. l.33. operator fidei, unde etiam Spiritus fidei. p. 238.l 4 Grotius.p.239.l.23. Q.d. p 246.l.4. ut conſtaret fides. p.251.l4. noſceretur.p.260.l.26 *lippa*.p.264.l.12.deſcripſit. p.271.l.6. ejus domeſticis. p. 272.l.15. שאר ת. p. 277. l. 32. obſervandum. Quicquid.p.280.l.29.τλῶ.p.284.l.22. dictaverunt.l.40. & magis atque magis.p 285 l.12.plurimas p 290.l.34 morticinis. p 305.l 4.*privatim*.p.314.l.ult.*vocabant*.p.321.l.22.conſtitiſſet.p 335.l.3. Domnus. p.336.l 21.in unum.p.351.l 3. præteritæ. p.356. ult. aſſenſi.p. 368. l. 3. in Eccleſia p.370.l 32. pridem commodavit. p.373 l.17.*exOrdine*.p.374.l.18per mortem p.379 l.16.ſplendorem.p 383.l 8.*Sicubes*.l 13 gens Phœnicum p 384.l.11.Spiritus ſancti.p.402.l.3. ירך p.403.l.23. privilegium. p.419 l.26. לילין p.423.l.2.περιῤῥηγνυντες. l.21. ἀποκατικὸς. p.426.l.ult.Phaſeli. p.427.l.3. Mauritaniæ. l.14. Mago p.437 l. 1 Cap.XXVII.l pen. הלקים p.444.l.2.*particula hæc*. p.450.l.28 Adrumeto.p.460. l. 17. *abruptáque*. p 465 l.16.in eam.p 465.l.3. idoneum. p 473. l.8.omnes *Barbari*.